R. P.

JACOBI LOBBETII LEODIENSIS
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,


OPERA OMNIA
IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

HAC SECUNDA EDITIONE RECOGNITA, ET AUCTA
Tomis duobus: & insuper, in aliis antea impressis, sparsim aucta Quæstionibus novis quàmplurimis, illustrata selectis Sanctorum Patrum sententiis, Antiquorum præclarè dictis, & magnarum Virtutum exemplis, atque Historiis.

OPUS MAXIMA PARTE NOVUM,
& Concionatoribus, Pastoribus, ac spiritualis vitæ Magistris atque Religiosis perutile.

TOMUS TERTIUS.

CONTINENS QUÆSTIONES THEOLOGICAS, HISTORICAS & Morales in Evangelia Festorum totius Anni, cum duplici Indice, Quæstionum & Materiarum.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPH. JOAN. MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris. M. DC. LXVIII.
SUPERIORUM PERMISSU.

REVERENDISSIMO PRÆSVLI;
AC GRATIOSO DOMINO,
D. PHILIPPO DE LA NEUFORGE,
AC R.DIS ADMODUM
DOMINIS ANTIQVISSIMI IVXTA
AC NOBILISSIMI
CŒNOBII EPTERNACENSIS
RELIGIOSIS,

SALVTEM AC FELICITATEM.



RIVSQVAM calamum longiùs ducam in argumento mihi propoſito; viſum eſt paucis præfari, ſtylóque ſignare præcipua antiquiſſimi juxta ac nobiliſſimi Cœnobii veſtri decora atque ornamenta. Inter quæ omnium facilè princeps occurrit *S. Clemens Willbrordus*, quem ut parentem longè ſuaviſſimum agnoſcitis, ut primum in terris Præſulem, eumque vigilantiſſimum ſuſpicitis, ut in Cæli Regia Patronum ac defenſorem colitis jam inde à novem eóque ampliùs ſæculis. S. Clemẽs Willi-brordus.

Ut illius viri multò Sanctiſſimi præclarè geſta brevi compendio, aliquo tamen rerum ordine, ſub oculos ſtatuam:

Primùm exponam quis illi parens; deinde quis in moribus ritè formandis magiſter. Ab his enim ducuntur initia non vitæ ſolùm (quod exiguum eſſet) ſed & vitæ benè inſtituendæ, quod longè maximum. Tum elabar ad illius in laboribus Apoſtolicis Adjutores: ab his quippe & magna colligitur animarum ſeges, & ingentia gloriæ laudúmque capiuntur incrementa. Tum deſcendam ad diſcipulos, quos & doctrina meliore, & ſanctiſſimis imbuit diſciplinis. Denique ad loca ſacratiora, ad religioſos cœtus, & monaſteria, quæ illuſtri pietate, ſumptúque planè regio vel erexit, vel fundavit. Inter quæ omninò primum Epternacenſe Aſceterium. Itaque ut ad rem propiùs veniamus.

Annuente Cœlo, plaudente terra, in lucem hanc mortalem editus *S. Clemens Willibrordus* Anno Incarnationis Dominicæ. 657. Vitaliani Papæ III. Conſtantis Imperatoris VI. in Riponenſi Provincia Northumbrorum ditione.

Pater illi fuit *Wilgiſlus*, & avito genere & virtute nemini ſecundus. Hanc prodidit inſigni rerum omnium caducarum deſpicientiâ: aulicis enim & aula valere juſſis, abjectóque ampliſſimo principatu, juxta promontoria Oceani, & Humbri fluminis, in cella maritima S. Andreæ, primùm anachoreticam vitam inſtituit: deinde erectâ ibidem ad cultum honoremque D. Matris Eccleſiâ Archimandritam egit: denique ibidem virtutum exemplis miraculiſque clarus conquievit. Quis illi Pater?

Et ista Willibrordus à parente quàm integerrimo accepit virtutum exempla; quæ deinde magnis ipse auxit incrementis. Et hæc quidem diu ante prævidere ac præsagire visa est illius mater Mena, matrona ut sanguine, ita virtute Princeps; quæ dum uterum gestaret, visa est Lunam gestare, quæ per sua incrementa ostenderet quanta in filio & sapientiæ & virtutum futura aliquando essent incrementa: quæ cœperunt jam inde à tenera ætate: cùm enim septennis esset, & primùm sui compos ac rationis, Benedictinis Ecclesiæ Ripensis in Anglia religiosis traditus est, pietate simul ac litteris imbuendus.

Quæ Mater?

Inde solvit in Hyberniam, non divite solo, non pingui gleba feracem insulam; sed religiosorum, sed Ascetarum, sed Præsulum virtute, exemplisque Christianis feracissimam. Hos inter fuêre S. Egbertus & S. Wigebertus, quos S. Willibrordus per annos omninò duodecim altioris disciplinæ ac sapientiæ magistros habuit; eo in moribus ac divinis litteris fructu, ut & de pulpito cum dignitate dicere, & Christianos in vera religione formare, & paganos insani erroris arguere, Fideique luce posset illustrare.

Qui Magistri?

Quod & facere aggressus est Anno Dominicæ Incarnationis 690. & hæc quidem auctore atque impulsore S. Egberto Cœnobii Sancti Columbani in Huensi Insula Abbate longè dignissimo.

Hujus consilio atque authoritate sibi asseclas ascivit, quos in boreales saxonum regiones eduxit magno sanè animarum proventu: sociis enim Gravelingam (eo tempore Anglorum portum) prænavigantibus; cùm remansisset ipse in littore Britannici maris, nescio qua de causa moras ibidem passus; earum impatiens, cùm navigandi deesset occasio saxum quadrangulare oceano advolvit, eóque velut navigio vectus per tumultuantes undas ventis etiam nequicquam sævientibus feliciter enavigavit; sociisque suis est redditus, non sine novo & post homines natos inaudito prodigio. Ad quod sanè liquidum illud astupuit elementum, cùm suo dorso incumbere sensit immane saxum, nec tamen eo mergi absorberique: nempe datum illud insigni animarum zelo: quo totus supra naturæ leges effervescebat S. Willibrordus: cujus discipulos jam dudum cælis & sanctorum fastis additos visum etiam & huic chartæ in lectoris gratiam bonumque committere.

Qui deinde Discipuli?

Ii porrò fuerunt S. Widbertus ei Coepiscopus, & Boructuariorum ac Wesphaliæ Apostolus. S. Wigbertus, Sorabum, & Frisiorum primùm Apostolus, ac deinde martyr. SS. duo Evaldi, albus & niger, Saxoniæ Apostoli, & martyres. S. Acca postea Episcopus Lindeffarnensis. S. Willibaldus Episcopus Eystatensis, Abbas Heydenheimensis, atque (ut vult Stapletonus) Episcopus Ratisbonensis. S. Lebuinus. S. Werenfridus. S. Marcellinus omnes Presbyteri. S. Adalbertus Regis Deirorum filius, & levita, primus Archidiaconus Ultrajectinus, Monachus Epternacensis. Et hi quidem sunt, quos in Christiana palæstra primùm discipulos habuit, quibus deinde labentibus annis alii quoque accesserunt. S. Phlechelmus, qui postea creatus candidæ casæ Episcopus. S. Wiho primus Episcopus Osnaburgensis, & S. Walburgis eorum soror, & par sanctitate; cui postmodum addita S. Gertrudis & S. Amalberga: SS. Herbindis & Relindis sorores, ut genere, ita virtute Nobiles, æmulæ scilicet tanti Præsulis, tantique in spiritu & gratia parentis, omnes sub sacratiore illius disciplinâ.

Ex qua profectò de magistri sapientia ac sanctitate facile & pronum cuique judicium.

Ex his porrò, undecim primos laborum suorum socios assumpsit, & fœlici ac fortunata navigatione per ostia Rheni Ultrajectum descendit, urbemque illam longè celeberrimam, unà cum ditione tota adjacente sic excoluit, ut Christo deinde ac Religioni Christianæ adjunxerit. Primus postea Archiepiscopus, & illius Ecclesiæ (ceu Cæli novi) Sol novus; à quo in eadem sede successores (ceu minora sidera) lumen accepêre, unde luxerunt lucebúntque in ipsam, quanta quanta est, æternitatem.

Hos

Hos inter S. Bonifacius martyr, ac totius ferè Germaniæ Apostolus. S. Gregorius. S. Fridericus: S. Widbertus. S. Eobanus, Albricus, Radbodus, Bernulfus, & plures alii laboribus Apostolicis in terra exerciti, & in cælis laurea donati ac beatitate. Qui in Archiepiscopali illius sede successores?

Ab his descendo ad alios vitæ sanctitate ac miraculis illustres, quos sibi Willibrordus vel amicos habuit, vel familiares, ut inde noveris nullum illi ferè nisi cum Sanctis illius ævi fuisse commercium.

Anno Domini 691. Româ rediens, accepta priùs à Summo Pontif. Sergio III. sacra ac solemni benedictione, à Pipino Crasso Trajectum emittitur, ubi post restauratas immanes Normannorum Danorumque in templis ac sacris ædibus turbas, Sanctum Lambertum Tungrensis Ecclesiæ præsulem convenit, & unà cum eo consilia contulit pro Ecclesiæ, imò propè totius Universi bono; quod partim suis, partim discipulorum suorum laboribus mirum quantum promovit: sed vel maximè cùm Anno Domini 696. Romam iterum reversus, à Sergio summo Pontifice in natali S. Cæciliæ basilica ordinatus Episcopus, atque ad suos remissus, ut eos excolere pergeret, ac in fide virtutumque magnarum studiis promovere: quod & sedulò præstitit ædificatis ante & postea variis ubique ferè locorum Ecclesiis; & quidem Trajecti unam quam D. Martino sacram esse voluit; Alteram Ultrajecti D. Virgini, D. Matri Manæ dicatam; aliam propè Treviros unà cum Cœnobio B. Mariæ ad martyres; Basilicam SS. Apostolorum Petri & Pauli ad Rincharium in ducatu Cliviensi; Ecclesiam B. Mariæ Virginis in Mullingen; Suestranum Cœnobium, sic dictum à villa Suestra, illustre donum Pipini paulò ante obitum, & aliud in pago Salicensi, ubi Castellum Hamul Hedeni Ducis in claustrum vertit. Sed ne longiùs abeamus in pios S. Præsulis labores, & sacras seu monasteriorum, seu templorum moles, quas probante cælo, gestiente terra, non semel erexit. Epternacum tandem veniamus, selectam à S. Willibrordo sedem, velut commodam condendo sub legibus S. Patris Benedicti nobili asceterio; quod Pipini Ducis majoris domus Franciæ, & conjugis ejus Plectrudis; necnon sacratiore S. Irminæ Dagoberti Regis Austrasiorum filiæ, & primæ in Horrensi Parthenone Abbatissæ munificentiâ assurrexit, ut meritò jactare posset quod multis ante sæculis præsaga voce Isaïas. *Suges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis: eruntq́, Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Nec reges tantùm; sed & Archiepiscopi Trevirenses S. Basinus & S. Luitwinus, quorum consilio ac suasu S. Irmina amplissimas fundando illi Cœnobio possessiones transcripsit; hoc uno læta ac propè beata, si quæ illi dederat regius sanguis, si quæ terra tulerat, eadem cum cœlo & religiosis cœlestem in hoc ævo mortali vitam agentibus partiretur. Quod & vobis Reverendi admodum Domini, & Nobilissimo vestro Asceterio honori est & gloriæ penitus singulari: ut qui ab inclytis Ducibus, à Regia Virgine, à Sanctis Præsulibus prima duxeris illius initia atque fundamenta. Quæ Basilicæ, & Cœnobia ab eo extructa. Qui Epternacis Cœnobii fundatores.

Quæ deinde sacratiore pignore ditare ornaréque voluit S. Willibrordus: videlicet capite S. Sebastiani Martyris, unà cum sagitta, quæ illud olim transfixerat; capite S. Oswaldi Regis Angliæ & Martyris, quem perduellis Merciorum Pseudorex Penda crudeli ferro, crudeliore manu sustulerat. Quæ illi additæ SS. Reliquiæ? Caput S. Sebastiani.

Ab his porrò magnarum mentium exuviis (quæ donum fuêre Summi Pontificis Sergii olim Ordinis Benedictini) ab his inquam factum quàm optimè, ut & S. Sebastianus, & S. Oswaldus vobis essent patroni Divique Tutelares: Ipseque in primis S. Clemens Willibrordus, ad cujus labores Evangelii & animarum causâ obitos transeo. Caput S. Oswaldi. Donum S. Sergii Pont.

Fuerunt illi & diuturni & longè maximi: quæ enim tædia, quas molestias, quæ pericula eum subire oportuit, qui tot ac tantas nationes, & terris & moribus dissitas, excolere atque ad fidem adducere laboravit? Neque enim suo ille Archiepiscopatu Ultrajectino contineri potuit; sed & vicinas & longè positas ditiones labore multo, sudore multo peragravit, easque omnes, quà doctrinâ, quà sanctissimis institutis, quà Apostolicæ vitæ exemplis, Quæ Nationes per illum Fidei additæ?

exemplis, quà etiam miraculis illustravit, ut jure meritissimo superioris & inferioris Germaniæ, utriusque Frisiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Flandriæ, Campiniæ, Brabantiæ, Geldriæ, Cliviæ, Transilvaniæ, confiniumque populorum, necnon totius Austrasiæ, Apostolus nuncupari possit, & velut alter à Christo *Salvator*.

Ne me ex eo damnes, Amice Lector, quòd Sanctissimum hunc Præsulem atque Apostolum, Salvatorem appellare præsumam; Scripturæ sacræ oraculo, SS. Patrum testimoniis innitor.

Abdias vates præsaga mente voceque, Apostolos futuros multa post sæcula, *Salvatores* esse pronuntiavit. *Ascendent*, inquiebat, *Salvatores in montem Sion*. Quod de Apostolis intellectum voluit D. Hieronymus, quos Christus ait, *mundi esse voluit Salvatores*.

Quod si ita est, vt esse fateberis, & mundi salvator fuit S. Willibrordus, vt qui tot tamque diversas nationes à perditionis æternæ periculo salvarit.

Qui Reges? Verùm ut de iis in præsentia taceam; at tacere non possum principes animas, quas Christo & Religioni adjunxit.

Has inter fuit Radbodi Regis filius, qui mox à suscepto baptismate, cùm unà cum veste candidam gestaret animam; eam cœlo Deoque reddidit. Et certè etiam aliquando reddidisset Radbodus ipse, nisi malis inferorum artibus ac præstigiis à sana mente fuisset avocatus, & pedem, quem in sacro fonte jam posuerat, revocasset; adjiciens & impium illud. *Malle se cum proavis suis & prima Frisiæ nobilitate esse in inferno, quàm cum paupere Monachorum cœtu in cœlo*. Hæc ille insano joco, qui illi carò stetit, stabitque in omnem æternitatem.

Meliore sorte menteque, Pipinus Brevis Caroli Martelli filius, ac deinde Galliæ Rex, quem sacris undis eluit, & in uno illo Regio capite innumera propè subditorum millia Deo addidit ac Religioni.

Taceò Principes alios, quos Sanctissimus hic Præsul, Benedictini Ordinis luminare majus, vel Christo peperit, vel consiliis suis, ceu altiore quadam ac cælesti luce perfudit, vel æstu quodam divini amoris accendit: quos inter fuit

Qui Principes? Pipinus Crassus, sive Heristallus, qui S. Wironi Deirorum Episcopo (& S. Willibrordo familiari) peccata sua confiteri solitus etiam detractis calceis: quod reverentiæ fuit ac Christianæ submissionis.

Hedenus Francorum Orientalium Dux, qui in symbolum amoris amplissimas possessiones ac ditiones ei submisit.

Engilbaldus Waderloe in Campinia Brabantiæ, Engilbertus, qui villas complures ei transcripsit.

Berta Deo sacra cum filiis Chardrado & Harberto.

Arnulphus Dux, Drogonis filius, qui eadem in Sanctum usus liberalitate.

Rauchingus Princeps & Marchio Antverpiensis cum conjuge Belina, qui Ecclesiam Antuerpiensem à Sancto Amando constructam eidem attribuit.

Et hi sunt viri principes, qui sanctissimum Antistitem pia quadam bonorum profusione ornatum voluerunt.

Sed instituti mei ratio, & proposita in hoc argumento brevitas, me monet ut descendam ad extrema longioris ac sanctioris ævi; quod si scena est (ut ex vero est) ejus ultimus actus est mors quàm sanctissimè obita.

Quis illius obitus? Vertebatur annus à Christo septingétesimus trigesimus nonus, cùm S. Clemens Willibrordus in senectute bona (urpore octogenario major) plenusque dierum ac meritorum, Summo Imperatori è statione hac evocanti cessit, terris valedixit, & cælo ac cælestibus est additus ceu novum aliquod illius orbis sidus, in quod aspectarent hac vitâ, ceu infesto mari, jactati mortales. Et verò jam inde aspectarunt, ex eoque suaves ac salubres influxus

hauserunt

hauserunt, opportunáque morbis omnibus remedia, quæ testantur à tot sæculis appensa ad illius aras anathemata futura signum aliquod ejus, quam ei se debere fatentur, gratitudinis.

Ea vidit, suspexit, amavit Epternacense Asceterium, quod sibi ultimis testamenti tabulis elegit, in quo molliter conquiesceret; ut inter Filios parens, inter oves Pastor, inter Clientes patronus. ubi enim potiùs?

Est magnis mentibus nescio quis amor, quæ cura sepulchri: ita nimirum abituriens anima corpusculo, ceu hospiti suo, vult esse benè cautum, provisum benè, donec illud annuente Cælo resumat; ut quod venit aliquando in partem laborum, veniat etiam in gloriæ societatem, æternóque ac felici cum anima connubio rursum conjungatur? & ita factum voluit S. Clemens Willibrordus. *Quis locus sepulchri?*

Anno Christi sexcentesimo nonagesimo nono monasterium condiderat, quod Epternacum appellare voluit; situm loco peropportuno ad fluvium Suram, sub regula Sanctissimi Patris Benedicti, & pia Regum ac Principum munificentia maximis reditibus evexerat. Nimirum inter plurima, quæ variis locis erexerat monasteria, erat illud in primis curis atque amoribus. Argumento sit istud, quod eò loci sepulturæ suæ locum esse voluerit; forte sanè felicissima atque aliis invidenda: sic nempe factum est, & factum peropportunè, ut dum S. Præsulis animam Cælum habet; Epternacum corpus sibi servet, sicque cum Cælo partiatur, & spolia dividat: & hoc quidem illius nutu ac voluntate testamenti tabulis obsignata: cujus rationes duas ipse produxit: postquam enim à se constructum, & amplissimis possessionibus dotatum esse dixit Epternacum; tum addidit illud, quod est amantium. *Epternacum.*

Ubi ego ipse Clemens Willibrordus Custos vel gubernator præesse videor, & si Christo placet, corpus meum ibidem requiescere debet.

Hic oculum fige, hic & animum, benevole Lector, & præclara magnarum virtutum lumina contemplare: primùm demissionis ac humilitatis: ait enim *ubi Custos & gubernator esse videor*, quasi videretur, nec esset: alterum perfectæ cum divina voluntate consensionis. *Ubi*, inquit, *si Christo placet*: postremum amoris, & charitatis in suum Epternacum, his verbis expressum: *Corpus meum ibidem requiescere debet*. ubi enim potiùs?

Hoc ipso, quo de loquimur Testamento, Epternacum *locum sanctum* appellat, in quo scilicet virtus ipsáque sanctitas sibi sedem elegerat: appellat & *casam Dei*, in qua nempe Deus ipse habitet; appellat & *sanctam congregationem fratrum ibidem Deo servientium*. *Locus sanctus Dei Casa.*

Verè congregatio sancta, in qua ita vigebat disciplina religiosa, ut schola virtutum omnium, schola doctrinæ sanctioris, imo & schola gloriæ, altiorisque dignitatis meritò possset appellari. Ut proinde nulli mirum videri debeat, si ex ea tot tantique viri prodierint, & vitæ sanctimoniâ & bonis artibus illustres, quos è Nobili illo Asceterio, velut ex umbra ad Solem Dei manus, ad principes cathedras evexit. *Congregatio sancta.*

Hos inter fuêre Vilihadus ex monacho Epternacensi primus Bremensis Episcopus. Stigandus incertæ sedis Anglicanæ Archipræsul. *Seminarium Episcoporum*

Sigoaldus, Spoletanus, Thretgandus, Hehinus, Radbodus Trevirenses. Item Hatto, & alii complures, qui à virtute doctrináque sibi nomen immortale pepererunt.

Quibus accesserunt etiam multi editis in lucem operibus nominati. Thiofridus, Theodoricus, Hovæus, Bertelius, aliíque, qui exegerunt monumentum ære perennius. *Et Doctorum virorum,*

Et hæc fuêre domestica nobilissimi vestri Cœnobii ornamenta. Omitto alia, quæ deforis addita à Principibus, Regibus, Imperatoribus ac summis Pontificibus. videlicet Immunitates, exemptiones, & privilegia longè maxima. *Inde Cæsarum favor & privilegia.*

Verùm ut illa taceam omnia, attamen tria silentio premere non possum.

Primùm Ottonis tertii, qui Abbati Epternacensi etiam percussuram numismatis permisit, Anno 992. Metis.

 Alterum

Alterum est Alberti Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui postquam privilegia omnia à suis antecessoribus data confirmasset, ipsum deinde Abbatem Epternacensem Romani Imperii Principem esse declaravit, diplomate dato Pinguitiæ Anno Domini 1299.

Et Sigismundi ac Frederici Imperatorum, è quibus ille Abbatiam S. Willibrordi *speciale Romani Imperii membrum* esse dixit, Confluentiæ Anno 1414. hic autem eandem *singulare quoddam, & insigne Romani Imperii membrum* appellavit. Anno 1466.

Tertium est Henrici sexti Romanorum Imperatoris, qui monasterium illud ab humanis potestatibus, quà potuit, ita exemit, ut esset, inquiebat, *Sub manu solius Dei*. Anno 1192. Wilzenhoviæ. Et hæc faciunt ad splendorem ac commendationem Illustrissimi Cœnobii vestri. quæ subjicio, ad aliquam ejus venerationem.

Inde etiam Leonis Sum. Pontif. Epternacum adventus.

Sanctissimus Leo Pontifex natione Germanus, cùm Moguntiæ præsente S. Henrico Imperatore cum quadraginta duobus Episcopis Synodum celebrasset, multaque ad commune Ecclesiæ bonum constituisset, Treviros venit, & inde Epternacum; ubi in basilica recens exstructa diversas capellas & altaria suis ipse manibus solitóque ritu sacravit.

Epternacẽ Schola S. Benedicti.

Alliciebatur nimirum Summus Pontifex & loci sanctitate, & magnorum Præsulum Ravengeri & Humberti fama; sub quibus ita regularis floruit observantia, ut *Cœnobium Epternacense schola sancti Benedicti diceretur & esset*.

Sub manu solius Dei.

Hîc stylum sisto, vobisque gratulor de parta à majoribus vestris gloria, de loci, quem colitis, sanctitate, de Cæsarum Pontificumque gratia, déque cœlesti illa tessera Monasterio vestro data Imperatoris Augusti calculo, vel etiam oraculo; à qua estis *Sub manu solius Dei*. Sub illa securi vivite, vivite cælo ac futuræ quondam beatitati: & certè quidni sic vivatis in Epternacensi Asceterio, *Loco sancto*, *Dei casa*, *& Schola Sancti Benedicti*? Schola dico virtutum, schola sanctitatis, à qua gradus fiet, & facilis ascensus ad lauream æternæ felicitatis, quàm vobis ex animo precatur, ac vovet

DOMINATIONUM VESTRARUM

Leodio 1. Septemb.
Anno 1667.

Humillimus in Christo servus

JACOBUS LOBBETIUS
è Societate IESU.

INDEX QVÆSTIONVM

TOMI TERTII

IN FESTA SANCTORUM

TOTIVS ANNI.

MAR.

MARTIVS.

MAIVS.

IVNIVS.

IVLIVS.

AVGVSTVS.

DECEMBER.

FINIS.

JACOBI

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI.
QVÆSTIONES
THEOLOGICÆ, HISTORICÆ, MORALES
IN EVANGELIA
FESTORUM TOTIUS ANNI.
TOMVS TERTIVS.

HACTENUS exposui Quæstiones in Evangelia Dominicarum totius anni, easque divisi in duos Tomos: in hoc secutus usitatum in divinis Officiis ordinem, in quibus etiam duæ partes; Hyemalis scilicet, atque Æstiva. Hoc Tomo, qui mihi tertius erit, explicabo Quæstiones in dies Festivos etiam anni totius, in quibus servabo modum eundem, quem in Dominicis: ut enim his; ita & illis præludet Angelicus & Seraphicus Doctor: & tam hic quàm ille etiamnum in Scriptis spirans præclara dabit morum documenta, subinde ex ipso Evangelio petita; at quàm sæpissimè ex aliis Scripturæ locis, atque argumentis: In his enim ferè semper cogitationem, stylumque fixerunt, vel quia latior erat campus, in quem sacra excurreret oratio; vel quia Sanctorum Festivitati magis accomoda. In quo eosdem sequi erat animus, nisi avocasset ea, quæ mihi in Dominicis proposita fuit scribendi ratio, quam & in Festis quoque servandam esse duxi. Ea porrò sunt tum CHRISTI Salvatoris; tum etiam Divæ Matris ac Virginis; tum denique aliorum Sanctorum, quorum scilicet Festivum diem celebrat Ecclesia. De quibus priusquam aliquid dicamus, visum est pauca præmitti oportere de Institutione, deque fine, ac fructu, quem in illis spectare, ac percipere debet Christianus animus. Sit itaque

---

QUÆSTIO UNICA
MORALIS.

QVÆ INSTITVTIO, QVIS FINIS FESTORVM, & quantus ex iis ad fidelium Animas fructus emanet? Et quæ pœna in prævaricatores?

Institutio. PROFANI sapientes ad aliquam hominum quietem inventos esse opinantur. Vitam enim sine festivis diebus longam esse viam sine diversoriis aiebat Democritus. & Themistius perspicuè monebat, Antiquos putavisse dies festos, esse ad quietem animi, & corporis allevamentum post laboriosissimi operis continuationem. (Apud Stob. serm. 16.)

Sumptum illud à Platone, qui docuit Deos misertos hominum generis, quod fuerit natum laboriosum, ut à laboribus conquiescerent, dierum festorum vicissitudines illis instituisse. (Clem. Alex. l. 3. Strom. p. 317.) Quamquam ut in eo genere dicam, quod sentio, malim illud referre ad rerum omnium parentem, ac molitorem Deum,

Deum, qui post laborem, & sex dierum opus, ad Sabbatum & dulcissimam quietem venire voluit: atque ad perpetuam rei memoriam sacrum esse diem jussit, populoque venerandum, ut crebra illa revolutione temporis, & laboris diutni cum unius diei requiete, dulcique commutatione assuescerent id optare felicissimum otium, cum laboris vacuitatem, quæ secum omne bonum esset allatura.

Et hoc quidem in Lege seu Naturæ, seu Scripta: at in Christianâ, Dei Filius cœlesti sanè arcanoque consilio, pro Sabbato Hebræorum diem octavum invexit, diem candidum, Dominicum, Augustum; qui lætitiæ symbolum esset, ac illius quietis, ad quam rectâ per Hebdomadæ, id est vitæ, labores contenditur. Ex hac ratione fineque emanavit illud, ut in piorum vatum prædictionibus, festa Sabbata nominentur: quasi dicas, otia Sacra: Verùm illud otium non debet esse planè otiosum, languidum, & honestis

I. Finis, Sacra otium.

actionibus vacuum; sed exercitatio corporis, quæ dum intermittitur, transferenda est ad animum piis operibus ornandum & locupletandum: In quo sanè Posteri à Majorum institutis multùm videntur defecisse; utpote qui dies illos, & Sabbata ad iners, otium, ad nugas, ad comessationes, ad libidinis, aliaque solutioris vitæ scelera traducant, non sine nævo & maculâ hujus ætatis, quæ hoc primo vitio laborat: sed & altero, quod dies factos, ut profanos sæpius habeat, dum in illis, operibus servilibus vacat; contra diei festi naturam, ac religionem; quam nos haurire voluit Deus etiam à re inanima, fluidoque elemento.

Lib. 31. c. 2. *In Judæa*, inquit Plinius, *rivus est, qui Sabbathis omnibus siccatur*. De hoc ita Elias Thesbites Rabanus, Judæique scriptores: *Sabbation nomen est fluvii, in quo dicunt, quod per singulos dies hebdomadæ tanto impetu currat, demptо Sabbato, ut lapides magnos moveat, nec ullo modo pertransiri possit, ex quo Sapientes vocarunt eum Sabbaticum, eo quod cesset, sive quiescat in Sabbato.*

Ecce ut etiam ipsum aquæ elementum discrimen ponit inter diem Sanctum, diésque alios negotiosos, & profanos, his omnibus manat & fluit etiam cum impete; illo verò quiescit, ut nos etiam pio in otio quiescere doceat, atque ab opere servili abstinere: hoc enim quasi fluxus est, & unda negotiorum; à quibus ut abeamus etiam monet alterum cœli prodigium in ipsis animantibus brutis.

Nieremberg. lib. de mirac. nat. terra prom. c. 12. In eo Ægypti hortulo, in quo balsami arbusculæ irrigantur rivo pueri JESU, ac beatæ Virginis olim hospitali, ut fama est, boves, qui aquam hauriunt hebdomada tota pro odoratorum germinum irrigatione, ab horis meridianis Sabbati usque ad perendianam auroram diei Lunæ, cessant sponte, nec stimulo adigi possunt, ut se jugo, aut labori submittant: quæ res Mahometanis, & Mauris est satis comperta.

Idem l. 2. de mirac. nat. Europ. c. 15. Ecce ut ipsa quoque animantia bruta Dominicum diem vel ipsa quiete colunt, ac venerantur; quod & facere quodammodo videtur apud Ossyoriam S. Lucherini Abbatis Molendinum, quod diebus Dominicis nihil, de furto autem, seu rapina nunquam molere perhibetur; tantus justitiæ amor, & simul etiam religionis. Et hæc pauca sive ab inanimis, sive à brutis petenda duxi pro prima hujus

II. Finis, Memoria beneficiorum Dei.

institutionis ratione; sed & aliæ sunt, eæque longè gravissimæ, è quibus hæc facilè princeps, ut Divinorum beneficiorum memoria refricetur: facilè enim iis excidunt qui in vitæ curis ac felicitudinibus occupantur, nisi sacratiore dierum solemnium apparatu revocentur.

Ea de causa celebritates ferè omnes Hebræorum excogitatæ, & divinitus imperatæ; ne unquam illos

Exod. c. 23. donorum cœlestium occuparet oblivio. Ita Pascha celebrari placuit, ut recurrente animo illius diei memoria, in qua ex Ægypti jugo, immanique servitute liberi discesserant. Ita, festum Pentecostes sacrum

Deut. c. 16. illis ac solemne datæ quondam & acceptæ Legis beneficium objecit. Ita denique (ne omnia minutiùs consecter) Scenopegia, seu festum Tabernaculorum inductum est, ut esset in oculis species aliqua

Levit. c. 23. & imago illius peregrinationis, in qua per quadraginta totos annos, per avia & invia deserti loca, Numinis ipsius, ut sic dicam, manu, ac singulari providentiâ sunt circumducti.

Orat. 16. Huic rationi tres alias subnectit D. Gregorius Nazianzenus, è quibus una est *Mysterii celebrandi causa*; sic vita Domini JESU, & heroica illius acta, quæ anniversario cultu celebrantur, mysteria sunt, arcanamque habent significationem, quæ omnium mentes ad sublimium rerum cognitionem erigat, sacrosque affectus resuscitent. Ita sacer Paschæ dies est veluti quædam invitatio ad beatam æternitatem, diciturque transitus, ut ad felicem ex hac vita migrationem, transitumque ad immortalitatem mortales invitet. Atque idem est de aliis solemnitatibus judicium.

III. Curatio animorum.

Altera eodem interprete ac Doctore causa, est *Ob animorum curationem*: frequenter enim in sano corpore æger animus habitat, peccatum tegit, ac celat, velut insolentem ac periculosum morbum: detegitur ille, ponitúrque in die festo, dum sacra Exomologesis adhibetur, quâ delentur noxæ, & curatio fiat animorum.

IV. Honor Sanctorum.

Tertia denique est *ad Martyres honorandos*; cùm enim illi sint prima lumina surgentis Ecclesiæ, religionis nostræ decus, & insigne quoddam ornamentum, sacros iis in publicum honores indici placuit: ut quod ipsi nostris aris & templis addiderant, ab illis quoque insigna honoris ac gloriæ reciperent.

Lib. 2. contra Faust. c. 21. His rationibus aliam adjicit D. Augustinus dum ait, Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat, *ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur.*

I. Fructus imitatio Sanctorum.

Hi sunt fructus longè suavissimi, quos è festivis Sanctorum solemnitatibus, velut Areolis colligit Ecclesia. Ex Apostolis haurit altos ac sublimes spiritus, singularem quemdam animarum zelum, studiumque Divinæ gloriæ promovendæ. Ex Martyribus invictum animi robur, infractamque in adversis constantiam, quam nec flectat ac premat Orbis etsi fractus illabatur totus. A Confessoribus longævam patientiam; à Virginibus niveæ castitatis flores; à Viduis insignem aliquam rei domesticæ ac domesticorum curam atque educationem, quæ non tantum huic vitæ ac tempori serviat, sed vel maximè æternitati.

Et hi sunt virtutum magnarum fructus, quos è diebus festivis carpendos esse monet D. Augustinus, cùm ait, memorias Martyrum, Sanctorumque alio-

Homil. in Avaru. rum religiosè coli, *ad excitandam eorum imitationem*. Ex qua persuasione, atque apud omnes viros pios invaluit, factum ut Asterius Episcopus Amaseæ, cos conventus, qui fiunt ad dies festos, elegantissimè nominarit, παιδαγωγεῖα φιλῶν, *Pædagogia amicorum*, cœlestem institutionem, auditoria veneranda, virtutum scholas, in quibus altior aliqua divinior que sapientia Christianis mentibus instilletur.

II. Participatio meritorum eorumdem.

Ab his & aliis exurgit fructus quem paucis verbis veluti digito ostentat D. Augustinus: *Ut meritis Sanctorum consocietur*, cui fuerit in omni vita laborum studiorumque societas.

Denique *Ut Orationibus adjuvetur* eorum omnium, qui modò in Cœlis fruuntur ævo beatiore; quibus cum aperta & explicata sit Divina essentia, aperti quoque atque explicati sunt illius thesauri

gazæque

gazæque opulentiores, à quibus in hac vitâ egestati nostræ subsidium aliquod exigatur atque impetretur.

In vigilia SS. Petri & Pauli. D. Augustino calculum addet D. Bernardus, qui & ipse tria in festivitate Sanctorum monet accuratè consideranda; scilicet, *Auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram: auxilium ejus, quia qui potens in terra, potentior est in Cœlo.* Cùm eodem nobiscum Cœlo soloque frueretur, movebatur insigni quodam doloris æstu; & qui pati norat, norat & miseriis nostris compati, pro nisque Superos omnes ac Deum exorare: quid ni idem quoque faciat, in Cœli ac beatitatis gremio, extra doloris & miseriarum aleam constitutus? Neque enim ut ait D. Bernardus, *Quia impassibilis omnino, ideò & incompassibilis factus est; sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ cum ante fontem Misericordiæ existit.*

III. Auxilium Sanctorum. Auxilia Sancti, quod è Cœli regia ac beatitatis sede petitur, accedere vult exemplum Sancti; *Qui quamdiu in terris visus est, non declinavit ad dexteram, neque ad sinistram; sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dicit: Ego sum Via, Veritas & Vita.* Eidem semitæ si nos insistamus, eandem quoque felicitatis metam assequemur: atque ad eam evocat festiva illa solemnitas: prius tamen etiam ad alterum, quod digito monstrat Virgineus Doctor: scilicet *ad confusionem nostram*; ut qui ea oderimus, quæ amarunt illi; ea fugiamus, quæ secuti sunt illi, quamvis *ex eodem luto formati isti, ex quo & nos.*

IV. Confusio nostra.

Homines, inquit, *isti fuerunt, qui præcesserunt nos, qui tam mirabiliter prææesserunt per vias vitæ, ut eos homines fuisse credamus.*

Ecce quis pudor in ora frontemque evadere debeat, dum abjecti fœdeque prostituti terimus vias invias, qui per altiores vitæ semitas elato sublimique animo incessisse debuimus. Ex hac naturæ nostræ in malum conniventia hoc conficiet Christianus ex D. Bernardi Logicâ: *Sic ergo in Sanctorum festivitatibus & gaudere, & confundi debemus: Gaudere, quia patrones præmisimus; Confundi, quia eos imitari non possumus.* quamquam & possumus, si modò velimus: velle enim hac in causâ, est etiam posse: Quidni enim possimus quod isti & istæ? quod imbellis fœmineusque sexus? quod virgines tenellæ, molitaque naturæ suæ conditione pectora potuêre? Hoc argumento quondam usus Tertullianus, gravis morum censor ac arbiter, ubi altiore, ut solet, stylo dixit luctatores prodire *de umbrâ ad Solem; de Sole ad Cœlum; de tunica ad loricam; de silentio ad clamorem; de quete ad tumultum.* tum longè fortiores ac feliciores Martyrum animas pronunciat, itaque hortatur: *Proinde vos benedicti, quodcumque hoc durum est ad exercitationem, virtutem animi & corporis deputate. Bonum agonem subitura estis, in quo Agonothetes Deus vivus est. Xystarches Spiritus Sanctus, corona æternitatis bravium, Angelicæ substantiæ politia in Cœlis, gloria in secula seculorum.* Et quia huic agoni, luctævè repugnat & recalcitrat sibi nimium indulgens caro, ad animum meliorem hominis partem evocat, ibique carni diem dicit:

Tertull. ad Martyr. libro.

Colloquatur, inquit, *spiritus cum carne de communi salute, nec jam de incommodis carceris, sed ipso agone, & prælio cogitans. Timebit forsitan caro gladium gravem, & crucem excelsam; & rabiem bestiarum, & summum ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentu. Sed spiritus contraponat sibi & carni: acerba licèt ista, à multis tamen æquo animo excepta, imò & ultrò appetita; nec à viris tantùm, sed etiam à fœminis, ut vos quoque benedicto sexui vestro respondeatis.*

Hactenus Tertullianus, ex quo habes majestatis plenam orationem, quæ tibi stimulos addat ad audendum, jubeatque easdem cum Sanctis inire virtutum semitas; seu illæ ad supplicia, ad catastas, ad cruces, ad rogos, ad extrema ducant fata; seu ad edomandas passiones, & impetus animi ferociores; seu ad spontaneas corporis afflictiones, & intempestiva jejunia, in quibus dies festos exiges: non autem, quod in plerisque arguit D. Hieronymus, *Satur ad vomitum: valdè enim absurdum est nimiâ saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis.* *Epist. 19.*

Et hæc paucis dicta sint de fructibus quos ex cultu festivitatum (seu eas esse velis Domino dicatas, seu etiam Sanctis) percipere solet religiosus animus; cui ut stimulos addam, simulque irreligiosis illis mentibus horrorem incutiam, subjiciam minas & fulmina, quæ in violatores sacrarum festivitatum, evibravit vindex Dei manus, & scripta etiam cœlitus epistola aperuit super Altare S. Simeonis in Golgotha, ubi olim Cruci affixus Salvator optimus, inventa est ipsius Christi epistola, eâque cœlesti luce conspicuâ, visâque ab omnibus per dies, noctèsque omnino tres, non sine amabili spectantium stupore, quam deinde collegit, legitque Zacharias, illius loci Episcopus, & Patriarcha. Ejus porrò superscriptio hæc erat: *V. Pœnæ violatoribus decreta.*

Ego Dominus, qui præcipio vobis, ut observetis diem sanctum Dominicum.

Ubi hunc titulum, qui extrinsecùs videbatur, populo exposuit Patriarcha: tum evolvit, legitque quod erat intrinsecùs; videlicet comminationes, & fulmina maledictionum, in eos omnes, qui diem sanctum Dominicum, & ipsas etiam Sanctorum festivitates eâ quâ par est veneratione non colerent, sed potiùs ausu temerario violarent.

Eæ porrò minæ ad hæc ferè capita revocabantur.

Primum ducebatur ab irato æthere, è quo sævi ventorum turbines, tempestates fœdæ, densæ grandines, pluviæ prodigiosæ, quales esse solent cum sanguine pluit, aut saxo duriore; fulgurum, fulminumque crebræ emissiones; ut olim in Sodomam, & Gomorrham, quæ inde in cineres abiit, bustumque miserabile. *Henriquez in Fasc. SS. Ord. Cister. l. 2. Dist. 28. c. 2.*

Secundum à terra, quæ maligna quadam sterilitate damnatur, dum ea se genituram nullam effundet.

Tertium à fontibus, quæ ad impiorum pœnam exarescunt, & siccantur toti; cum antea piis fluentes & lympidas darent aquas.

Quartum ab animantibus, ferisque, quæ sylvas & latibula sua deserunt, ut in pagos, in oppida, in urbes incursent, & feroci dente jumenta, homines que petant, ac lacerent.

Quintum à Paganorum, & efferarum Gentium illuvie, dum toto campo acies explicant, & fundunt.

Et hæ in ea Epistolâ explicabantur minæ, quibus ad terrorem adjiciebantur etiam exempla; his scilicet major est fides, quàm verbis.

Unum erat fabri ferrarii, qui dum ferrum, in clavos tundit, aptatque, paralysi corripitur. *VI. Exempla illustriora.*

Alterum mulieris, quæ dum fila die festo diducit, formatque in telam, eodem morbo tangitur, atque insuper obmutescit.

Aliud etiam irreverentis fœminæ, quæ Dominico die dum panem fingit, ac coquit, ac deinde ad edendum frangit, videt, stupetque ex eo copiosum effluere sanguinem.

Postremum denique molitoris, qui Dominica luce molens, pro farina sanguinem effundi sensit, gemuitque: imò & astupuit ipsam molendini rotam, licèt valido incumbentium aquarum impete urgeretur, stare tamen immobilem: diceres edoctam esse non inflecti, non verti nisi ad Dei nutum, ac voluntatem: adeò hujus observantes sunt creaturæ etiam animâ vacuæ; cùm tamen illius terinens non sit homo & animæ, & sensus, & rationis apprimè compos.

DE SACRA CHRISTI DOMINI CIRCVMCISIONE.



Æc dies uti prima totius anni, ita maximè solemnis; tum quia in illa data quædam arrha Divini in nos amoris, effuso scilicet innoxio Agni, hoc est, CHRISTI Sanguine; tum quia simul impositum Infanti, IESU, id est Salvatoris nomen; tum denique quia datum re etiam ipsa pretium & lytrum aliquod redemptionis nostræ.

Durandus. Has ob causas nascens Ecclesia primis aliquot sæculis eam lucem festivam potissimùm habuit, coluitque etiam Sacro duplici.

Primum celebrari placuit in honorem pueruli IESU.

Alterum in MARIÆ gratiam; ut sic in fidelium oculos amorésque venirent & Verbum Infans, & Virgo Mater, & IESUS, & MARIA.

Nos avitæ pietatis æmuli Festum illum diem exigemus & amore & cultu duplici, & cordis & oris sacrificio: tam Filio, quàm Matri supplices ad genua accidemus.

EX D. THOMA.

Lucæ c. 2. AD illa Evangelistæ verba: *Vocatum est nomen ejus* JESUS.

Id primùm statuit Angelicus Doctor: *Nomen istud, 1. In corde retinendum, quia gaudium. 2. In Ore habendum quia jubilus. 3. In Aure servandum, quia melos. 4. In Manu ferendum, quia vinum. 5. In Fronte scribendum, quia honor.*

Deinde horum omnium rationem subjicit; & quidem

Primò, Quia nomen istud est *Admirabile*; & hoc etiam, 1. Quia *in virtute ejus omnia creantur.* *Psal. 148.* *Verbo Dei facta sunt omnia* 2. Quia *dæmones fugantur. In nomine* quippe *meo dæmonia ejicient.* 3. Quia *omnes languores curantur.* In eo enim nomine *serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit.*

Secundò, Est *Amabile*, & quidem: 1. Quia *peccatores justificat.* *Cant. 1.* *Oleum* enim *effusum nomen tuum. In oleo misericordia, in effusione abundantia.* 2. *Justos lætificat.* Hinc *laudate nomen ejus, quoniam suave est Dominus.* *Psal. 99.* 3. *Tentatos adjuvat. Adjutorium* enim *nostrum in nomine Domini*, *Psal. 123.* quia *Turris fortissima.* *Prov. 18.* 4. *Justis gratiam augmentat,* & tandem *salvat. Quicumque* enim *invocaverit nomen Domini salvus erit.* *Ioël. 2.*

Tertiò, Est *Laudabile*, & hoc: 1. Quia *Gloriosum nomen ejus in sæcula.* *Dan. 4.* 2. Quia *Sanctum nomen ejus.* *Luc. 1.* 3. Quia *Magnum*, quod scilicet *confitentur*, ô Domine, *omnia opera tua.* *Psal. 144.* 4. Quia *Novum. Vocabitur tibi nomen Novum*, inquiebat Isaias. *Isay. 61.* 5. Quia *Æternum. Genuit* enim *puerpera Regem, cui nomen Æternum*, ut piè canit Ecclesia.

Hæc ubi dixit, tum ad extremum id conficit: *Quod Inferi debent Nomen istud formidare, quia in eo expoliati; terrestres adorare, quia in eo redempti; Cœlestes laudare, quia in eo restaurati.* Et hæc summa Doctrinæ Angelici Doctoris.

EX D. BONAVENTURA.

A Corporea Infantis IESU Circumcisione ascendit ad spiritualem, quæ est animorum; In hac, inquit, considerandum est:

Serm. 2 de Circumcis. Primò, *A quo fiat*; scilicet, *à præputio nequitiæ*: ab hoc.

Prima Circumcisio fit in Corde, ab iniqua cogitatione & voluntate: hoc enim est *præputium cordis.* De hoc ita sacræ paginæ: *Circumcidite præputium Cordis vestri.* *Deut. c. 10.*

Secunda fit in Ore, ab incauta scilicet *locutione*; qua peccant mortalium plerique, qui ex culpa jactare possunt illud, quod olim ex animi demissione Moyses: *Incircumcisus labiis ego sum.* *Exod. c. 6.*

Tertia fit in Aure, à surda videlicet *obduratione*, qua laborarunt olim Judæi, ad quos ita Protomartyr Stephanus: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus.* *Act. c. 7.*

Quarta fit in Opere, à sordida scilicet *pollutione*: ne hac inquineris circumcidi debet præputii caro, insigni corporis & animi castitate.

Secundò, Considerandum est quo instrumento fiat Circumcisio: Nimirum *instrumentum Pœnitentiæ*, cujus figura fuit acutissima petra, qua quondam *Sephora circumcidit præputium filii sui*; ut enim petra dura est atque acuta, sic & pœnitentia: *Exod. c. 4.* *Acuta* quidem *per Contritionem*; verè quippè *acutum debet esse ferrum compunctionis, quo non octo tantùm dierum, sed multorum annorum abscindi debet animæ præputium.* Acutum dico per Contritionem; *Acutius, si addas Confessionem; Acutissimum, si adjungas quoque Satisfactionem.* Ad hanc & illas te venire decet, ô peccator; *quia si pœnitentia acuta non circumcideris, sententiâ summi Iudicis acutâ circumcidêris.*

Tertiò Considerandum, *quando*; in omni scilicet ætatis gradu, Infantili, Juvenili, Virili, Senili; nam & in his exundant scelera quæ circumcidantur: Cujus typum habes in domo Abrahæ, in qua Isaac octavo die Circumcisus, hoc est ætate infantili; Ismaël tredecim annorum, id est, juvenili; servi adulti in virili; Abraham nonaginta novem annorum in senili.

Quartò

Quartò Denique Considerandum est *pro quo*, id est, quo fine fiat ea Circumcisio spiritalis; ut scilicet sit signum fœderis Deum inter & hominem; Hujus finem expressit ipsum Numen Moysis calamo, quo sic olim ad Judæos: *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me & vos. Pro fœdere tantæ amicitiæ libenter deberemus circumcidi* inquit D. Bonaventura, (Serm. 3.) hoc est, & superflua & noxia resecare; ad quod ut ratione veluti manu ducat S. Doctor, subjicit deinde quatuor causas Circumcisionis illius spiritalis.

Prima est pro mortis æternæ evasione: Hanc expressit Deus ore Ieremiæ, (Cap. 9.) dum ait: *Visitabo super omnem incircumcisum; & super Ægyptum*, quod interpretatur tenebræ, id est, super impudicos, & amantes operum tenebrarum; *& super Iudam*, quod interpretatur *glorificans*, id est, *superbos*; *& super filios Edom*, quod interpretatur *sanguineos*; *& super Amon*, id est, murmurationis & discordiæ reos; *& super Moab*, id est, malas patrum vias sequentes. Ecce ut incircumcisos, id est, vitiis exundantes, visitat ac punit vindex Deus.

Secunda Causa, est *pro CHRISTI & Animæ conjunctione*; ut hæc fiat, opus est spiritali Circumcisione, ad quam sequetur nexus quidam amoris, & unio Animæ cum CHRISTO, ceu sponsæ cum sponso.

(Deut. c. 21.) Illius figuram expressere quondam sacræ Paginæ, quæ jubent ut si quis devictis inimicis mulierem pulchram habere voluerit uxorem, primùm eam introducat in domum suam; deinde ea cæsariem radat, & circumcidat ungues; tum vestem deponat, denique patrem & matrem fleat uno mense.

Mulier illa pulchra, est Anima, quam adamat CHRISTUS, ac deinde per Fidem inducit in domum suam, id est, Ecclesiam, in qua ut ex sponsi voto vivat, radit crines superfluarum cogitationum & curarum; tum *circumcidit ungues*, id est, *operum sordes*: tum etiam *vestem deponit, dum vetustam consuetudinem relinquit*; denique luget, ac plorat de infelici quondam patre diabolo, & insana matre, id est, concupiscentia; quibus ante paruit.

Tertia causa, est *pro digna Eucharistiæ perceptione*: *hæc est religio Phase*; quod ut comedat servus, id est, emptitius: emptus scilicet CHRISTI Sanguine, circumcidi debet ab omni vitio, saltem graviore. De eo non comedet *alienigena*, id est, excommunicatus; neque *advena*, hoc est, qui recenter ad fidem venit, nec in ea firmus est; neque mercenarius, qui plus æquo vacat lucris temporalibus; sed ab omni peccato liber, & circumcisus.

Quarta causa, est *pro vitæ æternæ adeptione*, ad quam etiam prævia esse debet Circumcisio, & hoc quidem ex Dei præcepto, ac voluntate: *Circumcidet* enim *Dominus Deus cor tuum, ut diligas Dominum Deum, & possis vivere*; (Deut. c. 30. v. 6.) utique vita spiritali atque æterna. Circumciditur autem cor dum à noxiis purgatur affectibus.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS.

Ad illa verba: *Postquam consummati sunt dies octò ut circumcideretur puer.* Lucæ c. 2. v. 21.

QVÆ CIRCVMCISIONIS INSTITVTIO? Quis finis? Quis minister? Quod instrumentum? Et cur illam admiserit CHRISTUS?



Evs ter Opt. ter Max. pro infinita bonitatis suæ inclinatione, cum Abrahamo pactum inivit, (Gen. c. 17. v. 10.) & fœdus æviternum, cujus tesseram ac signum esse voluit Circumcisionem, quæ dum carnem notabat, notabat & spiritum; ut ex eo tanquam ex stigmate nosces cujus esset peculium, nempè Dei.

(Quis finis Circumcisionis?) Solent oves in vellere accipere stigma, ut inde scias cujus sint, Melitonis, an Melibæi.

Erat Abraham, erat Isaac, erat & Jacob, posterique eorum omnes adscribendi in Dei populum; quod ut pateret etiam extrinsecus, Circumcisio primùm instituta, (Primus.) & transmissa in ætates longè consequentes, quæ dum fortè lapsu temporis intermissa, restitui placuit, (Iosue c. 5.) ubi populus sicco alveo Jordanem transiit. Et hæc prima ratio, princepsque finis hujus institutionis.

(Secundus.) Alter illi affinis, & ex eo quasi natus, est ut inde peteretur discrimen Judæos inter & Paganos, fideles inter atque infideles; hi quippè probroso quasi nomine dicti sunt Incircumcisi; illi verò Circumcisi, appellatione plena gloriæ ac majestatis, quæ usque ad novam Legem stetit: at ubi per hanc Circumcisio Baptismo cedere debuit, quæ priùs erat nota Fidelis animi, character esse cœpit infidelitatis, & Judaismi nimium tenacis suarum institutionum; à quibus dum corpori infligitur vulnus, majus animo plaga imprimitur.

Circumcisio, inquit S. Zeno, *testimonium mentis impuræ, jam, jamq́; illis imminere supplicium denotati vulneris inflictu minatur.* (Serm. 9. de Exod.)

Tertia ratio formandis ritè posterorum moribus (Tertius.) fuit accommoda; extulit enim insignem, dignamque Cedro Abrahæ Fidem, & Justitiam, quæ ex ea nascebatur; ut enim Apostolus de Abraham parente multarum gentium:

Signum accepit Circumcisionis, signaculum Iustitiæ Fidei: (Ad Rom. 4.) Et hinc petitur

Quarta ratio, (Quartus.) ut esset Circumcisio signum aliquod externum, quod demonstraret elui maculam originalem, seu ea gratiâ daretur Circumcisioni, seu Fidei illam administrantis; de quo disputant inter se Theologi, qui in hoc ferè conveniunt, Circumcisionem nec remisisse peccatum, nec gratiam contulisse ex opere operato (ut modò faciunt Sacramenta) sed potiùs ex opere operantis, hoc est, ex Fide, aut suscipientis, aut ministrantis, Deo ter Opt. ter Max. hoc illi beneficium tribuente. Et inde ducitur

Quinta ratio, (Quintus.) ut esset Circumcisio veluti typus aliquis, & figura Baptismi.

Denique ut continentiam doceret, insignémque castimoniam; & hinc affecit illud corporis membrum, in quo prima apparuit inobedientiæ pœna, prima adversus spiritum rebellio, à quo fit generis nostri propagatio, ac transfusio peccati Originalis.

Et hi ferè ſunt fines, propter quos in antiqua Lege data Circumciſio, quod paucis exprimit D. Hierooymus vel Author Commentariorum in Epiſtolam ad Romanos nomine Hieronymi:

Cur data, inquit, Circumciſio ſi per ſeipſam non prodeſt? Primùm ut agnoſceretur populus Dei inter gentes; Deinde ut cor, ora eorum agnoſcerentur in bello; Tum etiam propter gratiæ promiſſionem, in qua erant per caſtitatem placituri Deo; Denique ut Chriſtus ſignificaretur ex ſemine Abrahæ naſciturus, qui ſpiritualem afferens Circumciſionem, finem illi carnali erat illaturus.

Quis Minister?

Et hæc paucis dicta ſint de fine, quem Circumciſionis myſterio præfixum voluit Divina Providentia. Subdamus quæ de illius miniſtro Divi Pattes: Si quando Circumciſio fieret io Templo, aut Synagoga, indubiè tum illius miniſter erat Sacerdos, aut Levita; ſin autem domi, quod plerumque fieri ſolebat, pro miniſtru erat aut pater, aut etiam mater: & inde quia CHRISTI Circumciſio peracta in ſtabulo Bethleëmitico, hinc à Joſepho factam oportuit, ut pleriquе omnes volunt, vel à Diva Matre, quod nonnulli autumant, Sed quod inquies ad illam inſtrumentum?

Quod inſtrumentum?

Serm. 14. de Temp.

Divus Auguſtinus exiſtimavit Circumciſionem fieri debuiſſe cultro lapideo, & hoc quidem Dei juſſu ac præcepto; quod ſic olim ad Joſue: *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël.* Verùm dici poteſt id mandatum uni Joſue datum fuiſſe; non autem cæteris.

Ioſ. c. 5. v. 2.

Deinde eò loci ac temporis erat petræ copia; ferri verò & chalibis inopia ſumma: erant enim tum Hebræi in Arabia, quæ petrea paſſim audit à petrarum copia, ex quibus cultri formabantur acutiſſimi.

Denique id myſterio ſervire potuit, & CHRISTUM, qui erat petra, & à quo ſpiritus & animi Circumciſio peti debuerat, deſignare; de quo ſic disertè Juſtinus Dialogo contra Triphooem:

Prima illa veſtra Circumciſio olim fiebat ferro, & etiamnum fit, ideoq; permanet in vobis cordis duritia; at noſtra, quæ eſt ſecunda, fit per acutos lapides, puta CHRISTUM, & Apoſtolos, qui vitia cordis circumcidunt.

Hæc S. Juſtinus, cui utpotè Judæo danda Fides; ex eaque ſtatuendum, Circumciſionem paſſim factam acie cultri ferrei.

Cur eam admiſerit Chriſtus?

Sed cur hanc in corpuſculo ſuo, & innoxia carne admiſit CHRISTUS: SS. Patres, qui, in ſacratioribus Myſteriis, formandiſque moribus ſuot toti, alias atque alias rationes producunt.

I. Ratio.

Uoa eſt; ut inde probaret, ſe humanum ac terrenum induiſſe corpus: contra quod deinde inſurgere Manichæi, qui phantaſticum volebant; Apollinarius, qui Divinitati conſubſtantialem; Valentinus, qui de Cœlo elatum, non hauſtum è terrâ Virgine.

II. Ratio.

Altera; ut exemplo firmaret quod olim firmarat verbo, ac præcepto.

III. Ratio.

Tertia, ut oſtenderet ſe ex genere & proſapia Abrahæ; utque eum exciperent lubentiùs Hebræi, nec repellerent cum ſcommate velut incircumciſum, & à ſua gente Diviniſque præceptionibus alienum. Et inde die octavo Circumciſionem admiſit in ſacratiore Corpuſculo, carneque innoxiâ; ut ſe tenacem legis probaret, & in eam duceret, primùm exemplo, deinde verbo.

IV. Ratio.

Quarta, ut quia venerat eaterna ſpecie nobis ſimilis, utque Apoſtolus ait, in ſimilitudinem carnis peccati, & Circumciſionem, quæ hujus erat remedium, exciperet.

V. Ratio.

Quiuta, ut grave Moſaicæ legis onus ſuſciperet, quo deinde ſuos erat liberaturus.

VI. Ratio.

Sexta, ut ſic diabolum falleret, & aſtus æſtuſque inferni, à quo etiam de vulgo & inter peccatores cenſeretur eſſe, utpotè notatus iofami ſtigmate peccatoris.

Serm. 2. de Nativit.

Virtutem inſeparabilis à ſuo homine Deitatis per velamen noſtræ infirmitatis abſcondit; ſic illuſa eſt ſecuri hoſtis aſtutia, inquit S. Leo.

VII. Ratio.

Septima, quam affert D. Auguſtinus, ut à carnis Circumciſione ad eam transferret, quæ erat animi; & huic initium daret, & illi finem.

Serm. 9. de Nativit.

CHRISTUS ſuſcepit Circumciſionem ablaturus Circumciſionem ipſam, ſuſcepit umbram daturus lucem, ſuſcepit figuram impleturus veritatem.

VIII. Ratio.

Octava, ut jam inde à tenella ætatula primiſque diebus arrham daret, & pignus amoris ſui, & illius propenſionis, qua etiam tum ad dolores, ad cruces, ad ſanguinem, ad mortem ibat totus, etiam in ipſa Circumciſione probatus mundi Salvator, & re ipſa qui erat Nomine, JESUS.

Nona denique, ut ſublato è vivis, imo & è terris CHRISTO, ex eo aliquas ſibi reliquias hic Orbis inferior retineret: & verò ſacrum illius præputium retinuit non ſine amabili Dei Providentia, & miraculis, ioter quæ celeberrimum illud quod in Calcatæ templo, ubi religioſè ſervatur, aliquãdo viſum.

Bollandus 1. Ian.

Cùm enim illud ad multorum vota preceſque, è Sacrario eductom fuiſſet publicè venerandum, ecce Templum implevit gloria Domini, quæ & ſanctiſſimas Reliquias, & Sacerdotem, & Altare ipſumq ita obnupſit, ot per horas omninò quatuor nihil horum videri potuerit præter nubem, ſtellas, & ignis flammas, quæ ſurſum, ac deorſum per Eccleſiam ferebantur. Hoc prodigio territi uoiverſi, in lacrymas, in gemitus, in pia abiere vota: à quibus alii hujus miraculi famâ exciti eòdem ſupplices advolaruot: Ipſeque Pontifex Paulus hujus nominis qoartus de tota re certior factus, mirabiles Divinæ Providentiæ vias ſuſpexit & amavit.

Et hæc pauca de cauſis Dominicæ Circumciſionis.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Vt Circumcideretur.* verſ. 21.

AN EA CIRCVMCISIO CORPORIS, typus fuerit & umbra illius, quæ eſt Animi?



IXIMUS ideo CHRISTUM in carne innoxia excepiſſe Circumciſionem, ut nos eam in animo exciperemus; imò ſi voles, in iis corporis membris, à quibus infligitur peccati vulnus, & macula hominis incircumciſi. Fatendum enim quod res ipſa docet & experientia, Incircumciſa plerumque mortalium membra; Incircumciſum cor, oculi, lingua, aures, manus, pedes.

Incircumciſa membra omnia.

Unde iſtud D. Bernardi: *Tria ſunt præputia, quæ præciduntur: Carnis præputium in Iudæo; Cordis præputium in Chriſtiano; Linguæ præputium in perfecto.*

In ſomnentiis.

Qui

Quî autem præcidatur & hoc & illud, paucis docebimus.

Ut ordiamur à corde, principio ac fonte vitæ: ut hominibus aliud est, atque aliud; ita aliter atque aliter audit incircumcisum.

I. Cor, & illud quidem fluctuans

Primùm, Cor fluctuans est incircumcisum. Cordis agitationem *saltum* dixere Medici, Græci παλμὸν, palpitationem concussionemque violentam, quæ subinde emanat ad animam, estque illius perturbatio expers quietis.

Gen. c. 14.

Tale quondam fuit Caini, qui à facie Dei abiit profugus; vel ut Septuaginta vertunt, *tremens*; vel ut Syrus, *fluctuans, instabilis, nusquamve consistens*: Qui enim consisteret ille, cui conscientia non est in tuto?

Ps. 37. v. 11.

Tale etiam fuit cor Davidis cùm adulterii & homicidii reus esset; tum enim sic de illo: *Cor meum conturbatum est*; vel ut Vatablus: *Cor meum circumcursat, circumvagatur*; vanis scilicet ac turbulentis cogitationibus. Ne porrò sic circumcurset & circumvagetur, circumcidi debet timore Dei, ceu cultro, & bona ac secura conscientia, ceu arcâ contineri.

Ut Virgo muliebrem mundum in theca reponit ne sordes attingant: sic anima cor suum in pura abdit conscientia, ne labes inquinent peccatorum, inquit Remigius.

II. Cor duplex. Psal. 113.

Secundò, Cor *duplex* est incircumcisum. Tale fuit eorum, quos acriore stylo pungit Vates Regius, dum ait: *Corde & corde locuti sunt*, hoc est, *duplici corde*.

Lib. 11. Cap. 2. v. 14.

Paphlagonicas perdices duplici corde constare docuit Plinius; Symbolum utique malitiæ, & hominis perversi, & corde duplicis, quibus Ecclesiasticus mœstum illud ac terribile denuntiat.

Væ duplici corde, quod scilicet aliud ore, aliud animo fovet; aliud verbis, aliud reipsa.

Hoc genus hominum invisum Deo, qui summa Veritas, quæ simulatione convellitur; infestum hominibus, quia sic Fides & mutua communio tollitur.

Serm. 15.

Adulterium est apud Deum illud omne quod fingitur, inquit Tertullianus.

Tale quondam fuit cor Herodis, qui à mundi Servatore vulpes appellatus; quia scilicet *calliditate regnabat, præsidebat dolis, & simulatione pollebat*, ut ait Chrysologus.

Ideòque bellè expressus animantis istius nomine; *Vulpes enim est fraudis artifex, simulationis magistra, plena strophis.*

Psal. 7. v. 11.

Ne iis quoque plenus sis, ô homo, age cor circumcide, ut unum sit, simplex ac rectum: Si tale sit, benè habet, ab illo salvus eris totus: *Deus enim salvos faciet rectos corde.*

III. Cor avarum.

Tertiò, Cor incircumcisum, est *Cor avarum*; Tale quondam fuit divitis illius Epulonis, qui in æstu cupiditatis suæ, & insatiabilis avaritiæ, hæc auditus est jactare:

Luc. c. 12. v. 17.

Quid faciam? interrogantis vox est, inquit Chrysologus, *Et quem putas interrogabat ille? Erat in illo alter, quia ad ejus penetralia jam jam diabolus possessor insederat, & qui intraverat in cor Iudæ, mentis ejus tenebat arcanum.*

Infelix sanè qui eum possessorem admittit, eum hospitem fovit & interrogavit corde & labiis incircumcisis. Meliùs illi fuisset & dæmonem avaritiæ præsidem ab animo exclusisse, & luxuriantem illam auri bonorumque cupiditatem circumcidisse, & sic acie cultri pupugisse venam cordis ex salutis suæ cura, & consilio magni Præsulis B. Laurentii Justiniani, qui sic ad avarum:

Hom. 1. de Pœnit.

Punge venam cordis tui pœnitentiæ stimulis, & de imo corde educas aquam vivam in capite profluentem.

IV. Cor Adamantinum.

Quartò, Cor incircumcisum, est *Cor durum* atque adamantinum, quod nec blanditiis cœlestibus molliri potest, nec infernis minis flecti aut frangi.

Cap. 7. v. 12.

Tale fuit cor Sodomitarum; imò & Sacerdotum dum in vivis esset Zacharias Propheta, qui sic de illis tristi nænia: *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.*

De adamante illud mirandum, inquit Rupertus, *quòd, cùm tanta sit duritia, solo persusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissolvatur; unde congena similitudo est valdè: Cor suum posuerunt ut adamantem; quia cùm durissimæ cervicis, & cordis indomabilis essent contra Deum, mollissimi erant in omnem libidinis fluxum.*

Deut. c. 10. Lib. 28. Mor. c. 7.

Ne ex eo genere sitis aliquando, ô Christiani, audite illud Moysis ad Israelem, populum Dei electum: *Circumcidite præputia cordis vestri*, hoc est, interprete D. Gregorio: *Postquam luxuriam à carne extinxeritis, etiam superflua cogitationum resecate.*

Et hæc dicta paucis de corde incircumciso, subdamus nonnulla de aliis corporis membris ac sensibus; & quidem

Oculi incircumcisi.

Primò de Oculis: nam & hi plerumque incircumcisi.

Prov. c. 17.

Tales sunt *Oculi stultorum*, qui sunt *in finibus terræ*, hoc est, vagabundi per omnes terræ plagas.

Lib. de Pall. c. 3.

Hos Tertullianus *Emissitios* vocat.

Orat. 3.

D. Gregorius Nazianzenus *Intemperanter*, qui scilicet avidè se in alienam speciem & pulchritudinem ingurgitent.

Hom. 3. ad Pop.

D. Chrysostomus *Insilientes in formosos vultus.*

S. Hilarius, *Transcurrentes: Punitur*, inquit, *illecebrosa visus transcurrentis affectio.*

Gen. 6. v. 2.

Ita teste Moyse puniti quondam *Filii Dei*, qui *videntes filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores.*

De Vel. Virg. c. 9.

Erant illi Cœlo & Divina Prosapiâ digni; sed cùm virgines essent contuiti flore corporis & venustate præstantes, subitò incensi flammâ libidinis in flagitium præcipitaverunt. Quos Dei filios cùm Angelos fuisse putet Tertullianus, subdit hoc mirandum acroama unde aspectus incircumcisi periculum intelligamus. Debet adumbrari facies tam periculosa, *quæ usque in Cœlum scandala jaculata est.*

Gen. c. 34.

Ita deinde punita fuit Dina; Hæc puellari curiositate egressa est ut videret mulieres regionis illius; vidit, & periit: rapta enim est, & stuprum passa. Adeò verum illud Tertulliani: *Publicatio virginis stupri passio est.*

In tit. Ps. 50.

Ita etiam punitus & David: *Vidit ille de longe illam in qua captus est*, inquit D. Ambrosius; *Mulier longè, libido propè; alibi erat quod videret, in illa unde caderet.*

Ita denique, ut ad mundi cunas revertar, punita est Eva, & cum hac genus omne nostrum.

Vidit illa pomum quod esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile.

Quid deinde? Tulit, comedit, periit, & ab uno oculorum conjectu Orbem universum in ruinam traxit.

In c. 3. Thren.

Hinc, inquit D. Hieronymus, *pensandum est quanto debemus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui mortaliter vivimus, si & mater viventium per oculos ad mortem venit.*

Ne ad eam quoque venias, amice Lector, oculos aspectúmque circumcide, ne longiùs quàm par sit effluant, ne vagentur.

Cap. 31. v. 1.

Sic olim circumcidit cæteroquin invictus Job, qui hæc de seipso & candidè & verè: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

De oculis, quasi de inimicis loquitur, à quibus scilicet impeteretur, & cum quibus honoratum fœdus ineundum censuit. Et tu quoque ineas velim.

Aures incircumcisæ.

Ab Oculis ad Aures transeo: nam & hæ quoque multis incircumcisæ.

Primùm illæ, quæ vana & saluti noxia excipere gestiunt; vera autem & meliori vitæ conducentia respuunt.

Tales

Act. 7. Tales olim fuerunt Judæis, quos Stephanus Deo plenus, *Incircumcisis cordibus & auribus* appellavit.

Tales etiam, quæ impudicis capiuntur cantilenis, quæ molli in libidinem sono, lenocinioque verborum; contra quod extat illud Valeriani Episcopi Cemeliensis præclarum monitum:

Hom. 16. *Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad ea libidinosa vocis incitamenta respiciat, quæ cùm oblectant, feriunt; cùm blandiuntur, occidunt.*

Tales denique illæ aures, quæ detractionibus patent, quæ verba bonæ aliorum famæ adversa facilius admittunt, & tenaciùs retinent; imò transmittunt ad animum tenacisque memoriæ sinus, unde postea majore malo damnoque exeant.

Eccl. c. 28. v. 28. Ne porrò admittantur illa, monet Sapiens *Aures sepiendas esse spinis*, hoc est, forti & acerrima custodia muniendas; ne detractio per eas introeat.

Lingua incumcisa. Ab Auribus ad Linguam descendo: nam & hæc incircumcisa.

I Ambulatoria. Et quidem primò ea, quæ dicitur ambulatoria. Ab hac ambulat detractor, qui quod ab uno in alterius notam accepit, linguæ vehiculo transmittit in alium. Inde apud Hebræos detrahendi & ambulandi notio in unam voculam coalescit. Verbum enim *Ragal*, ut notat Oleaster, & *ambulare*, & *detrahere* significat.

In cap. 21. Num. *Voca*, inquit, *detrahere ambulare in lingua, quoniam detractor ab uno in alium locum discurrit, ut quod hic audivit, alibi referat.*

Hoc morbi genere laborant plerumque podagrici, ut jactabat olim Alphonsus Aragonum Rex; quia eùm pedibus uti nequeant, linguâ velut ambulatione quadam utuntur. Hoc laborant etiam hæretici, & blasphemi, quos sic Vates Regius:

Psal. 72. v. 9. *Posuerunt os suum in Cœlum, & lingua eorum transivit in terra*: Symmachus vertit: *Ambulavit in terra.* Primùm enim ausu planè temerario ascendit in Cœlum, profunda Dei judicia investigat, de occultis Fidei mysteriis ad suum captum loquitur, & detorquet ad sensus malè sanos: tum descendit ambulatque in terra, ut modò hos, modò illos maledico dente carpat. His proximi sunt blasphemi, qui linguam in Cœlum usque extendunt, Deúmque ipsum impetunt. Sed & alia lingua incircumcisa:

II. Obscœna. ea scilicet, quæ in obscœna labitur, & in iis se versat instar lutulentæ suis; cum hac quippe fœdi sermonis linguam componit Umbertus.

Lib. 2. Erud. Relig. 2 par. *Qui ori suo*, inquit, *ab inquinatione non parcit, ab homine quasi degeneravit, & in porcum transit: porcus non plus parcit ori, quàm pedi; ubi ponit pedem, ponit & os.*

Sic facit impuri cordis & oris homo: ubi pedem, seu affectum ponit, ponit & os ac linguam: & quia ille in luto ac sordibus fœdæ voluptatis est totus; inde & hæc in iisdem versatur, atque volutatur; imò seipsam, aliósque mergit.

Psal. 51. Testem habeo Prophetam Regium, qui hæc de lingua obscœna: *Dilexisti omnia verba præcipitationis.* S. Augustinus legit: *Omnia verba subversionis*; verè enim & se & hominem mergit impudica lingua. *Est tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis*, inquit B. Laurentius Justinianus.

III. Scabiosa. Obscœnæ linguæ affinis est ea, quæ à B. Petro Damiano dicitur, *Scabiosa*, quæ scilicet *veluti scabiem quandam atque pruritum patitur, nisi semper acuto*

Serm. 73. de vitiis linguæ *supervacua locutionis tongue scalpatur.*

Et hæc circumcidi debet cultro timoris, & metu imminentis Divini Judicii, in quo etiam de verbo otioso reddenda erit ratio: quod ne leve putea exiguúmque peccatum, attendas velim ut fortè mole leve sit; at numero fit grave: quod alia, atque alia similitudine ostendit ille ipse S. Præsul:

Quid penna levius, inquit, *& tamen si pennarum innumerabilis multitudo colligitur, necesse est ut portantis cervix veluti sub gravi lapide pressa frangatur.*

Quid rarius guttæ stilla? At si illa longiùs defluat, profluens unda decurrit.

Quid hora, imò quid momento brevius? At si horam horæ, momentum momento junxeris, annon efficis & sæcula.

Sic & verbum otiosum, etsi *leve peccatum videatur dum pensat homo; at grave est cùm numerat.*

Verùm & alia lingua est, eáque etiam incircumcisa, quæ ab Isaia dicitur, *Lingua maris*; ea scilicet quæ adinstar maris non evomit ex se nisi mortua, & cadaverosa: pejor certè atque infelicior mari; nam hoc dum rejicit, & à sinu suo reddit cadavera, atque in continentem revomit, iis se liberat ac purgat: at lingua maris, lingua hominis procellosi atque turbari, dum nihil eructat nisi immundum & cadaverosum, seipsam magis ac magis inquinat ac fœdat. Talis olim fuit Ægyptii lingua, de qua Vates: *Desolabit Dominus linguam maris Ægypti.* IV. Lingua maris. *Cap. 11. v. 15.*

Vidisti, mi lector, æstum ac vomitum marinæ linguæ: attende etiam illius ignes atque incendia. Nam & hæc quoque excitat irati hominis lingua, utpotè *Lingua ignis*, quæ aliorum gesta, famam, nomen, errores & vitia adlambit, imo depascitur: *Sicut devorat stipulam lingua ignis*, inquit Isaias: cui consonat D. Jacobus apud quem lingua ignis est, cujus vim ac velocitatem non facilè represseris, nisi reprimere detur Cœlo propitio; quod dum orat exoratque D. Augustinus, sic ad Deum suum: V. Lingua ignis. *Cap. 5. v. 24.* *Ep. c. 3. v. 6.*

Quotidiana fornax, nostra est humana lingua: Imperas nobis, & in hoc genere, continentiam; Da quod jubes, & jube quod vis. *L. 10. Confes. c. 37.*

Hæc S. Præsul ad Dominum supplex, ne quid à linguâ incontinente atque ignea pateretur mali. Si hæc ille, quid nos pusilli homunciones in verba præcipites, ac lubrici? Quos non æstus, quæ non incendia à lingua extimescemus?

Certè si, ut disertè D. Petrus Damianus: *Si, inquam, lingua ignis est, qua omnem virtutum nostrarum sylvam incendit, si totam nostræ mortalitatis inflammat, id est si omne meritum instabilis hujus vitæ nostræ incendio suæ damnationis devorat, nisi linguam suam quis discreta moderatione custodiat; quis de sobrietate, quis de castitate, quis de jejuniis aut aliqua se poterit bona operatione jactare?* Hæc ille, à quo discedo, & venio ad aliud incircumcisæ linguæ genus. *Serm. de vitiis linguæ.*

Est illa, quæ Hebræis dicitur *Leonina*: apud hos enim lingua, patria voce appellabatur *Leson*, id est, *Leunculus*: quia ut hic sævissimus; sic & illa: ut hic alia animalia subigit ac devorat; sic & lingua homines sibi proximos maledico dente petit ac mandit, contra communis naturæ leges & insitam cuique humanitatem, quam detractori objicit D. Chrysostomus, ut ab illa maledicendi licentia revocet: VI. Lingua Leonina.

Homo es, inquit, ne aspidum virus evomas; homo es, ne in belluam degeneres. ob eam causam os tibi datam est non ut mordeas, sed ut aliorum vulneribus medeatur. *Hom. 3. in Ep. ad Cor.*

Hæc aureus Orator, qui linguam homini medicam esse vult, lenem, benignam; quæ scilicet aliorum vulnera molliter lambat, aliorum si quæ sunt peccata, benignus elevet; labes eluat, & medelam, quà licet, afferat.

Hunc si audis, mi Lector, erit tibi lingua, qualis esse debet homini, bellè circumcisa.

Ut porrò ea sit, accipe, & serva illud Philosophi, *linguam ita circumcisam, custodiendam, seu recondendam esse sicut pecuniam*: quia nimirum ea cura, eo studio, ea circumspectione claudenda lingua est, atque avarus nummos servat.

Sed à Lingua ad Nares ascendo: nam & hæ mulcis incircumcisæ; eæ scilicet, quæ suavissimis odoribus plus æquò delectantur, corpusque effœminant atque emolliunt. Qui ex hoc genere sunt, ex vero sunt intemperantiæ mancipia, utpotè quæ suffitibus trahuntur ut boves funibus. Odoratus incircumcisus. Qui ex hoc genere?

Sicut

L. 2. Pædag. c. 8. *Sicut boves œstulis, ita intemperans suaveolentibus coronarum odoribus trahitur*, inquit Clemens Alexandrinus.

Ita Sapientia teste, tractus est incautus adolescens, ad quem sic meretricia voce impudens & procax fœmina: Prov. c. 7. *Aspersi cubile meum Myrrha, Aloë, & Cinnamomo, veni inebriemur uberibus.* Venit porrò, inebriatus est, & *quasi bos ductus ad victimam.* Tantum à meretricis odoribus malum fuit. Sed & aliud est unde nares myſticè haberi possunt & dici incircumcisæ; nares quippe oblongæ symbolum sunt animi suspicantis, ac proni in judicia temeraria.

Qui hoc laborant vitio similes sunt onagro, de quo Jeremias: Cap. 2. *Onager assuetus in solitudine desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.*

Ut enim onager ibidem æstuans ventum naribus attrahendo indagat fœmellam etiam dissitam quàm longissimè; sic homines malè nasuti, & auram rumusculorum captant, & ex ea temerè de aliis suspicantur ac judicant. Et hoc aliter atque aliter ex alia; atque alia amoris sui inclinatione.

Nimirum hoc mortalibus vitium est, ut notat D. Basilius:

Facilius est animoque curiosum esse in alienis, quàm sua ipsius considerare.

Hanc porrò curiosæ mentis libidinem castigatam voluit olim Deus. Forte unus aliquis investigabat In ejus vita l. 1. c. 25. impensiùs, quid ageret B. Joannes Dei, itando sæpiùs ad ædes cujusdam viduæ; quod ut observaret, in eas quoque & ipse furtivo pede penetravit: vidit, lustravit, audivit omnia; sed ecce præter opinionem objecta isti misello species pudenda. Advertit enim in obvio pariete descripta sua peccata omnia, ut vel eo moneretur in illa oculos ac mentem figere, & ab aliis declinare; quod ut facere cogeretur etiam minis, armatáque Cœli vindicis manu, sensit strictum ensem fulgidum, ignémque suo capiti imminere. Quo spectaculo territus, propè exanimis concidit; Cadentem excepit, blandéque erexit Dei servus, simulque ubi quid subesset rei intellexit, opportunè monuit ne aliena scrutari disceret, ad illa oculatus, ad sua cæcus. Et nos ita moneamur oportet, ita sapiamus, nostráque timari discamus; non quæ aliorum.

Tactus incircumcisus. Venio ad ultimum corporis sensum: is est, *Tactus*, qui & ipse in multis incircumcisus: de hoc aliter atque aliter viri sapientes.

Theosebius castimonia excellens Philosophus, qui in omni vita cum uxore castè vixit ad stuporem & miraculum, *Tactum* appellat *sensum terrestrem, rebellem, trahentem animam ad perennem fontem generationis.*

D. Gregorius Nazianzenus adeo impotentem credebat in usura voluptatum, ut furorem illi Orat. 6. quemdam tribueret, & velut *Rabie laborantem* appellaret.

D. Hieronymus tactum *Vicinum insaniæ* vocitabat; & in vita S. Hilarionis, *Tactum & jocos esse dixit moritura virginitatis principia.*

Et hæc quàm verissima sunt de tactu incircumciso, qualis est alienorum corporum, & maximè fœminarum: imò & eorum, quæ ab his pendent, hisque adjacent; qualia sunt virginum crines, strophiola, annulli, & alia ejusmodi, quæ dum vel tangunt, vel circumferunt incauti adolescentes, simul & flammas impuri amoris circumferunt, quibus totì exardescant. Ideóque ab his avocandus quàm sedulò sensus ille, & circumcidenda nimia illa tangendi licentia.

Ita circumcidit D. Paulus in Ægypto mirabilis ob insignem vitæ morumque castimoniam; adeò quippe puritatis animi studiosus fuit, ut non dicam Coll. 7. *vultum fœmineum; sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri*, inquit Cassianus; tantum abest, ut è muliebri mundo immundo quicquam habere, aut tangere voluisset.

Hauserat nimirum illustrem illam raramque animi corporisque continentiam ab sui Servatoris exemplo, qui jam felicissima vita fruens, & versans nihilominus inter homines noluit tangi à religiosissima Magdalena, & dictum illud: *Noli me tangere*; ad æternam memoriam in Evangelio consecrare voluit, ut vel suo Oraculo, vel etiam exemplo doceret ejusmodi tactus esse fugiendos.

Et certè quidni fugiendi, cùm plerumque animæ lethales sint.

Aiunt Physici Salamandram si arborem terigerit, Plin. l. 19. c. 4. illius poma teterrimo veneno inficere, ut qui illa gustarit, illicò emoriatur. Sic & contactus lascivientis & titillantis puellæ sæpè in sensus, animumque virus spargit, quo omnis boni fructus inficiatur, & pudicitia emoriatur.

Ne porrò emoriatur aliquando in te, mi Lector, alieni corporis tactum fuge, maximè vero fœminei, Silvester Petrasancta Taumasia tom. 3. c. 25. nec ab hoc infici te unquam patiare.

In Ecclesia Hiberniæ, quæ *Kilekolana* nominatur, sunt quædam sanctæ reliquiæ, vulgo *Bernaulan*, quæ à fœminis tangi se haud patiuntur, quin manus statim obrigescant: atque utinam ita te tangi minimè patereris; imò nec unquam tangeres ipse, ne manus illæ, quas ad benè, pudicéque vivendum à Deo accepisti, aliquando fierent flagitiorum administræ.

Manus in homine vocabat Lactantius rationis ac De Opif. c. 10. sapientiæ ministras. Sed, ô nefas! ô malum! pudendis rebus ad obscœnum ministerium eas admovet homo, atque, ut ait Eusebius Emissenus, *Deputat ad instrumenta nequitiæ ornamenta naturæ.* Sed ne Hom. 4. in Epiph. longiùs, ea attigisse sit satis.

A sensibus ac membris humani corporis transeo ad illius excrementa; nam & hæc circumcidi debent, hoc est superflua in illis resecari; & quidem primùm in capillis; dein etiam in unguibus.

Capilli incircumcisi. Visitur in fœminis ea capillorum luxuries, visitur & in juvenibus qui molliores sunt & fœminam olent. Bisantii quondam, cùm defecissent funes, ad naves regendas usi fœminarum capillis; in quibus ea vis & copia fuit, quæ ad rudentes componendos sufficeret. Quod Bisantii ad naves; hoc Romanis olim ad arcus, quos ex fœminarum comis parari placuit & distendi: & hoc & illud fieri potuit sine noxa, imò cum laude; at illud non sine aliqua nota istius sexus cùm crines plus æquo discriminant, & in aures effundunt liberalius quàm patiantur modestiæ Christianæ leges, quæ ad decorum comptas amant; oderunt comptulas ad vanitatem.

Ut hæc reprimeretur aliquando fortè optandum esset etiam hoc quo vivimus ævo id quod olim sub Persarum Regibus Lidiæ populus. Erat his effusa cæsaries, & comæ æquò laxiores; eas rescindi Rex voluit, aut ingenti tributo redimi: admiserunt illi tributum, & magno ære spolia capitis redemerunt.

Fortè idipsum admitterent, penderentque tam comptuli adolescentes, quàm lascivientes puellulæ. Verùm ab illis discedamus, paucisque notemus quid ex sensu SS. Patrum per capillos intelligi possit, ac debeat, hoc maximè argumento, quo propè omnia vertimus ad mores rectè formandos.

D. Augustinus, *Capilli superflua rerum temporalium* In Psal. 51. *significant*; ut enim *hi sine sensu præciduntur illis qui Deo adhærent; sic & ista terrena, quæ habent tanquam capillos.*

Et hoc primum est quod Augustino judice de capillis factum velim.

Alterum ut de illis tanquam superfluis pauperi fiat benè: sic enim & Domini pedibus fiet quàm optimè.

Supra. *Tract. 50. in Ioan.*

Quod ipsum aliqua ratione docuisse visa est D. Magdalena ; hæc enim significavit *Quid de ipsis capillis boni fieri possit, quæ cùm flevisset super pedes Domini, capillis suis tersit, quos lacrymis rigaverat ; significans*, inquit Augustinus, *quia cùm misertus fueris alicujus, debes & subvenire si potes. Cùm enim misereris tanquam lacrymas fundis ; cùm subvenis, capillis tergis. Capilli tibi superflua sunt ; sed pedibus Domini, id est, pauperibus, necessaria.*

Postremum quod de capillis exemplo Divæ Pœnitentis actum velim, est ut illos effundas ad opera pietatis, non ad inanem luxum vanitatis.

Heldegaldus in ejus vita. *2. Reg. c. 22.*

Ita posteris sæculis fecisse visus Robertus Rex, qui viris Apostolicis regia manu pedes abluere & capillis tergere solitus, & hoc quidem genu flexo, & cilicio tectus ad stuporem omnium, & miraculum Regiæ demissionis ac pietatis ; quam ut audit, ita utinam imitaretur posteritas omnis, & maximè adolescentes comptuli, quibus, ut olim infelici Absalom, capilli justo longiores & cincinnati erunt pro laqueo, quo si non è quercu pendeant ut ille, at è furca, quam in erebo parat atque erigit vindex Deus.

Vngues incircumcisi.

A Capillis ad Ungues venio, nam & hi quoque incircumcisi. Qui sunt illi quæris ? Non eos tantùm volo qui corporis sunt, qui extremis adnascuntur digitis : Parum enim interest si hi longiores sint atque incircumcisi ; at plurimum si incircumcisum sit illud quod ungues symbolicè denotant : sunt enim ungues livoris & invidiæ symbolum.

Barbara tyrannorum immanitas ungulas adinvenit, quibus Martyrum corpora fœdè laniaret ; & invidia livorque suas habet ungulas, suos exacuit ungues quibus alios impetat & laceret.

Quid infelici viro præstat invidia quem in secretis conscientia quibusdam ungulis livor ipse discerpit, inquit D. Augustinus.

Nimirum ab invidia duobus est quàm pessimè : Primùm invido, qui seipse exedit, ac lacerat immisso quasi ungue in propria viscera : deinde ei cui invidet, quem etiam, quà potest, dilaniat.

Ita in ipsis propè mundi cunis duos perdidit, Cainum, & Abelem.

Serm. 4.

Invidia fecit ut mundi tota duobus angusta esset fratribus latitudo ; namque ipsa Cain juniorem erexit in mortem, ut esse solum zeli livor faceret quem primum fecerat Lex natura, ut disertè D. Chrysologus :

Serm. de Livore.

Fugiamus ergo *invidiam, obicem pietatis, obstaculum Regni Cælorum, viam gehennæ, pignus & primitias quasdam pœnæ perpetuæ*, ut rectè monet S. Zeno Veronensis, perpetuæ dico non solum à pœna, quam parat in altera vita, ævóque immortali : verùm etiam, quod mireris, ac damnes etiam in hac aura mortali : in qua causat odium immedicabile. Unde & antiquum illud : *Omni odio mederi posse, excepto odio quod ex invidia :* cujus hæc est ratio, quia invidia nullam habet causam ; adeóque nec medicamentum.

Plura de hoc argumento in præsentia non addo, quia satis obvia ; & pro instituto nostro attigisse est satis.

QUÆSTIO TERTIA

LITTERALIS.

Ad illa verba : *Vocatum est nomen ejus IESVS.* vers. 21.

AN AVGVSTISSIMVM IESV NOMEN, idem sit quod in Hebræo ineffabile DEI *nomen IEHOVAH?*

IESV nomen. *Gen. c. 32.* *Lib. 1. Ep. 413*



IACOBO quondam cum Deo luctanti, quærentique quod illi nomen, illicò responsum : *Quid quæris nomen meum, quod est mirabile ?* quasi diceret ut notat Isidorus Pelusiota : *Quid quæris nomen meum, quod nec legis est, nec eorum, quorum ætas legem antecessit, cognoscere : verùm sero tempore, cùm temporum plenitudo venerit, IESVS incarnatus nuncupabor.*

Hæc olim Jacobo Verbum Æternum, qui nomen suum tum temporis ita latere voluit, ut deinde post sera sæcula, mœstosque soles revelaret.

I. Mirabile.

Et hoc est IESV nomen, nomen omninò Mirabile, de quo mihi in præsens erit quæstio ad illius Cultum, Dignitatem, ac Majestatem instituta : ea scilicet, An idem sit, quod olim ineffabile nomen IEHOVAH ? saltem an affine ?

Comment. in Psal. 8.

Jacobus Valentinus Episcopus Christopolitanus existimavit idem esse : Probat primò quia *Iesuah*, quod latinè IESVS dicitur, est nomen *Tetragrammaton* constans his litteris : *Iod, He, Vau, He*, quæ si rectè cum suis punctis combinentur, reddunt nomen *Iesuah*, id est, IESVS.

II. Ineffabile. *Exod. c. 3. v. 14.*

Deinde IEHOVA, quod est ineffabile Dei nomen, latinè redditur in Exodo : *Ego sum, qui sum ;* vel hebraicè de verbo ad verbum, *Ero, qui ero* ; quasi diceret : Ego sum, qui ero Salvator ; & IEHOVA dicor, qui deinde IESVS.

Cap. 23.

Accedit Jeremias spiritu ac voce prophetica ; ubi Messiæ nomen exprimit, ait : *Hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus*. Hebraicè IEHOVA, sive IESVS. Ad Jeremiæ vaticinium adjice Apostoli verba tanquam expressa Veritatis oracula quibus mirè extollit Messiæ nomen, aitque esse *super omne nomen* ; at nullum tale nisi IEHOVA.

Ad Philipp. c. 2.

Hæc illi & piè & doctè : an ex germano sensu, & rigore litteræ, hic non disputo ; neque enim de apicibus, ac punctis hebraicis quæstionem instituere mihi est animus ; in præsentia satis erit, illud evincere.

Si IESV nomen idem omninò non sit ac IEHOVAH ; at saltem illi quàm maximè affine, & illud propè reddere.

III. Divinum.

Ineffabile nomen IEHOVAH, nomen erat Dei, & quidem *Tetragrammaton*, hoc est, quatuor litterarum exprimentium tres Personas & unam Essentiam.

Prima enim littera *Iod*, quod est *Principium*, significat Patrem.

Cap. 1. v. 4.

Secunda, *He*, id est vita, Filium indicat : *In ipso vita erat*, inquit Joannes.

Tertia, *Vau*, id est, nexus, notat Spiritum Sanctum, qui Patris ac Filii amor, adeóque substantialis quidam nexus.

Quarta rursum, *He*, cum suis punctis exprimit Unitatem Essentiæ.

Ecce quæ mysteria, quæ arcana, quæ prodigia Veritatis in uno nomine, & eadem propè in nomine IESV hebraicè ut multi reddunt *Iesua*.

Prima

Prima quippè littera est, *Iod*, repræsentans Patrem, sive principium in Divinis: Secunda *Schin*, id est, Deus seu Dei Verbum: Tertia, *Vau*, referens Spiritum sanctum: Quarta, *Ain*, id est, fons, qualis est Deitas in Divinis, à qua, ceu perenni fonte fluunt omnia.

Comparatio nominis IEHOVA & IESV. Hæc Authores nonnulli, qui piè ludunt in hoc Nomine, & in ejus litteris mysteria legunt. Hæc reddo benevolo Lectori eadem fide; addoque pauca, quæ faciunt ad quandam affinitatem & cognationem nominis IEHOVA cum nomine IESV; petetur illa ex iisdem effectibus.

De illis mira prædicant hebræi, & primò quidem nomen IEHOVA fuisse Mirabile, & omnium propè fontem & causam prodigiorum. Magna quippè in illo vis in omnem partem, quam etiam in eos derivatam volunt, qui illud ut oportuit aut pronuntiassent, aut inscriptum gestassent.

I Utrumque miraculosum. Virga Moysis ad stuporem & miraculum prodigiosa fuit.

Si eam ad maria extendisset, secabat in partes, sic ut hinc & hinc essent pro muro, viamque darent Israëli etiam sicco alveo.

Et contrà si virgam revocasset, in suum locum coalescebant maria, Ægyptiosque undis involvebant.

Si ad flumina virgam extulisset, ea pro limpidis aquis sanguinem eructabant.

Si ad saxa durasque cautes, emolliebantur & aquas dabant. Si terram virga percussisset omnis illius pulvis in muscas vertebatur, & sciniphes.

Si in aërem nubesque sustulisset, reddebant illæ grandines & tonitrua, fulgura fulminaque jactabant, & ingentes flammarum globos.

Si in æthera, Cœlumque portendisset, & Solem & Lunam, & cætera mundi superioris lumina, tenebris occultabat & atra nocte tegebat: adeò prodigiis ferax ea Moysis virga.

At unde, inquies, unde tanta vis sterili atque exsuccæ virgæ? Certè ex nomine *IEHOVA* quod illi inscriptum.

Hebræi quippè docent virgam illam fuisse quadrilateram, sic ut in singulis illius lateribus singulæ hujus nominis litteræ essent exaratæ; non sine amabili Dei Providentia, quæ in hoc uno eminere voluit, tot ac tanta prodigia, non tam in virgam Moysemque, quàm in Dei nomen, quod ostentabat illa, esse referenda.

Quæ ineffabili Dei nomini vis indita; eadem & Augustissimo *IESV* nomini: ab hoc enim & aquis & cœlo innotuêre prodigia; ab hoc ipsis inferis terror, & vastitas; ab hoc morbis opportuna remedia.

Fuit in Josuë invicto duce cognatio quædam Divini hujus Nominis; fuit & si voles nomen *Iesuah*, id est, *IESVS*. Quid deinde? Ad illud Sol stetit, tanta eratnum in illo vis ac reverentia: *Typus erat IESV illud nomen, idcirco igitur hoc factum est; etiam propter ipsum vocabulum reverita est creatura*, inquit ore aureo Chrysostomus. Hom. 2. in Ep. ad Hebr.

Nimirum Sol, ille aspectabilis Orbis oculus, ut Josuë nomen advertit, & in illo, velut typo quodam, JESUM vidit, paruit illicò & citissimum cursum ad illius vocem sistit.

Ecce ut in Cœlos, Solemque evadit virtus illius nominis. Vis ut in aquas & mundum elementarem descendat? Accipe quid in India puero Ethnico. Inciderat ille in aquas, & jam iis hauriebatur totus, cùm fortè è ripa Lusitanus Christianus, sic ad illum: O puer, inquit, invoca JESU nomen. Paruit ille, JESUM inclamavit: & ecce illi aquæ adinstar solidi marmoris; per illas inambulat & littori redditur.

Ex eo loco, ac tempore, tantus puero in JESU nomen amor, tamque tenax ac grata illius memoria, ut vocatus nunquam responderet, nisi JESU nomen audisset. Nec mirum; quia ab illo salus ac vita primùm corporis, tum etiam animæ per salutares Baptismatis aquas.

Ab his ad morbidos venio; nam & in illis ab hoc Nomine sanitas.

Hoc est Nomen, inquit S. Bernardinus Senensis, *quod dedit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis.* Tom. 2. Serm. 49.

Cujus probè conscius Apostolorum Princeps cùm stipem rogaretur & argentum & aurum; nec hoc, ait, nec illud *est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine IESV Nazareni surge, & ambula.* Surrexit porrò, & ambulavit: Adeo prodigii plenum ac ferax IESU nomen, adeò celer & efficax ab illo remedium. In Act. c. 3.

Quasi fulgur exilivit ab ore Petri cùm nominatum est IESV nomen, inquit B. Petrus Damianus; illi fulguri caro pervia; consolidatæ ab illo bases & plantæ. Serm. de Nativit.

Si à corporibus morbos expulit JESU nomen, & dæmones ab illis, velut injustè usurpatis hospitiis.

In Ecclesia nascente si quis à Baptismatis innocentia ad alicujus lethalis vitii luem decidisset, in hujus pœnam à dæmone possidebatur; ut qui peccatum, ceu malum hospitem, animo admisisset, & dæmonem velut tyrannum corpore reciperet, Numine sic illatam sibi injuriam vindicante.

Huic malo remedium erat à nomine JESU, quo audito & hospitium humani corporis deserere maligni spiritus, & in tartara præcipites relabi.

Nomen IESV lymphatos sanat, & dæmones exigit, inquit Origenes. Lib. 1. contra Celsum.

Philo Judæus, ubi agit de certamine singulari in quod contra Goliathum venit David, illius modum sic recenset. Erant, inquit, huic in pera pastorali saxa omninò quinque hausta è limpido torrente.

Primo inscripserat magni Legislatoris, magni Moysis nomen; secundo Abrahami; tertio Isaaci; quarto Jacobi; quintum notarat ineffabili Dei nomine IEHOVA (unde ut ante dixi & JESU nomen) & illo Goliathum, ceu carneam molem, ceu immanem colossum, impetit, ac stravit.

Quo enim potius? Tu, inquiebat ad Goliathum Dei invictus pugil David: *Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo; ego autem venio ad te in Nomine Domini:* à quo tibi cædes, mors, casusque miserabilis, mihi autem vita, ac victoria.

Et ita factum est, & factum benè: cecidit Goliath, cecidit non tam saxo percussus quàm victus Dei nomine.

Et ita cadunt tartarei Gygantes vel ad solum IESU nomen territi, atque prostrati.

II Ineffabile ac verendum. Alterum in quo convenit IESU nomen cum Dei nomine IEHOVA, est, quod ut hoc, ita & illud ineffabile, ac verendum.

Judæi ea erant erga Dei nomen reverentia, ut nemo unus omnium illud proferre auderet non solùm in familiari sermone, sed ne in judicio quidem: hinc si quando aut ratione suadente, aut judice exigente, aut urgente necessitate jurare cogerentur per Dei sui nomen, illud non usurpabant; sed tantùm illius litteras, hac formulâ: *Iuro per Iod, He, Vau, He.*

Datum illud venerationi sanctissimi Nominis, aut, si voles cum nonnullis, linguæ ad illud balbutienti ac titubanti. Indeque factum autumo, ut illi ipsi Hebræi crederent eos mira operari posse, qui illud ut decebat, pronuntiassent.

Ita Christum illustria in omni genere prodigia patrasse asserebant, vel hoc uno, quòd ineffabile Dei Nomen scitè, ac peritè usurparet.

Et factum *IESV* nomen quodammodo ineffabile: *Sanctum & terribile Nomen ejus*, inquiebat Regius Vates; quod tamen ex reverentia non expressit, sed tacuit. Psal. 110.

Et ipse cœlestis genius, ubi cum Virgine de puerperio egit, etiam ex veneratione, Infantis nomen reticuit; ait enim: *Sanctum quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei.* Norat utique bonus Angelus, quod illi Nomen; at silentio tum pressit: ut vel hoc uno pusillos mortales doceret aut reticere Nomen illud, aut voce sonoque timoris ac reverentiæ pleno, proferre.

Hom. 26. ad Popul. Et certè, si, ut rectè D. Chrysostomus: *IESV Nomen super omne nomen venerandum, si in omni terra admirabile, si ejusmodi quod audientes dæmones horrent; quomodo illud temerariè circumferemus? Nonnè dum Deus, dum IESVS nominatur oportet horrere?*

In l. Probl. Si Romani Plutarcho teste Deorum suorum nomina prounntiare nefas ducebant; quidni in scelere reponemus JESU nomen ore profano edidisse?

Certè Isaias Propheta etiam puris à cœlesti igne labiis, tamen JESU nomen prodere veritus; dum enim fatidico spiritu futura enarrat: *Ecce*, inquit, Cap. 7. v. 14. *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* JESUM eo loco ac tempore non extulit. Nimirum illud Angelico Gabrielis ori oraculoque servabatur; ut vel inde disceres Angelicum esse oportere illud os unde sonat & auditur IESVS.

III. Pretiosum, & salutare. Venio ad aliam Divinorum nominum IESV ac IEHOVA inter se communionem: ea ducetur

Primò ex hujus atque illius pretio & æstimatione; tum ex salute, quam tam hoc, quàm illud afferre solet.

Æstimationem ineffabilis nominis IEHOVA inde pete; quod in fronte summi Sacerdotis in lamina aurea inscriptum, ad dignitatem ac majestatem ostentaretur.

Hom. 26. ad Popul. *Tam venerandum erat Dei nomen, ut nemini litteras nominis ferre liceret nisi sacerdotum Principi*, inquit Chrysostomus.

Vis nosse quanti JESU nomen fecerit Messias? Attende quo pretio emerit: non alio certè quàm suo Sanguine; nec enim priùs audit JESUS, quàm Circumcisionem in carne passus: tum enim vel à Patre, vel à Matre vocatum est nomen ejus JESUS, id est, Salvator, à salute generis nostri, quam etiamtum Sanguine emebat suo.

Alexander Magnus Sichonio in obsidione saucio & sanguine madenti dixisse fertur: *Quam carè emeris præclarum nomen*; ominirum quod sanguine (in quo est vita) emitur, carò emitur: & ita Infans Dei Verbum JESU nomen emit, ut ex pretio illius, sua quoque esset apud mortales immortalesque æstimatio.

Certè homines inter ea nomina pluris facimus, quæ labore, sudore, sanguine comparavimus, quàm illa, quæ à natura, vel parentibus indita. Ita Scipio Africanus dici gestiit ab Africâ debellatâ. Justinianus Germanicus à subacta magna Germaniæ parte.

Et si parvis licet componere magna, à salute homini parta appellatus est JESUS, hoc est, Salvator, in quo veluti quodam bonorum omnium compendio, bonum omne includitur.

Facilè intelliges, inquit Origenes, *quomodo multa bona sit IESVS. Vita bonum est, IESVS est vita. Resurrectio bonum est, IESVS est resurrectio. Lux mundi bonum est, IESVS est lux vera. Veritas, Via, Sapientia, thesaurus denique omnium bonorum est IESVS.* Præf. in Ioan.

IV. Terribile. Alia similitudo nominis IESV & IEHOVA in eo posita, quod tam hoc, quàm illud sit terribile, & malis malum acfatale.

Jactant inter Hebræos Rabbini Moysem justo zelo in Ægyptium nominis IEHOVA excitatum, eum occidisse sola pronuntiatione nominis IEHOVA: de quo sit penes illos fides. Erit enim fortasse unus aliquis, qui illud in controversiam vocabit: At hoc extra litem est, quod de illo Vates: *Sanctum & terribile nomen ejus.*

Terribile, inquam, malis, quos Cœlum odit, & Deus ipse non sustinet.

Et terribile quoque JESU nomen.

Primùm inferis & stygiis illis spiritibus; dein etiam hominibus, quos Ecclesia & superi aliquando ut hostes habent.

Testis erit Paulus, qui dum esset Saulus & Ecclesiæ persecutor, vim illius nominis prostratus sensit & confessus est. Dum enim equo ferox, ferocior animo Damascum properaret, & vincula cædémque Christianis meditaretur, sic ad illum Dominus: *Ego sum IESVS, quem tu persequeris.*

Non ait: Ego Dominus, ego Judex, ego Vindex, ego Deus; sed ego JESUS: & hoc ad terrorem fuit satis; imò ad vitam meliùs instituendam. Et hæc Cœli indulgentia fuit. Patendum enim subinde JESU nomen terrere ut salvet, subinde etiam ut noxios suo vitio malè perdat.

Tam hujus, quàm illius exemplum habes in historia quam subjungo.

In mari Indico Lusitani quinque parvo navigio vehebantur, cùm ecce derepente incurrunt in Barbaros centum viginti quinque; quorum telis illicò erant obruendi, nisi & his terrorem ac periculum, illis autem salutem, atque incolumitatem attulisset invocatum opportunè JESU nomen: dum enim ad manus venitur, Lusitani Christiano more JESU nomen inclamare, simulque tela in hostem jacere. Mirum dictu, visuque! à Lusitanis sterni victoria, nemine desiderato; Barbaris autem omnibus partim cæsis, partim fugatis: adeò malis terribile est JESU nomen. Maffeus Hist. Ind.

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad eadem verba: *Nomen ejus IESVS.* V. 21.

QVIS IN MISEROS MORTALES FRVCTVS deriVetur ab Augustissimo IESV *nomine?*

Qui fructus? Serm. 4. DIvus Bonaventura ea quâ solet piæ mentis & sacratioris eloquentiæ ubertate, quatuor fructus colligit è Divino JESU nomine.

I. Venia. Act. c. 10. Primus, est *Venia in Conversione. Huic enim omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem accipere per nomen ejus.*

Non unus aliquis Propheta (quod ad Fidem, conciliandam satis esset) sed omnes uno velut ore testimonium reddunt, quod à Jesu nomine venia sit danda cuivis sceleri, & quantumvis scelerato; si modò ad illud aspiret, illud efferat pœnitentis animæ sono.

Quod ipsum Prophetico spiritu longè antè agnovisse visus est David etiam crimini immersus suo; ait enim: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* Psal. 24.

Agnovisse etiam visus Augustinus & ipse variis involutus

involutus sceleribus, à quibus ut sese faciliùs expediat, sic olim ad JESUM, spes suas, amores suos, delicias suas.

Med. c. 39. *Propter temetipsum sis mihi* IESUS; *noli Domine sic attendere malum nostrum, ut obliviscaris bonum tuum*; bonum, inquam, atque indulgens nomen tuum.

Rectè *indulgens*, quia ab uno JESU nomine etiam ore prolato, venia datur & peccatorum indulgentia.

Exemplo erit Sacerdos unus aliquis: is fortè concubiâ nocte dum sylvam transit ad scelus quod meditabatur patrandum; ecce ex illius latebris derepentè erumpit Sicarius, atque exclamat. Quis hâc viator? Hac voce ceu fulmine percussus Sacerdos, respondet: *Pauper servus IESU CHRISTI.*

Et hoc benedictum Jesu nomen secundò ac tertiò Villega fructus sanctorum. repetit. Tum Sicarius ferrum stringit & furibundo similis vulneríque imminens. Eccur inquit, tertiò idem nomen repetis, & inclamas illud: *IESU Christe, IESU Christe, IESU Christe.*

Mirum dictu! Vix augustum illud sacrumque Nomen extulerat ipsemet Sicarius, cùm mansuescere cœpit, iras ponere, ferrum recondere, & instar mitis agnelli recedere, ac Sacerdotem liberum dimittere. Imò quæ divini Nominis indulgentia mane insequenti ad ejusdem Sacerdotis ædes venire, supplex ad ejus genua accidere, peccata omnia quantumvis enormia in aurem deponere, & quidem summo doloris ac pœnitentis animi sensu; quem dum suspicit amatque Sacerdos ille noster, ex eo quærit, unde illi ea mens, is seu amoris, seu doloris æstus. Unde, inquam homini, misello, & gravissimis sceleribus obruto, cui Sicarius ait: Ex hesterno vespere, quo tertiò pronuntiavi benedictum illud *IESU nomen*, sensi me in alium virum mutari, præteritorum scelerum dolore tangi, & amabilis augustique nominis *IESU* amore succendi. Hæc ille mixtis amore doloreque lacrymis. Ecce ut Sacerdos salubre JESU nomen, ut Sicario salutare etiam ad animi vitæque in melius conversionem.

II. Gratia. Secundus, *Gratia in Conversatione*; hunc fructum adpromisit ipse Christus, dum sic olim ad discipulos:

Ioan. c. 14. *Paraclitus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*; quæ ad amœnam & Christianam inter Gentiles Judæosque conversationem, quæ ad gratiam conciliandam, quæ ad lucrandas Ecclesiæ animas spectabant.

Cant. c. 1. Et hoc quidem gratia nominis mei, quod oleum & mel effusum. *IESUS* enim Bernardo judice *mel* Serm. 15. in Cant. *in ore, melos in aure, jubilus in corde.* Ecce gratia Divini illius Nominis.

III. Victoria. Tertius, *Victoria in Tentatione*; illius testes erunt Apostoli, quorum hæc ad Christum verba: *Domine* Luc. c. 10. *in Nomine tuo dæmonia subjiciuntur nobis.*

Ita nimirum tartareas illas potestates in Nomine JESU subjici & vinci oportuit; cujus figuram aliquam expressam habes in eccertamine, quod Davidi cùm Goliatho singulare fuit.

Insultabat Israëli, hoc est fideli populo, carnea illa moles, nec è toto exercitu unus omnium erat, qui manum cum illo conferret: omnibus quà stupore, quà metu attonitis adsuit ille ò David, in aciem descendit, & sic ad Goliathum:

1. Reg. c. 17. *Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem venio ad te in Nomine Domini.*

Et verò in Nomine Domini venit, nam & illi lapidi, quo Goliathum solo instravit, inscripserat augustum *Iosue*, hoc est Salvatoris & *IESU* nomen, ut jam inde noscesà JESU dandam esse de hoste & tentatione victoriam.

Goliathus enim est diabolus; hujus gladius tentatio carnalis; Hasta, tentatio spiritalis; Clypeus, simulatio boni. Hac quippe se tegit tartareus hostis: *David*, justus omnis, ac Deo fidelis. Domini nomine, nomine *IESU*, à quo uno victoria, & de quocumque insurgente triumphus; Verùm enimverò illud Psalmistæ: *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Psal. 43.

Ita sprevit, ita vicit Matrona nobilis; sed mundo muliebri ac vanitati addictissima. Agitabatur illa gravissima tentatione, cùm consilii causâ Patrem adiit è Franciscana familia, & ab eo remedium illi Histor. Minor. l. 5. c. 4. malo petiit. Suggessit ille, ut in æstu tentationum sæpiùs inclamaret Augustum ac Venerabile JESU nomen. Fecit illa, sed primùm trepida voce ac mente; deinde fiducia majore: & ecce ad salubre JESU nomen tentatio remitti primò cœpit, dein penitus evanescere: hinc reliquo vitæ tempore benedicto illi Nomini mirè addicta. Nec sine ubere ac novo indies fructu: quidquid enim à Cœlo per amabile JESU nomen petiisset, id omne impetrabat.

Quartus, est *Gloria in Remuneratione*; illam nimirum consequimur virtute ac merito sanctissimi nominis *IESU*. IV. Gloria.

Ita in ipsis Ecclesiæ cunis adpromisit Deus D. Ioanni, qui hæc in altiore mentis excessu:

Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum novum, & in calculo Nomen novum scriptum. Apoc. c. 2.

In manna abscondito significatur mira quædam suavitas ac dulcedo cœlestium voluptatum: in calculo merces æterna, quæ redditur exacto labore diurno hujus ævi mortalis: nomen in eo scriptum, est divinum *IESU* nomen, *quod nemo scit, nisi qui accipit*; nemo enim nisi expertus novit quæ ab illo Ibidem. deliciæ, quàm puræ, quàm defecatæ, quæ ab illo lux, & quis divitioris gloriæ splendor atque amœnitas.

Uti contrà, quæ illo spreto cœlestium irarum fulmina, quæ decreta justo Dei judicio supplicia; quæ experti ii omnes, qui ab hoc sacro Nomine fuerunt alieni.

Hos inter Neapoli mercator, ut auro dives, ita Anno 1601. virtute pauper & vitiis gravis. Hic in extremo vitæ limine jussus pronuntiare *IESU* nomen. Respondit, *Non possum*; Cumque è Patribus Capucinis unus aliquis, qui morituro opitulaturus advenerat, injecisset; loco illius infelicis voculæ, *Non possum*; Dic P. Laurent. Maselli in vita B.V. l. 5. c. 16. age, *IESUS, MARIA*. Amabilia & benè fortunata sunt ea Nomina, quæ si in isto articulo protulisset æger; ab illis & gratiam isti tempori ac necessitati opportunam & inde etiam gloriam consequi potuisset.

Verùm illius vitio res accidit; mox enim ulciscente Cœlo, misellus ille in ferali lectulo ita corpus omne contorquere cœpit, ita in arcum diducere, ut occiput talis ipsis adhæreret; tum etiam os horrendum in modum distorquere; tum denique infelicem animam evomere; & hæc pœna fuit blasphemæ linguæ, quæ sacrum istud Nomen sæpè sæpiùs omni propè occasione, non sine illius injuria & infami blasphemia, usurparat.

Meliore sorte vitæ scenam claudunt alii, qui & in vita, & in morte illud usurpant; non tam inani vocis sono; quàm intimo affectu, cordéque.

Et ita usurpavit Joannes Baptista Archintius è Histor. Soc. Iesu l. 2. p. 4. n. 7. Societate IESU, qui ut hoc sacrum nomen deferret ad tumulum, pectori appressit, impressitque candenti ferro, impressit dico sacra JESU ac MARIÆ nomina, quæ priùs animo per pios, enthecósque affectus impresserat.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Bollandus in vita S. Macharii, 2. Jan. c. 9



PUD Eremicolas solitudo fuit invia & multum nominata, cui nomen *Schitium*. In ea habitabat S. Macarius; ad hanc nulla ducebat semita, neque terrenis aliquibus colligebatur aut monstrabatur indiciis; sed dumtaxat stellarum signis ac cursibus.

Quod illi Solitudini: hoc ego stabulo Bethleëmitico, in quo non Macarius unus aliquis; sed Verbum Infans. Ad hoc nulla duxit humanæ rationis semita, nullum omnino ex tota antiquitate vestigium; sed Stellæ, & quidem novæ signo, cursuque eundum fuit. Et certè eò etiam iverunt Magi, nec alio viæ duce usi sunt. Appello liberas illas, regiásque voces:

Matth. c. 2 *Vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum:*

Nimirum cœli Dominus cœli signo monstrari debuit. Quo enim potiùs? Deum in carne terra non tulerat. Deum in stabulo nec cœlum viderat. Deum in fœno nec homo senserat. Qui igitur sentiret, qui videret, qui etiam ferret? Nova opus fuit ac cœlesti luce, novo, ut ita dicam, cœli oculo. Et hic Stella fuit; Magos illa duxit, Gentis nostræ primitias: & nos illa ducet ad Infantis Verbi cunas, ad pedum oscula, ad cultum, ac venerationem. Ita spero, ita voveo.

EX D. THOMA.

Serm. ex Evang.

DUO hic excutit S. Doctor:

Primum, qui fuerint illi Reges, & cur dicti sint *Magi*, id est, *Sapientes*.

Alterum, cur Deo-homini recens nato obtulerint Aurum, Thus & Myrrham.

In primo, id est, in hac vocula, *Magi*, sive Sapientes, multiplex notatur istorum Regum sapientia; quam probat ex ipso Evangelii textu, rebusque tum gestis.

Primò, In illis fuit *Logica*, à qua scilicet mota est tam recondita, tam profunda hæc quæstio: *Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum?*

Secundò, *Arithmetica*, dum numeri ternarii vim, & occultam ac mysticam significationem agnoverunt; videlicet SS. TRINITATEM, quam & ternario donorum numero expresserunt.

Tertiò, *Astronomia*, quâ edocti & Stellam ejus in Oriente viderunt, & quid ea portenderet, cognoverunt.

Quartò, *Musica*, à qua cum hilari voce cantuque fluere solet laus, & commendatio, quam testati sunt supplici adoratione.

Quintò, *Ethica*, seu Moralis scientia, quæ docet *scire humiliari*; & hanc re etiam ipsa ostenderunt *procidentes*.

Sextò, *Metaphysica*, quæ causam primam speculatione, ceu aperto quodam mentis oculo, spectat ac considerat.

Et ita spectarunt atque considerarunt *Magi*, hoc est, Sapientes, qui de prima causa tria cognoverunt, & per tria munera etiam reipsa confessi sunt.

Cognoverunt enim in hoc puero primam causam, hoc est:

1. *Omnium Creatorem*; & hunc testati sunt oblato Auro, in quo, ut canit Ecclesia, *Ostenditur Regis potētia.*

2. *Omnium Conservatorem*; & eum probavit extulitque Myrrha, quæ est præservativa.

3. *Omnium Reparatorem*; & illum agnoscere ac venerari cœperunt etiam in cunis incenso Thure. Quò enim potius? Thus Deo ter Opt. ter Max. immolatur, & in Cruce, ceu Ara quadam expiatoria, aliquando immolabitur puer iste.

Ecce quàm probè docti, quàm Sapientes hi Reges, quibus ex benigniore quadam Cœli luce atque influentia, datum est non sola speculatione (quod exiguum foret) sed & ipsa praxi (quod summum est) in Infante Bethleëmitico Deum agnoscere, amare ac revereri: Utinam & illorum doctrinâ exemploque eruditi eundem & agnoscamus, & amemus, & revereamur.

EX D. BONAVENTURA.

NOtat primò S. Doctor, Salvatorem aliis atque aliis nominibus hic describi.

In Epiph. Serm. 1. Dicitur enim primo *Puer*, & eum se exhibet in facili *peccatorum remissione. Parvulus est, & leniter placari potest*, inquit D. Bernardus. *Si offendisti puerum, & citò, & modico, & pomo ei reconciliaris; sic & pœnitens Christo.*

Secundò, dicitur *Dux*, † & eum se *præstat in tentatione. Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti.* *Exod. c. 15.*

Tertiò,

Tertio, dicitur *Christus*, id est, unctus; unctione scilicet Spiritus sancti, quem in Fideles instar unguenti pretiosi effundit: *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam*, dein in vestimentum. (Psal. 132.) *Caput*, *Christus*; *barba Apostoli*, Domino scilicet vicini, ut barba ori: *Vestimentum Ecclesia*; *Vnguentum*, *Gratia*.

(Matth. c. 2.) Quartò, dicitur *Rex*, etiam à Magis: *Vbi est, qui natus est Rex Iudaorum. Ille Rex omnes servos suos Reges facit & coronat*, inquit S. Doctor.

Quintò dicitur *IESVS*, id est, Salvator; cum se præstat in omnium salute.

Hinc Reges (id est interprete D. Bonaventura) perfecti, qui seipsos regere norunt, apertis thesauris offerunt munera.

(Serm. 4.) *Triplex* autem est *Thesaurus*:

Primus est *Cordis*. *Bonus* quippè *homo de bono thesauro cordis sui profert bona*: (Luc. c. 6.) de isto debemus proferre tria: 1. *Aurum dilectionis*. 2. *Thus devotionis*. 3. *Myrrham contritionis*.

Secundus Thesaurus, est *Oris*. *Thesaurus* enim (Prov. c. 21.) *desiderabilis requiescit in ore sapientis*; de isto etiam debemus offerre tria: 1. *Aurum laudationis*, maximè verò in tentatione: *Ab Aquilone aurum veniet*, inquiebat patiens Jobus, (Cap. 37.) id est, à tentatione, Aurum Divinæ laudis. 2. *Thus orationis*. hoc ad Aras sacratiores offert bonus Angelus qui D. Joanni visus est *habens thuribulum aureum in manu sua*, & *data sunt ei incensa multa*: hoc est multæ orationes Sanctorum. 3. *Myrrham Confessionis*. Ita Iudith unxit se myrrho (Cap. 10.) optimo: Iudith, id est confitens, hæc Holofernem, id est diabolum, confundit.

Tertius Thesaurus, est *Operis*; de hoc Evangelista: *Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo*. (Matth. c. 6.)

De isto quoque debemus offerre tria: 1. *Aurum Misericordiæ*, per liberales eleëmosynas: *Eleëmosyna* quippè *viri quasi sacculus*. (Eccl. 29.) 2. *Thus bona fama*. *Odor vestimentorum tuorum, sicut Thuris*, inquiebat Sponsus de Sponsa: (Cant. c. 4.) Vestimentum bona conversatio; ex hac bonus odor, bona fama. 3. *Myrrham abstinentiæ & mortificationis carnis*; hanc olim fudit Sponsa cujus hæ voces: *Manus meæ stillaverunt Myrrham*. (Cant. c. 5.) Eam Martyres, invicti pugiles totam effundunt; nos pusillæ mentes paulatim stillamus.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS.

Ad illa verba: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.* Matth. cap. 2. vers. 1.

QVI FVERVNT ILLI MAGI?
Vnde venerunt? Quò? Et quando?

(Quinam Magi.) E hoc & illo magna inter Authores lis est ac contentio; ex eo orta, quòd ea vocula, Magus, subinde in homine vitium arguat, & malas dæmonis artes; subinde etiam rerum occultarum indaginem & siderum ac cœli, ceu patentis libri, inspectionem atque examen.

(I. Sententia.) D. Augustinus, apud quem malè audiit ea vox Magus, censuit Magos illos, qui ad Christum venere supplices, malesanos fuisse:

(Serm. 2. de Epiph.) *Sicut prævalet*, inquit, *imperitia in rusticitate Pastorum*; *ita prævalet impietas in sacrilegiis Magorum*.

D. Augustino consentit D. Hieronymus, creditque, Magicis artibus haustaque ab ipsis dæmonibus doctrinâ, didicisse natum in terris Regem, de quo Balaam Propheta:

(In cap. 19. Isaiæ.) *Magi*, inquit, *de Oriente ducti à dæmonibus vel juxta prophetiam Balaam intelligentes natum Filium Dei, qui omnem artis eorum destrueret potestatem, venerunt in Bethleem.*

Divis Augustino & Hieronymo subscribit D. Ambrosius, cujus hoc pronuntiatum:

(In Luc. c. de Magis.) *Magi, licèt Magicis artibus, concilianda sibi studium Divinitatis impendunt; ortum in terris Domini crediderunt.*

Ecce quid senserint, quid docuerint tria illa Ecclesiæ lumina, quorum doctrinam altásque cogitationes stylo aureo, gravi ac melleo expressas suspexit Orbis.

(II. Sententia.) Alii de Magis mitiùs locuti ex astrorum peritia & melioris Philosophiæ studio, à quo Magi, hoc est, Sapientes, appellati.

Innocentius III. Pont. Max. hoc de illis in posteros emisit effatum:

(Serm. de Epiphan.) *Magi non fuerunt Arioli, sed Philosophi; quia magnitudine scientiæ sic sunt vocati; quia quos Græci Philosophos, Persæ Magos vocant.*

D. Leo in eadem Petri Sede hoc de illis extulit oraculum:

Gens in longinqua Orientalis plagæ regione consistens, quæ spectandorum siderum arte pollebat, signum nati pueri accepit; (Serm. 4. de Epiphan.) Et ex illo in viam se dedit, ut infanti recens nato supplex accideret, muneráque deferret; symbola unque piæ submissionis.

D. Cyprianus de illis quoque similia protulit: sic enim de Magis nostris:

Erant viri siderum inspectionibus assueti, qui arte Mathematica, vim discursumque noverant planetarum, qui ex elementorum natura rationem temporum metientes, astrorum ministeria certis experimentis propriis didicerant effectibus assignata.

Hos inter effectus, aut si mavis signa Cœli clementioris, fuit ea Christi Nativitas, quam Oriens de novo Stella monstrabat, affulgente, ut opinor, altioris Stellæ, hoc est, Divini luminis interiore appulsu, qui Magos impulit & duxit ad JESU infantis cunas.

Et hæc sententia mihi verisimilior videtur, & Magis consona bonis auribus, Magorúmque existimationi ac famæ; imò & nomini: quos enim Latinus Interpres Magos dixit, Syriacum Evangelium, *Magusin*; hoc est, *Sapientes* appellavit: quod ut in aperto sit & luce clariore, lubet hîc distinguere tria (Tria Magorum genera.) Magorum genera.

(Primum.) Primum erat eorum, qui dæmonis arte usuque qui præstigiis suis atque incantationibus, qui miris atque inusitatis in speciem prodigiis sibi nomen famámque apud popellum faciebant: & hi omninò mali atque damnandi.

(Secundum.) Alterum erat illorum, qui ex elementorum natura, causarum concursu, Cœli motu, planetarum periodis aliorúmque astrorum observatione, & futura præsagire, & occulta pandere videbantur.

Et hi non omninò mali, si modò intra naturæ ac rationis limites sese continerent.

(Tertium.) Postremum Magorum genus erat illorum, qui ad scientiam haustam ex astris profanámque illam sapien-

sapientiam etiam adjiciebant rigidius quoddam vitæ genus.

Tales fuerunt apud Persas, qui & doctissimi habebantur & maximè continentes, utpotè farinâ & olere in cibo contenti, amantesque sobrietatis, quæ sapientiæ mater est ac nutrix.

Et ex hoc genere fuisse Magos illos, qui duce Stella ad Christum vocati, par est credere. Vivebant illi more Philosophico, à vulgo secreti, addicti contemplationi siderum, & legis naturæ observantiores.

Tom. 9. Lib. 15. Horum Magorum meminit D. Hieronymus in Regula Monachorum. Et Strabo sic de illis: *Magi honestum vitæ genus sectantur.*

Et Philo Judæus in libro, quod omnis probus sit liber, sic de iis:

Apud Persas Magi naturæ sectatores, præ veritatis cognoscendæ studio, qui per otium Divinas virtutes contemplantur clarius, & alios iisdem initiant mysteriis.

Et hæc dicta paucis pro notione illius voculæ *Magi*, ne qua sit in nomine invidia, ne qua injuria in illis quos afficit. Transeo ad alterum quod in quæstione

An Reges? est; An hi Magi etiam Reges?

Negant nonnulli, tum quia Evangelista Regis nomen non exprefsit; sed Magi: tum quia neque ab Herode, neque à populo excepti ut Reges, Regio sumptu, atque apparatu.

Verùm hæ rationes exigui sunt ponderis; nec enim inde conficitur Reges non fuisse, quia id nominis tacuit sacer Historicus.

Ab authoritate negata nullum ducitur argumentum: quod tacuit, ideo fecisse potuit, quia nato Summo Rege, Rex ab illo alius non debuit appellari; vel certè fortè plus placuit Magi, hoc est, Sapientis, appellatio, quàm Regis.

Quod si eos neque Herodes, neque populus eo dignatus sit honore, quo Regem decuit; per me perquè veritatem licet; dic fuisse Regulos, nec summæ notæ ac subsellii Reges, Reges tamen: & verò eos tales habuit tota retrò Antiquitas, SS. Patrum authoritate firmata, communique populi sensu.

De Bapt. Christi, Serm. 1. D. Cyprianus, *Apparuit*, inquit, *Stella Regibus.*

Serm. de Epiphan. S. Maximus, *Regiis muneribus Christus honoratur.*

Innocentius III. *Magi Reges fuerunt*: quibus favet

Lt. adversus Judaeos, c. 9. illud Tertulliani: *Magos Reges ferè habuit Oriens.*

Et hinc descendu ad secundam partem propositæ

Unde venerunt. initio quæstionis. Unde ad infantis cunas advenêre Magi?

I. Opinio. Ab Oriente, inquit Evangelista, hoc est, à regione, quæ composita cum Judæa erat Orientalis; sed quænam illa? Adhuc in dubio est & alta nocte.

Ho. in Mat. D. Chrysostomus opinatur ex Perside venisse:

II. Opinio. & favet Magorum nomen, quod Persicum est, & illius regionis Philosophos, hoc est Sapientes, significat. *Persicum genus Magi*, inquit Basilius.

Orat. de Christ. gen. D. Justinus Martyr credit ex Arabia profectos; consentit D. Epiphanius, qui hæc extulit de nascente Christo:

In Dialogo cù Typhone. III. Opinio. In Dictiv. compend. *Nec multò post Arabum fines hujus rei notitia penetravit, & incolis Saba præclarà Stella luminis cœleste Numen novo splendoribus indicavit.*

Psal. 71. Hanc opinionem verosimiliorem faciunt illa Scripturæ vaticinia: *Reges Arabum & Saba dona adducent*, ut canebat David: *& omnes de Saba venient Aurum &*

Cap. 60. *Thus deferentes*, ut præsaga voce Isaias.

De Epiph. Hilarius Arelatensis advenisse ab extrema Æthyopiæ parte, Persis vicina, quæ aun ferax.

Alii etiam ex India magnis itineribus accelerasse.

Comment. de Orat. c. 21. Ita Navarrus & Ozorius, qui addit in India videri Templum Deiparæ Virgini erectum à Rege Calecutio, qui è tribus illis erat: de quo sit penes Authorem Fides.

IV. Opinio. Et hæc est sententiarum inter se pugna, quæ ostendit unum illud; vix certi quidquam statui posse, cùm neque ex sacris Paginis, neque ex Authorem fide satis constet à qua regione digressi sint Magi. Illud nimirum occultum voluit Divina Providentia, quæ usquedum evolvat, piæ conjecturæ ac commentationi locum relinquit; ex qua nonnulla proferam, quæ vero propiora.

Resolutio quæstionis. Primùm venisse Magos ex regione Orientali, quæ Bethleem ita vicina erat ut paucis diebus, qui inter Christi ortum & Epiphaniam intercesserunt, iter illud conficere possent.

Deinde venisse ex Mesopotamia Orientali, vel regione illi propinqua.

Ratio petenda est è SS. Patribus, qui volunt Magos fuisse successores Balaam, ejusque vaticinio permotos ad CHRISTI Infantis cunas venisse. Balaam autem fuit ex Mesopotamia; igitur & ex ea Magi. Sed & hic alia dubia incidunt: unum de loco, alterum de tempore, quo advenêre supplices Magi.

Ubi adoraruut? Ad locum quod attinet, censet Epiphanius inventum à Magis Infantem Deum, non in spelunca & stabulo Bethleëmitico; sed in aliqua domo oppidi Bethleëmitici.

Alii contrà & verius, in ipso stabulo, de quo ita D. Hieronymus: *Hic demonstratus à Stella, hic adoratus à Magis.* Ita nimirum ut piè D. Cyprianus: *In loco humili & supellectile vili Rex Regum & Dominus Dominantium invenitur, cognoscitur, adoratur.* Epist. 18. De Stella & Magis.

In præsepi tunc jacebat, & Magos ab Oriente ducebat, inquit D. Augustinus, *abscondebatur in stabulo & agnoscebatur in Cœlo, ut agnitus in Cœlo, manifestaretur in stabulo.*

Quo autem tempore; hîc rursus aliqua inter Authores dissensio, in qua singularis est D. Epiphanii sententia, qui credit Magos non advenisse nisi biennio post Christum natum. Ejus ratio ducitur ex eo, quòd Herodes jusserit interfici pueros à bimatu & infrà, secundùm tempus quod requisierat à Magis. Verùm bonâ veniâ tanti Præsulis, minimè hinc conficitur biennium abiisse cùm adventavêre Magi; sed tantùm inde arguitur immanis quædam ac protensa Herodis crudelitas regnandique libido, cui ut satisfaceret, etiam in infantes longè antè natos sævire voluit, ne fortè excideret ille, quem unum quærebat ad necem:

Hom. 7. *Quod à bimatu & infrà interfecit*, inquit Chrysostomus, *ne mireumur; siquidem pavor & furor, majoris securitatis & certitudinis causâ etiam tempus profert ne quisquam ejus ætatis & fortè is potissimum, propter quem alii interimuntur, effugiat.*

Et quando? Hæc S. Doctor, ex quo, conspirante etiam Patrum sensu atque Ecclesiæ traditione, habemus Magos advenisse die decima tertia à Christo nato, quæ nobis est sexta Januarii, tum fuit feria sexta; Natus quippe JESUS die Dominica, Dominica altera Circumcisus, & feria sexta proximè sequente inventus, agnitus, adoratus à Magis, & regiâ munificentiâ Auro, Thure & Myrrhâ donatus.

Magi tres? Tres enim fuisse censuit tota retrò antiquitas non ignara mysterii, quod in ternario numero latebat. Præsignabat ille gentes è tribus filiis Noë propagatas ad Christum stellâ, hoc est Fide duce, vocandas.

Cur tres? Præsignabat tres Orbis partes tum hominibus notas: Europam, Asiam, Africam ad JESU Infantis cunas aliquando educendas.

Præsignabat augustum illud, cœleste, divinum SS. TRIADIS mysterium, in quo ut Una Essentia; ita Personæ tres, quæ dum uni accidunt uni dona offerunt, Unitas indicatur Essentiæ, & Personarum TRINITAS ostenditur.

Et qui? Qui porrò fuerunt illi Reges quave ætate? Prodit Venerabilis Beda.

Primo quippè nomen *Melchior*, & hic senex fuit canâ & promissâ barbâ.

Secundo *Gaspar*, & hic juvenis fuit, imberbis, & facie modico rubore suffusa.

Tertio

Tertio, *Balthasar*, & hic colore fuscus, ætate perfecta ac virili.

Ita habes, in tribus tres præcipuas hominis ætates, adolescentiam in Gaspare, in Balthasare virile ætatis robur, in Melchiore canam ac venerabilem senectam.

QUÆSTIO SECUNDA LITTERALIS.

Ad illa verba: *Vidimus Stellam ejus in Oriente.* vers. 2.

QVÆ FVERIT ILLA STELLA?

Quæ Stella?

Tom. 9. D. Aug. l. 3. c. 40.



E hac Stella sua inter Doctores lis est & controversia.

Author operis de mirabilibus sacræ Scripturæ, credit fuisse Spiritum sanctum, qui Stellæ specie Magis

An Spiritus sanctus?

apparuit; ut deinde discipulis ignis specie, dum supra eorum capita sedit; ut etiam Joanni columbæ formâ, quæ Christo imminebat, eumque Servatorem mundi signabat.

An Angelus?

Theophilactus existimat Angelum fuisse, qui assumpta ad tempus Stellæ micantis figura ac luce sacræ illi scenæ serviret; ait enim fuisse virtutem Angelicam in assumpta sideris figura. Certè si Israëlem in Ægypto columnæ specie duxit Angelus; quidni & Magos Stellæ imagine ac splendore ad Christi cunas eduxerit?

Hom. 6. in Matth.

An virtus invisibilis?

D. Chrysostomus nec Angelum credit fuisse, nec Spiritum Sanctum; sed virtutem quandam invisibilem, quam plenam rationis appellat, quæ scilicet intelligentiæ Magorum illuxerit, ut solet oculis Stella.

An sidus cœleste?

Alii censuerunt unam ex cœlestibus fuisse, & quasi à suo Cœlo Orbeque revulsam; hoc etsi fieri potuit vi altiore ac Divina; at re etiam ipsa factum, à suavi Divinæ Providentiæ lege modoque agendi, videtur alienum; neque enim illa solet miracula facere, nisi necessitas exegerit.

Accedit quod sacer Historicus satis insinuet jam recens ortam ejusmodi Stellam, & ipsa Natali nocte Servatoris: at aliæ Stellæ aut firmamento infixæ, aut aliis Cœlis additæ, jam inde ab ipso Orbis initio conditæ.

Deinde aliæ in Cœlo fulgent, & à nobis quàm remotissimæ; at hæc de propinquo & in aëre nitebat.

Aliæ noctè intempesta scintillant & lucent; hæc etiam alto Sole mediaque die micabat.

Aliæ sicut jam inde à mundi cunis durarunt; ita durabunt in omne ævum: at hæc primùm assurrexit Christo nato, & officio suo quasi perfuncta; ubi Magos ad Infantis Præsepe duxit, evanuit.

Aliæ pleræque omnes & terram & Lunam magnitudine superant; hæc & illi & huic mole corporis erat inferior.

Denique cæteræ motum habent circularem, hæc autem rectum obtinebat. Imò subinde quiescebat, si quiescerent Magi; & quia eorum dux erat, eandem cum illis aut inire, aut monstrare semitam, eo ferè modo, quo priscis sæculis columna nubis.

Serm. 156.

Ambulante Mago Stella ambulat, sedente stat, dormiente excubat, inquit S. Chrysologus.

Et hæc ferè sunt discrimina, quibus Stellam illam ab aliis distinguere ac discernere possis; simulque conficere, quid de ea sentiendum ex saniore Philosophia.

An alia Stella?

Primùm, Stellam illam non fuisse ex earum numero, quæ in prima Universi molitione Cœlis additæ sunt, vel ornamento futuræ, vel lumini.

In cœlo, an in aëre?

Secundum quod è primo manat, fuisse ex materia elementari, & aërea, qualem in Stellam fingere formareque potuit Angelus.

Tertiò locum obtinuisse in aëre non procul à terra, ut & faciliùs feriret oculos & vehementiùs.

Quanta illi lux?

Epist. 14. ad Ephes.

Et inde factum autumo, ut lux illi major & intensior appareret, quàm aut aliis Stellis, aut etiam Lunæ, aut Soli; non quod indita luce Solem vinceret, ut voluit Sanctus Ignatius; sed quòd ardentiùs lumina vibraret, quia propinquiùs.

Quis illius motor?

Quartò, motorem Angelum habuisse, nec enim insita vi ita moveri potuit, ut modò huc, modò illuc ferretur, modò quiesceret, modò lateret, modò etiam emineret; quæ enim aguntur naturæ vi, eodem semper modo aguntur: ut liquet in elementis, quæ aut sursum, si levia; aut deorsum, si gravia, deferuntur.

Quomodo Infantis nati signum?

Serm. 157.

Quintùm, Stellam illam Christum Servatorem jam natum ostendisse, non tam natura sua quàm Authoris sui voluntate, quæ illius signum esse voluit: & inde dixêre Magi: *Vidimus Stellam ejus venientem non à genesi, sed à genitore: mandato, non fato; non à computatore, sed ab Authore, non quæ daret ortum, sed quæ sustineret occasum: Stellam non legiferam, sed signiferam; ferentem non dierum ordinem, sed noctium lumen.*

Nimirùm ut piè pergit D. Chrysologus: *Stella hæc ministra viæ, non vitæ; comes Magorum, non cognata Christi; non dominantis domina, sed ancilla servorum*: hoc est Magorum, quos duxit ipsa ad Christi cunas.

Serm. 158.

Nempe, ut eleganter S. Præsul: *Apparuit Stella non volens, sed jussa; non Cœli nutu, sed Divinitatis impulsu; non Lege siderum, sed novitate signorum; non Cœli climate, sed virtute nascentis; non ab arte, sed à Deo, non Astrologi scientia, sed præscientia Conditoris; non Arithmetica ratione, sed sanctione Divina.* Quam sensere Magi, non tam affulgente oculis Stellæ lumine, quàm interiore quadam ac cœlesti luce, quæ in eorum animos illapsa, ostendit quid portenderet, quid monstraret Stella.

Et hinc fiet satis illi quæstioni, quomodo Magi è Stella recens orta Messiæ Nativitatem agnoverint?

Num. c. 24.

Primùm enim dici potest Magos edoctos è Vaticinio Balaam, quo ortus Stellæ edicebatur tanquam nuntius novi Regis.

Serm. 156.

Non curiositate Chaldæa, non arte Magica, sed Iudaica Prophetia, inquit S. Chrysologus; qui etiam addit, prisca Sanctorum traditione majorum id ipsum didicisse, maximè verò ex lumine quodam interno Divinaque illustratione, quæ ad prophetiam, ad traditionem, ad Stellæ lumen accessit.

Serm. 1. de Epiphan.

Serm. 3.

Ut enim S. Leo: *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum; & quod fecit intelligi, fecit inquiri*; beneficio scilicet unius Fidei, à qua etiam factum, ut *quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum.*

Serm. 1. de Epiphan.

Nimirum ut piè D. Bernardus: *Occulta quidem est Fides, sed lynceos habet oculos. Cognoscit Dei filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi cognoscunt in stabulo: ille clavis infixum; isti pannis involutum.*

Serm. 3 de Epiphan. Et hæc de Stella dicta sint ex ipso litteræ sensu; ex mysterio subdamus pauca.

Quid mystice ea Stella? Fuit illa Magis, ut pulchrè D. Augustinus, *Cælorum lingua*: per hanc quippè locuti mortalibus Cœli,

I. *Lingua cœli.* Verbum infans aperuerunt, & Deum, qui in cunis latebat, demonstrarunt.

II. *Cœli oculus.* Fuit illa, ut disertè S. Maximus, *Veluti quidam caligantis Orbis oculus, qui mundi veterem notavit aspectum.*

III. *Velut Columna nubis.* Fuit illa velut altera *Columna nubis*, quæ novos ac veros Israëlitas per avia & invia mundi ad Christum deduxit; & inde ad terram promissionis, ad Cœlum ipsum ac beatitatem, ad quam nemo ibit unquam, nisi Stella, hoc est, Fide duce, & comite opere bono.

IV. *Velut Speculum.* Fuit denique illa veluti quoddam *Speculum*, in quo videretur Deus infans: Et certè nonnulli in ea conspectum Infantem volunt, sed quia controversum illud, dicamus per Fidem, tanquam per speculum, agnitum in cunis Deum.

Certè Fides Apostolo teste *Speculum* est; & D. Bernardo, *Exemplar quoddam æternitatis*, in quo præterita, præsentia ac futura contempleris. *1. Cor. c. 13.*

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* vers. 9.

VTRUM EA SELLA SEMPER ANTECESSERIT ab Oriente Ierosolymam usque? Et quomodo ea ingredientibus Magis illicò oculis subducta, & qua de causa?

Cur in Oriente?



PPARUIT primùm Magis in Oriente Stella, non autem in Occidente, utpotè, quæ salutem afferret, & augustam Cœli lucem, Deumque Orientem; non autem occasum interitúmque mortalium, ut plerumque solent malè ominati Cometæ.

An toto in itinere? An autem in Oriente visa, mox evanuerit? An verò toto viæ cursu comes? In dubio est.

Isidorus, Cajetanus, Jansenius aliique opinantur illicò subductam oculis.

Divi Patres Chrysostomus, Chrysologus, Leo, Thomas aliique longè plurimi existimant præivisse itinere toto, nec occidisse nisi ad breve tempus, cùm scilicet Jerosolymam appulêre Magi; tum enim oculis erepta objectu densæ nubis, quæ deinde excedentibus illis evanuit, & redditus illicò Stellæ nitor splendorque, qui mirè recreavit.

Et hæc sententia magis probatur, quia & Scripturæ magis consona, & SS. Patrum opinioni, & amabili Dei Providentiæ, quæ quos vocare cœpit ortu novi sideris, eosdem perenni cursu luceque ducit, nec deserit nisi cœlesti lumini ponatur obex.

Cur dispàruerit? Sed quis, inquies, eo loci, ac temporis eft positus?

D. Bernardus, qui Scripturæ verba ex pio genio trahit ad efformandos rectè mores, censet èreptam oculis Stellæ lucem, & amœnum jubar, ex eò

I. Ratio, quia ad Herodem itum. quòd Magi ad Herodem ierint consilii causa, quæsierintque ex illo ubi natus esset Rex Judæorum. Nec enim patitur Numen humana lumina cœlestibus jungi, nec ab homine peti consilium, ubi à Cœlo dux est, & viæ comes ad Christum: uti erat Stella.

Serm. 3 de Epiphan. Cùm recessissent Magi & reliquissent Judæos: *Ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* *Hinc manifestè datur intelligi* (inquit D. Bernardus) *quomodo humanum flagitantes consilium, Divinum amisere ducatum; & conversos ad terrenum documentum, signum cœleste deseruit.*

Vocaris adolescens ad Christi cunas, ad Bethleem, ad domum panis, ad vitæ statum meliorem; & hoc, duce quasi Stella, hoc est cœlesti lumine atque inspiratione, quæ ad mentis oculum appellit: at cave ne ab Herode quæras, *Ubi natus est Rex Iudæorum?*

Cave quæras à mundo & propinquis, *Ubi natus est Rex Iudæorum?*

Cave etiam quæras idipsum à Carne. Mox enim te deseret cœleste lumen, destituetque quæ menti illapsa erat divinitùs inspiratio: ut etiam præclarè ille ipse D. Bernardus:

Planè conversio animarum opus est Divinæ vocis; non humana. *Ad Cleric. c. 1.*

Ut porrò illam audias abeundum à mundi strepitu, à media vanitate, à turbis sæcularibus; verbo uno ab Herode.

Ita abire docuit D. Bernardus quemdam Thomam, qui à sæculo ad religionem, ab Jerosolymæ tectis ad Præsepe, ab Herode ad Christum iter dirigere parabat. *Epist. 107.*

Tu, inquit, ô charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel & favum si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito ac vacante interno sensu dicas & tu cum Samuele: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit auditum.

Hæc S. Abbas vitæ melioris candidato documenta dabat, etiam petita à Magis illis. Nimirum, ut ante dixi, erat Stella veluti quædam Cœlorum lingua, vox erat & quidem muta, non quæ aures ferret; sed animos: at ut feriret, vacuos requirebat ab aulæ strepitu & Solymæ clamoribus. Ideoque non pulsavit animos, non oculis affulsit, nisi cùm Hierosolymâ abiissent.

Quod illis; hoc cuique mortalium. Si Divina lumina usurpare oculis, si cœlestes auribus excipere voces ambiant, procul ab aula, procul à multitudine recedant oportet. *II. Ratio, quia ad aulam.*

Dei sermo amat deserta solitarius, inquiebat Philo; non urbes amat, non superba tecta, non civium coronam, non regios vertices, non aulæ regiæ lucem; hanc oculis, hanc animo dum quæritas, deperdis eam quæ tibi de Cœlo affulgebat.

Ne porrò deperdas, exeas ab aula.

Ita excundum docuit Moyses & Aaron: oraturi quippè egressi sunt à Pharaone ejusque palatio, quia nec ibi Cœlestia lumina, nec gratiæ solem, nec æstus Divinæ miserationis expectare poterant; sed potiùs tetram aulæ fuliginem, noctemque vitiorum. *Exod. c. 8. v. 12.*

Ita quoque à Pontificis aula exivit Petrus: Et *egressus foras flevit amarè.* *Luc. 22. v. 61*

Non

Non intus flevit, sed extra. Diceres in palatio sisti lacrymas arescereque pœnitentiæ fontes, qui foris illicò laxantur & fluunt: *Egressus foras, ut haberet locum liberum flendi*, inquit Hugo Victorinus.

Erat in aula impii Pontificis Christus; & tamen ad eum animi gressu, hoc est affectu, non accessit Petrus.

Ibidem. Intus erat Christus, & Petri oculos cœlesti quadam luce perfundebat: *Conversus* quippe *Dominus respexit Petrum*; Et tamen non convertitur Petrus, non oculos, non lumina in lacrymas solvit; sed demum foris. *Egressus foras flevit amare.*

Nimirum ut pulchrè notat Drogo: *Ubi Petrus de domo Caiphæ foras egressus est, in domum Christi intromissus est.* *Libel. de Sacram. Dom. Pass.*

Diceres quemvis locum præter aulam, esse Christi domum, diceres Christum intus perdi & foris inveniri, intus deesse pios motus & Cœli indulgentis lucem, & foris appellere meliora lumina; Stellamque, quæ, facti pœnitentem ad Christum ducat recto tramite. Et verò ita duxit ducetque in ævum omne eos, qui viam virtutis ingressi, Christumque quærentes, non ab homine nec ab aula consilium petent; sed à Deo, Cœlique regia & bonis Angelis.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Vidimus, & venimus cum muneribus.* vers. 2.

QUIS NEXUS HÆC INTER, VIDERE & venire cum muneribus?

Æc olim ad Herodem pii Reges: *Vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus.*

Vidimus, inquiunt, Stellam oculis, & aliud animo lumen hausimus; unique Fidei lumen, altissimæque de nato Rege cognitionis; & illicò duce ea luce, *Venimus* non vacuis manibus; sed plenis gazis, *cum muneribus* regiis, Auro, Thure & Myrrha.

Sed cur inquies, hæc munera? Respondet Marsilius Ficinus, præstantissimus Medicus, & Philosophus: *Magi Stellarum observatores ad Christum vitæ ducem Stella duce venerunt pretiosum vitæ thesaurum offerentes, Aurum, Thus, & Myrrham, tria dona pro tribus Planetarum Dominis Stellarum Domino dedicantes. Aurum quidem pro temperamento Iovis, maximè omnium temperatum. Thus autem pro Sole, præcipuè Phœbo, calore simul, odoreque flagrans. Myrrham denique firmantem corpus, atque confirmantem pro Saturno omnium firmissimo Planetarum.* *Lib. 2. de studiosorum vita producendo. c. 19.*

Ubi hæc munera opportunè CHRISTO oblata probavit ex trium Planetarum genio, atque medicis influentiis, tum senes omnes ad Magos illos, ac Sapientes evocat, ut è tribus illis muneribus, Auro, Thure, Myrrha, vitam & vitæ thesaurum hauriant, sicque ad illos:

Huc igitur omnes ad sapientes Magos venite senes, munera vobis quoque vitam productura ferentes, quibus Authorem vitæ quondam venerati traduntur. Venite, senes inquam, senectutem graviter tolerantes. Venite & vos præterea quoscumque senectutis propemodum adventantis formido sollicitat. Accipite precor alacres vitalia dona. Sumite uncias quidem Thuris duas, unam verò Myrrhæ, Auri rursum in folia ducti dimidiam drachmæ partem, comedite tria simul, conflate, confundite in pilulas aureo quodam mero, idque tunc opportunè conficite, quando Diana propitio Phœbi, vel Iovis gaudet aspectu.

Ubi hæc protulit pro illius pharmaci confectione, tum ejusdem utilitates sic commendat.

Hoc humorem procul dubio naturalem à putrefactione tuebitur. Hoc humoris resolutione longius pulsabit. Hoc tres in vobis spiritus, naturalem, vitalem, animalem fovebit, confirmabit, corroborabit. Hoc rursum vegetabit sensum, acuet ingenium, memoriam conservabit.

Hactenus ille, cui ex illa Auri, Thuris, ac Myrrhæ mixtura senili corpori benè vult esse prospectum: sed ego magis animo cautum esse velim, atque prospectum ex mystica illa confectione Auri, Thuris, ac Myrrhæ, quam per religiosa vota, *Paupertatis, Obedientiæ*, ac *Castitatis* parari credo, ut infra paucis ostendam, & fusiùs ostendit Nierembergius in Homiliis suis Catenatis. Homilia 14. §. 1. 2. 3. 4. quem consulere poteris, Amice Lector. Ego interim ad alia propero; atque ex illis Magorum verbis: *Vidimus, & venimus* expono quis nexus hæc inter, videre & venire cum muneribus: omninò quàm optimus.

Videre spectat ad Fidem, quæ est oculus. Est *oculus Fidei symbolum*: ut enim hic objectas sibi res sistit ac repræsentat: sic & Fides, ea quæ remota sunt à sensibus, intellectui adhibet, apprimitque altiore quadam cognitione.

Serm. 1. de Sacram. Domin. Pass. Inde Drogo Ostiensis Episcopus Fidem censuit esse velut *Oculi pupillam*, quæ sedulò custodiri debuit: ut enim huic nocet vel tenuissimus pulvis; sic & illi minimus incursus erroris ac hæreticæ pravitatis.

Venire ad Obedientiam quæ est pes animæ. Hic porrò oculus pedem regit, hoc est, voluntatem & affectum ducit: ita duxit olim in Magis, qui simul atque Stellam vidêre, vênere: ecce promptam, atque expeditam obedientiam: nihil enim interfuit inter videre & venire: *Vidimus*, inquiunt, *& venimus.*

Et hoc primum est quod probat commendatque ille nexus; obedientiæ scilicet celeritatem. De hac Deus Isaiæ voce dixit: *Vocans ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis suæ.* *Cap. 46. v. 11.*

Cyrum Regem avem vocat, quia ad Dei vocem velut avis in Babylonem advolavit, inquit Oleaster.

Et ita advolârunt Reges nostri ad Christi cunas; atque ad easdem advolare debent quicumque Fidei luce, ceu Stella, evocantur. Alati sint oportet, hoc est, quàm promptissimi.

Ii sunt Angeli, quos ideò alatos pinxit omnis retrò antiquitas: *Pennatos Sanctorum spirituum pedes Theologia figuravit; quippè alis signatur celeritas*, inquiebat S. Dionysius. *De Cal. Hierarch. c. 15.*

Quod si fortè cuipiam id difficilius videatur, & huic moli nostræ impossibilis illa obeundi celeritas quæ volatu exprimitur; at ista saltem placeat quæ notatur cursu.

Ita quondam placuit Davidi, qui sic Deo, teste de seipse: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Non plumbeo pede ad Dei mandata processit, non gradu lento; sed cursu levi: ad quem sic omnes hortatur B. Laurentius Justinianus: *Psal. 118.*

c. 4. de Perseverantia.

Currite, inquit, *currite*, *ô vos omnes milites Christi*, *properate festinè & festinè quicumque in obedientiæ & subjectionis stadio curritis.*

Quod si etiam alicui (quæ humana est imbecillitas) gravior videatur in obedientiâ cursus: at saltem levior atque expeditus probetur iocessus, qui moras nesciat, nec tarda molimina.

Opusc. 49. c. 4.

Is olim probatus parvo Samuëli, qui ratus ab Heli se vocatum, illicò è strato posiliit, & ad jubentis imperium simpliciter ait: *Ecce ego, vocasti enim me*; ut scitè notat B. Damianus.

Munera ad manum, & opera.

Ita leves & paratos habuit pedes, quos & tu habeas oportet; nec pedes tantùm, sed etiam manus, exemplo Magorum, qui venerunt ad Christum cum muneribus: Et illud alterum est, quod nos edocet prompta eorum obedientia.

Cap. 5. v. 14. Lib. 5. Epist.

Extulit olim Sapiens in amoris sui Cantico Sponsi manus, ea eo quod essent tornatiles: *Manus illius*, inquit, *tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Tornatiles per obedientiam, ut explicat Petrus Abbas Cellensis.

Per obedientiam dico, non sterilem, non boni operis-vacuam; sed pia ac munificâ largitione divitem.

Tales fuerunt Regiæ illæ manus, quæ ad Christi pedes effudêre Aurum, Thus & Myrrham, divitis terræ dona, unaque ditiores animos.

Applicatio.

Ejusmodi esse debent eæ manus, quas explicat Christiana Fides; sint illæ primùm *tornatiles*, & ad omnem obedientiæ nutum flecti faciles; sint deinde *Aureæ* ab effusa caritate & miseratione in egenos; sint denique *plenæ hyacinthis*, hoc est piis ac cœlestibus desideriis, quæ animum extra se rapiant & in Cœlos efferant.

Fidelis per Fidem videat.

Parùm enim conferret si purus esset Fidei oculus, nisi & pes expeditus, & manus esset liberalis: certè & hujus & illius nexum amat Christiana & viva Fides.

Psal. 25.

Testem volo Prophetam Regium, qui hæc olim de se & verè & piè: *Circumdabo Altare tuum Domine.*

Altare est Fides; Circumdabo, id est, bonis operibus ornabo, inquit D. Hieronymus.

Obedientia veniat.

Hæc certè exigit Fides, quæ dicitur *Virtutum mater*; quod scilicet eas felici partu ea se progeneret, illisque augeatur velut cœlesti quadam ac superna sobole: quam indicatam voluit Deus, dum animæ fideli dixit

Cap. 2. v. 20.

Oseæ voce *Sponsabo te mihi in fide.*

Manu bona det opera.

Rectè, *sponsabo*, ut scilicet eveniret illi quod sponsæ: hæc viro non jungitur nisi ad suscipiendas proles; sic nec Fides animæ, ceu sponsæ Christi infunditur, nisi ut ex ea gignatur multa virtutum soboles. Hæc profectò si desit, & maligna sterilitate damnabitur, & æternùm à sponso libellum repudii patietur:

Ne porrò patiaris, ô fidelis anima, age, oculum cum pede, pedem cum manu junge, id est, ad Fidem adjunge celerem obedientiam, & opera bona: hæc enim Christianum aut faciunt, aut probant; non autem nuda & inanis Fides.

Distinxit olim Isaias inter Israëlitas duo hominum genera: Primum Fidem Dei habebat, sed in lingua dumtaxat; alterum etiam in manu descripserat.

Cap. 44. v. 5.

Iste dicit, Domini ego sum; & hic scribet in manu sua.

Qui dicit, Domini sum, Fidem quidem habet; sed solam: qui autem scribit in manu sua, Fidem habet junctam, ornatam ac divitem operibus bonis.

Qui Fidem solam Deo suo reddit, reddit florem; qui etiam opera, fructum addit: Et hic placet quàm maximè, quia ut rectè D. Bernardus: *Inutiliter flos apparet ubi non sequitur fructus.*

Serm. 51. in Cant.

Hunc Christo recens nato obtulêre pii Reges, dum Aurum Thus, Myrrham obtulêre: Regia, Augusta, Divina propè munera, quæ etiam offerre debes, ô Christiane.

Aurum scilicet amoris corculique tui; Thus autem insigne pietatis; Myrrham denique mortificationis, qua passiones omnes sub Dei ac rationis jugum mittas.

Quid Auro, Thure & Myrrhâ?

Ad hæc munera ipso sacræ Epiphaniæ die sanctam Mechtildem invitasse dicitur Christus, qui sic ad illam.

L. 2. Grat. & Spir. c. 8.

O filia, hæc à me accipe dona, Aurum mei in te amoris; Thus meæ sanctitatis & orationis, quæ ad Patrem ascendit, ceu Thuris vapor; Myrrham, ceu amaritiem meæ Passionis, quam non ore, sed animo persentias. Hæc munera à me accipe, & mihi deinde redde; receptura cum fœnore ubi sic redonâris.

Hæc S. Mechtildi Servator Optimus: eadem & nobis, à quibus amat & similia munera. Demus ergo cum Magis Infanti Deo Aurum, Thus & Myrrham.

Serm. 159.

Hoc est interprete D. Chrysologo: *Nos Fidei Thus longinquæ religionis; nos proximæ Confessionis Myrrham boni odoris; nos suaveolentia dona Caritatis offeramus.*

Quod si fortè Religiosi sumus, quæ huic instituto propria sunt ei consecremus, hoc est solemnia reddamus vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ.

In Chron. S. Franc. 1. Part. l. 1. c. 78.

Ita quondam reddere docuit S. Franciscum hoc ipso die: cùm enim illi sese visendum dedisset Jesus, monuissétque sibi offerret dona, eáque tria, ad quæ extremam paupertatem causatus Dei servus; jussus est in sinum manum mittere, dein extrahere. Paruit, misit, extraxit, unáque aureum nummum miri fulgoris: quod & secundò ac tertiò fecit; statímque, interprete JESU, intellexit tres illos aureos bellè exprimere auream Obedientiam, pretiosam Castitatem, divitem Paupertatem, quæ unà cum tribus nummis Deo suo obtulit Franciscus.

Quod ille, hoc & nos; qui si fuerimus in Deum liberales, atque effusi, erit & ille in nos ipsos liberalis, atque effusus; cujus sacræ profusionis testes amo, testes appello sacratiores aquas, quæ in die Epiphaniæ olim in terras, & mortalium capita dilabi solitæ.

Baron. Anno Chr. 417.

In Lycia fons erat, qui sponte implebatur ipso die Epiphaniorum, quia scilicet eò loci, ac temporis, novi Christiani baptismo inaugurabantur; & hoc primum fuit cœlestis illius beneficentiæ miraculum, cui mox accedebat & alterum: cùm enim horis tribus fons augesceret; horis totidem peractâ lustratione sensim deficiebat; diceres augeri tantùm, & fluere, ut unà cum aquis baptismalibus & augeri, & ubertim fluere cœlestium gratiarum fluenta doceret. Ita nimirum liberalis in suos est Deus ipso Epiphaniæ die, die sacro, die benè ominato.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.* vers. 3.

CUR TURBATUR HIEROSOLYMA; quæ potiùs pacari & recreari debuit?

Cur omnis Jerosolyma?

RAT Hierosolyma Civitas sancta, & veluti quædam Dei in terris sedes: & cur igitur nato Rege ac Deo turbatur? Erat Judæus populus acquisitionis, cui Cœlo benigniore promissus primùm erat Messias, ad quem tot sæculis, tot votis aspirârat.

Cur igitur ad illius jam nati famam, ac nomen turbatur? Certè ad spes suas, ad amores suos, ac delicias turbari non debuit; sed potiùs exilire gaudio, & in festivas voces erumpere; memor adesse tempus optatæ dudum libertatis ac lætitiæ uberioris.

Prima ratio ex Rege petita.

At non pacatur, non recreatur Hierosolyma; sed quanta quanta ferè est, turbatur.

Quæ causa? In promptu est: Quia turbatur Herodes, turbatur Rex impius: tantum interest, qui se habeat ille, quos motus animi, æstúsve patiatur; eosdem enim & civitas patitur.

I. Rex primũ mobile.

Quod in Cœlis primùm mobile; hoc Rex in civitate: ut enim illud subjectos sibi cœlestes Orbes suo motu abripit & versat; sic & subditorum corda regius æstus, ac furor.

Serm. 9.

Misera civitas (exclamat B. Bernardus) *in qua regnat Herodes, quoniam Herodiana erit particeps malitia, & ad nova salutis ortum Herodiana movebitur turbatione.*

II. Anima & caput Reip.

In Paneg.

Est Rex & *Princeps velut anima Republicæ, aut quasi corporis caput, unde totius corporis vita, motus sensusq́ pendet. Hinc ut in corporibus; sic in imperio gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur in cætera membra*, inquit Plinius.

Lib. 7. de Provid.

Et hoc liquet in Herode, ac Hierosolyma: hujus enim, ceu capitis turbatio, metus ac furor in Judæos propè omnes, ceu membra vasti corporis, effusus: nec mirum. quia, ut eleganter explicat Salvianus: *Morbido capite nihil sanum est, neque ullum omninò membrum officio suo fungitur ubi principale non constat.*

Quod in corpore, hoc & in civitate, *cujus Dominus quasi caput est, & proinde vita ejus quasi norma vivendi*; maximè verò in malum.

Ut enim ille ipse S. Præsul: *Pessimum est in hoc negotio quod libentius omnes deteriora sectantur, & facilius mala institutio damnat bonos, quàm bona emendat malos.*

Et ita tunc actum cum Judæis, Scribis primùm ac Sacerdotibus; deinde plebæis universaque Civitate, quæ exemplo Herodis ad deteriora prolabi, turbari, indignari, fremere, & extrema nato sibi Regi velle, ac meditari: nec mirum, quia ea ipse Rex volebat, ac meditabatur.

III. Regula populi.

Plutarch. de Doct. Princ.

Est Rex veluti quædam *Populi regula*, quæ si recta sit; ea, quibus admovetur recta facit; sin autem incurva, & hoc ipsum curvitatis vitium aliis apprimit.

Et ita appressit Herodes, ejus anima, utpote in terram curva, cùm terrenum Regem jam Judææ natum crederet; quos ipse patiebatur seu timoris, seu insanæ ambitionis motus, populi animis impressit, eodemque, quo laborabat vitio, infecit: nec mirum.

IV. Fermentum populi.

Est Rex quasi *fermentum*, quod populum, cui tanquam massæ injicitur, corrumpit, ac perdit.

Cap. 7.

Ita quondam corrupit ac perdidit Israëlem Rex Jeroboam, quem Oseas Vates cum fermento composuit: quia ut hoc farinæ massam sua mixtione ita inficit, ut acescat tota; sic ille populum Israëliticum, ceu rudem informemque massam idololatriâ infecit ac penitùs corrupit.

L. 4. Annal.

Ita lapsis deinde sæculis Herodes impius quasi Judaici populi *fermentum*; illum imbuit timore suo, ambitione sua, æstu furoreque suo: Nimirum ut rectè Tacitus: *Ita nati sunt Reges, ut bona malaq́ eorum ad Rempublicam pertineant.* quod ipsum eleganter expressit Orator Latinus, qui sic de principibus: *Non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in Civitatem*; ideoque à nonnullis Patribus componuntur cum Adamo: quia ut hic peccati maculam transmisit in posteros omnes; sic & mali Principes in subditos sua vitia transfundunt: quod non faciunt alii de plebe, in quibus, si quis est nævus, in uno is videtur & hæret. Quod discrimen agnovit & scitè insinuavit D. Bernardus, cujus hoc effatum longè verissimum:

V. Centrum populi.

Si quis de populo deviat, solus perit; verùm Principis error multos involvit, & tantu obest, quantu præest; & inde hujus iniquitas comparatur cum *centro*: Sicut enim à centro ducuntur lineæ ad circumferentiam; sic à Rege ad populum circumjacentem ducuntur vitia.

Secunda ratio petita à subditis.

Et hæ rationes petitæ sunt ab exemplo imperantis; aliæ ad subditos attinent. Dicuntur hi à nonnullis *Regum umbra*: qui ut umbra corpus sequitur illiusque motus omnes exprimit ac reddit; sic & subditi mores imperantium, quos imitantur ut simiæ solent. Hæ sæpiùs visuntur in Regum ædibus ac palatiis, non sine causa.

Prov. c. 30. v. 28.

Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum, inquiebat Sapiens. Hebraicè est *simia*, cujus ænigmate Salomon designare voluit aulicos & subditos, qui ad Principis sui nutum totos se fingunt ac formant: ut etiam videre licuit in Judæis ipsis, qui Herode turbato, & ipsi quoque turbati.

QUÆSTIO SEXTA
MORALIS.

Ad illa verba: *At illi dixerunt: In Bethleem Iuda.* vers. 5.

CUR PRINCIPES SACERDOTUM ET SCRIBÆ dixerunt, & cur non potiùs venerunt?

Quia dicũt, non faciunt.



MISERA tum temporis fuit Sacerdotum atque Scribarum condino; misera inquam: quia ut aliis utilis, erat sibi noxia: non vitio illius gradus, ad quē Cœlo benigniore evocati; sed suo.

Si ex me quæras, quæ fuerit illa miseria. Audies; Quod dicerent aliis, nec facerent ipsi; docerent ubi Messiæ cunæ, ubi locus natalis, & quæ ad illum via; nec tamen in eam seipsi darent.. Et hæc est infelicitas summa; Docere, nec facere.

I. Similis cytharis. *Diog. Laërt.* In illud hominum genus bellè quadrat qnod de peripatheticis philosophis dixisse fertur Cleanthes, idem eis accidere quod lyris & cytharis, quæ sonant quàm dulcissimè, audiuntur ab aliis cum magno voluptatis sensu; at seipsas non audiunt.

Hom. 21. in Ezech. Hos D. Gregorius Pontifex componit cum mensa, quam Ezechiel aiebat habere labia, quæ intrinsecus reflecterentur.

II. Mensæ. O Doctor, inquit, *ecce jam mensa es. Iam vasa portas, jam in vasis fidelibus pondus holocausti, & victima sustines: sed intus reflecte labium, id est ad cor revoca sermonem; audi quod dicis; operare quod prædicas.*

Certè nisi teipse audias, nisi qnod verbo jactas, firmes exemplo, similis eris Judæis, qui etsi sacra volumina evolverent studiosiùs, ex eisque Fidei dogmata, ac veritatis aliis eruerent; eas tamen ipsi non admittebant.

III. Fabricatoribus Arcæ Noemi. Similis Sacerdotibus ac Pharisæis, qui Magos ad Messiam, ad Deum hominem emiserunt; non tamen iverunt ipsi.

Similis illis, qui longo annorum & sæculi unius lapsu arcam ædificarunt, in qua Noë cum paucis enataret, emineretque immensæ aquarum eluviei; qua tamen immersi atque absorpti infelices illi fabricatores, qui aliis pararunt fabricam, ingentemque Arcæ molem, quæ & homines & animalia caperet; & tamen eam non pararunt sibi; aliis effugium ab aquis dedêre, sibique servavere naufragium. Similis *Achitophel*, qui aliis consulebat quàm optimè; sibi verò pessimè.

2. Reg. c. 16. v. 23. De illo sic Textus sacer: *Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis; quasi si quis consuleret Deum.*

Adeò sana aliis dabat consilia; at perdita sibi reservabat; aliis sapiebat, desipiebat sibi; aliis vitæ ac salutis consilia suggerebat, sibi verò mortis: *Disposita* quippe *domo sua suspendio interiit.* *2 Reg. c. 17.*

Denique similis eris *medico*, qui alios curat ac sanat, seipsum negligit ac perdit: sic & malus Doctor *aliorum est medicus*, ut rectè notat D. Gregorius Nazianzenus; *Aliis medetur ipse vulneribus scatens*, ut canit Poëta Græcus. IV. Medicis.

Ne porrò talis sis, age, quod aliis suades, tibi primùm ipsi persuade; quod voce explicas, factis exprime; quod verbo doces, doce & exemplo.

Ita rectè docere Lucilium voluit Seneca, quem ut discipulum sic instruit:

Hæc aliis dic, ut dum dicis audiat; ipse scribe, ut dum dixeris, legas; omnia ad sedandam rabiem affectuum referens: stude non ut plus aliis scias, sed ut meliùs. Scies autem meliùs, si non ea scientia, quæ speculativa dicitur, sed ea quæ Sanctorum est, & practica vocatur, quæ quod verbis aperit, exprimit vitâ. *Epist. 89.*

Ita expressit JESUS Magister Optimus, & norma Doctorum, qui *cœpit facere, & docere.*

Ita expressêre Apostoli, magnæ illæ mentes & religionis nostræ Principes.

Ita expressit S. Ignatius minimæ Societatis JESU Fundator maximus; qui teste Orlandino nihil aliis præcipiebat quod non priùs fecisset ipse; hoc uno certè & Sanctus & Beatus: Ut enim pulchrè Nicolaus S. Bernardi Notarius: *Beatus ille cui pulchro sermone vita pulchrior.* *Epist. 39.*

Beatus enimvero etiam ex hoc ævo mortali, quia vitam animæ habet, id est, gratiam, quæ est arrha Beatitatis: Ut enim Sapiens: *Mors & vita in manibus linguæ*, id est, *in operatione sermonis*, inquit Hugo Carensis. *Prov. c. 18*

Scitè profectò *in manibus linguæ*; nam & linguæ sua manus est: quæ sit illa quæris? Intelliges esse opera, quæ si dederis, linguam dabis probè suis instructam manibus; si negaris, nudam relinques & mancam, debilem, infirmam, quæ solùm ferat inanes auras, nec ad Superûm unquam, Deique appellet aures.

QUÆSTIO SEPTIMA
MORALIS.

Ad illa verba: *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* vers. 12.

QUÆ SIT ILLA ALIA VIA?



VENIAM dabis, Amice Lector, si paululum abeam à littera ut accedam ad mores.

Quâ viâ Magi ad Christum venerunt. In ea via, quam tenuerunt Magi ut ad CHRISTUM venirent, illam agnosce, qua ad Deum venit peccator; & in alia via, qua recesserunt, illius viæ ac vitæ modum, quem tenere debet qui cum Magis semel ad CHRISTUM accessit.

Advenêre Magi de longè, ab extremo scilicet Oriente; & peccator appellit à peccati regione, quæ à Deo est dissita quàm longissimè.

Illi

Quâ etiam Christiani veniunt?

Illi evocati ortu Stellæ, & eadem duce longos emensi viarum tractus; & hic à gratia excitante ad Christum vocatur, ducitur concomitante, reducitur in patriam subsequente.

Illi à Sacerdotibus petierunt intellexeruntque ubi natus esset JESUS; & peccator priùs Sacerdoti sistitur, dein ab eo discit qui ad Deum vadat.

Illi prostrati obtulêre munera, Aurum, Thus, Myrrham; & hic humili sensu ad Christi cunas abjectus, Aurum offert charitatis, Thus Orationis, Myrrham pœnitentis animæ amaritiem.

Quâ viâ redierunt?

Illi denique per aliam viam redierunt in suas regiones; & peccator alia via in patriam, hoc est Cœlum, redeat oportet.

Alia via. Quæ illa?

Quæ sit illa quæris; audies ex SS. Patribus, & ipsa Scripturæ fide.

Cap. 7. *I. Arcta via.*

D. Matthæo, qui Christi scriba & interpres fuit, *alia via*, est *via arcta*. Quæ ad Herodem, id est, mundum, ducebat; erat lata & spatiosa via, via perditæ vanitatis, gloriolæ, ambitionis: non eâ viâ redeundum est iis, qui ad Christum venêre; aliâ omninò viâ, hoc est *arctâ*: hanc aperiunt Evangelica Consilia, paupertatis amor, mundi despicientia, & sui.

II. Alia vita.

D. Chrysologo, *alia via*, est *alia vita*, quam inire debet is, qui ad Christum semel accessit.

Serm. 157.

Nos, inquit S. Præsul, *sicut illi Magi, qui sunt Fidei nostræ duces, commoniti in somnis, id est in hac vita, quæ est somno similis, illuso Herode Rege, id est diabolo, per aliam vitam, id est per alteram vitam, ad illam patriam nostram revertamur, de qua per Adam ejecti infeliciter sumus, per Christum verò misericorditer nunc reducti.*

A Paradisi sede, à paratis deliciis, ab ipsa propè Cœli regia, quæ Adamum manebat & posteros, abivimus miseri per inobedientiam; ad eam revertamur *aliâ viâ*, hoc est, obedientiâ, & ad Divina mandata submissione.

A beatitate, cui nati eramus & conditi, discessimus vanâ gloriæ cupidine, à qua qui dii esse ambiebamus, vix homines mansimus; ad illam redeamus *aliâ viâ*, hoc est animi demissione & insigni gloriæ despicientia.

A Deo ipso summoque bono longius excessimus vel unius esu pomi, turpique gula, cui malè indulsimus; ad eum properemus *aliâ viâ*, hoc est Christianâ & singulari abstinentiâ.

III. Morum correctio.

Maldonato, *aliâ viâ*, est perfecta morum correctio, à qua illud boni habemus, ut in peccatum, in quod lapsi sumus, recidamus nunquam: ne scilicet & hominibus, & Angelis, & Deo ipsi despicabiles simus.

Ex vero quippe omni digna contemptu probroque est ea anima, quæ ubi à peccato recessit, ad illud rursùm accedit eâdem, qua priùs, viâ.

Cap. 2.

Hinc cum scommate, & stomacho objici potest, quod olim Israëli Jeremias: *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas.*

Verè vilis, quia ut canis ad vomitum rediit, ut sus ad volutabrum luti, ut Israël in Ægyptum; Quo quid vilius? Quid turpius? Quid damnabilius?

Ad Furiam.

Bruta animalia, inquit D. Hieronymus, & vagæ aves in easdem pedicas retiaque non incidunt; & homo ratione præditus, in eosdem sathanæ laqueos, quos semel effugit, iterum incidet?

Qui è carcere elabitur, in carcerem sponte sua non redit; & homo è sceleris sui carcere vinculisque liber, in carcerem volens, vinculaque redibit?

Ex orco si quis emerserit, in orcum relabitur nunquam; qui ergo in peccatum revocetur quod orco pejus? *Infernus* quippè *& carcer animæ rea conscientia est*, inquit Bernardus. *Serm. 4. de Assumpt.*

Quod si peccata sint laquei, carcer, orcus, ad illa certè redire non debet homo, si naturam, si rationem, si Deum audiat, si Magos imitari velit, & aliâ, ut illi, viâ reverti.

Ita certè reversi quotquot olim Cœlo teste veriac boni pœnitentes.

Ita reversus David, qui postquam semel extulit illud, *Peccavi Domino*, ad peccatum regressus nunquam. *2. Reg. c. 12.*

Ita reversus Petrus: *Egressus* enim *foras flevit amarè*, & nunquam postea flenda commisit.

Ita reversa Magdalena, quæ ubi à Christo audiit, *Vade in pace*, bellum contrà Superos Deumque per scelera nunquam repetiit: didicerant nimirum magnæ illæ mentes aliâ viâ sibi in patriam esse redeundum.

Via nimirum pœnitentiæ salutaris, à qua ubi semel elutus fueris, sordescas nunquam, nunquam putrescas.

D. Chrysostomus locupletissimus testis, aquam inauguratam in celebritate anniversaria Epiphaniorum à Christianis ait domum referri consuevisse, nec integro anno dumtaxat, sed biennio etiam, ac triennio, eóque ampliùs absque corruptionis vitio perseverasse: datum illud fidei, ac sanctitati illius diei, quâ Christus cœcæ gentilitati primùm innotuit, quâvè eam ab infidelitatis sordibus, ac maculis eluit, documento illi etiam futura, ne ad pristinas peccati sordes revertatur unquam, néve iis se pollui, fœdarísque patiatur.

Ubi porrò hoc cœlo, Deoque dederit, tum & aliud concedat est necesse; videlicet ut arctiorem virtutum semitam ingrediatur, & eâ ad Christum ducatur, atque perveniat. Et ita pervenerunt regiæ illæ animæ, & quidem primò *Fide* firma, atque constanti; deinde ingenti Christi videndi desiderio, tum etiam intrepida mente, libera voce, liberiore semper animo, â quo ut liberæ sic & audaces illæ ad Herodem voces: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Ad hunc ut venerunt ad genua supplices advoluti *adoraverunt eum.* Ecce nobilem religionis actum: tum obtulerunt ei munera, *Aurum, Thus, & Myrrham*: utique magnarum virtutum symbola: & quidem in *Auro*, amorem, aureámque charitatem: in *Thure* devotionem, in *Myrrha* mortificationem. Ecce altissimarum virtutum munera, quibus eoam nos ad suam imitationem alliciunt, & trahunt: fuerunt enim *Christi bonus odor in omni loco*, & verò etiam in præsentia nobis sunt, cujus rei testem volo, testem amo odorem illum, qui aliquando ex eorum sepulchris emanavit. *IV. Virtutum semita.* *2. Cor. 2.*

Cum eorum corpora levarentur de loculis, in quibus diu jacuerant, tanta expiravit fragrantia, ut omnes qui aderant ejus suavitate imbuerit, refeceritque. Et quod mirêre magis singula corpora, singulos dederunt odores, differebatque odor ab odore; ut meritò muta quadam voce astantibus dicere viderentur. *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Odor alius, atque alius ab alio, atque alio magnarum virtutum appulsu, atque affluentia. *Chapeavillus tom. 2. in Henrico II. c. 41.*

IN

IN CONVERSIONE SANCTI PAULI.

Bollandus in vita S. Andrea Corsini, 9. Jan. c. 1.



PELLEGRINA D. Andreæ Corsini mater, cùm multos jam annos cum Nicholo marito in matrimonio vixisset, damnata, ut videbatur, maligna sterilitate; simul cum illo votum concepit, & prolem, si quæ nasceretur, Divæ Matri & Deo obtulit. Votis annuit Deipara, annuit & Deus ipse. Concepit illa, & gravidam se sensit: at cùm immineret pariendi tempus, & post fusam de more orationem obdormîsset, hæc illi in somnis objecta species. Visa sibi lupum parere, & quidem rapacem illum. Hic stupere, gemere, suspirare, & apud Dei Matrem de eo partu queri. Sed questus illicò in gaudia vertit oblata in somni imagine species altera: quem enim antea lupum viderat, ubi is Ecclesiam intrasset, in agnum, eumque candidum, mutatum aspexit.

Somnio respondit eventus: Infans enim qui (quòd die D. Andreæ Apostolo solemni natus esset) Andreæ nomen acceperat, in primo adolescentiæ flore, vel præfervido ut erat ingenio, vel prava societate abductus, dissolvi cœpit, & in ludis, in armis, in venatione totus esse, & in summa licentia vivere. Lupum dixisses moribus, non hominem.

Hic magis quàm unquam ingemiscere pia mater, & de filii salute mitè sollicita, primò Deum, Divósque precibus onerare. Deinde filio exponere cœpit quod ipsa aliquando, quod & pater concepisset votum, & quod adhuc uterum gestans, & partui jam proxima somnium habuisset, & quam in illo imaginem. Primùm lupi; deinde agni. Tum elatiori voce, & summa qua potuit animi contentione hæc ad filium:

Tu fili, tu ille lupus, quem somniavi; cætera dixêre lacrymæ altique gemitus, quibus ubi aliquid datum est: O si, inquit, in agnum mutetur: Et certè quidni mutetur vel in ipso aditu Ecclesiæ, vel ad Aras Virginis, cui ex parentum voto devotus est.

Eæ voces bonæ parentis filium perculere, & ita quidem ut die proximè sequenti ad Carmelitarum Ecclesiam venerit, & ante Divæ Matris imaginem in genua abjectus, id unum enixè petierit, ut quæ IESUM, ceu Agnum immaculatum Orbi dederat, daret & hanc clienti suo gratiam, ut ex lupo in agnum ipse verteretur, & qui priùs à vitiis in lupi morem, modumque vixerat, imposterum à virtute ex agnelli genio viveret.

Et ita factum est quàm optimè; nam & Carmelitarum ordinem ingressus, & deinde assumptus ad Infulas Ecclesiæ Fæsulanæ, ac denique post exantlatos Dei causa labores, mortémque sanctissimè obitam, Divorum fastis ascriptus est.

Hoc ipso, quem agimus festivo die, similis aliqua Orbi Christiano aperta est scena; eáque non in somni unius imagine, sed in re etiam ipsa: Synagoga ceu sterilis & infœcunda mater *Saulum* tulit; sed ex verò *lupum*. In Ecclesiam ille venit, seu Stephani Protomartyris precibus, seu vel maximè CHRISTI miserentis beneficio; & mirum dictu visuque! In ipso Ecclesiæ ingressu in *Agnum* mutatus est.

Gen. c. 49. O mutationem dexteræ Excelsi! *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, vespere dividet spolia.*

Lupus ille Saulus est è tribu Benjamin oriundus: Is *mane*, id est in prima juventute, prædas egit dum in CHRISTI gregem involavit, dum Stephanum aliorum manibus

manibus lapidavit, dum hos & illos in vincula, in carceres raptavit. Verùm à CHRISTO in alium virum abiit, ex lupo factus est agnus, & ex Saulo Paulus, ex persecutore Apostolus: Ac tandem *Vespere*, inclinata jam ad occasum ætate, spolia divisit amplissima, spolia Gentium, quas Ecclesiæ & CHRISTO adjunxit.

Hæc spolia dum terra parat, & Cœlum expectat, institutum ipsi prosequamur, & pauca subjiciamus

EX D. THOMA.

Act. c. 9. EX hoc Oraculo Verbi Incarnati: *Vas electionis est mihi iste, ut portet Nomen meum.* Duo notat Angelicus Doctor:

Serm. 1. 1. Quid sit *Vas electionis?* 2. Ad quid illud? *Ut portet* CHRISTI Nomen. Vas est; & quidem

Primò, *Pretiosum*; quia *argenteum*, ab insigni scilicet animi munditie: quia *aureum*, à caritate, Rom. c. 8. quam ita prodit: *Quis nos separabit à caritate Christi*: quia *gemmeum*; imo adamantinum, ut qui vinci frangique nesciat. Testes illæ voces: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli separabunt nos à caritate Christi*: Denique quia *Cœlicum* Orbem scilicet universum illuminando: *Quasi Sol fuit mitians in excelsis. Vas admirabile*; quod illuminavit *miraculis coruscando, verbo prædicando, exemplo demonstrando.*

Secundò, *Speciosum*: 1. quia multis tunsionibus 2. Cor. 11. pressurisque expolitum: *In laboribus plurimis.* 2. Quia 2. Tim. 2. *Vas sanctificatum ad omne opus bonum.* 3. Quia *quasi Vas* Eccl. 50. *auri solidum ornatum omni lapide pretioso.*

Tertiò, *Electum*: 1. Ad *augurandum*. In scypho Gen. 44. Iosephus augurari, & futura prævidere ac prædicere solitus. Et per Apostolum Deus: *Scio*, inquiebat *quod* 2. Tim. c. 3. *in novissimis diebus.* 2. Ad *potandum*; ex hoc enim vase propinavit Deus vinum mordicans corrigendo malos, vinum lætificans consolando bonos, vinum inebrians prædicando. 3. Ad *portandum* numera Domino: 1. Populum à se conversum, & ingentia animarum spolia. 2. CHRISTI Nomen. 3. Fidem.

Quarto, *Dilectum*: 1. A *Deo Patre*, cum applicatis Filii laboribus, sudore, sanguine, quasi consolando. 2. Ab *Angelis*, cum eis conversando in suo ad Cœlum raptu. 3. A *peccatoribus*, post eos currendo.

Et hæc in illud CHRISTI de Paulo: *Vas electionis.*

Ad alterum, *ut portet Nomen meum.* Portavit enim verò: *In corde*, semper de eo cogitando: *In fronte*, de eo gloriando. *In ore*, semper de eo loquendo: *In manu* omnia in nomine ejus faciendo: *In calamo*, semper de eo scribendo: *In conversatione*, cum imitando: *In toto corpore*, mortem ejus repræsentando.

EX D. BONAVENTURA.

Act. c. 9. EXpendit etiam illa verba: *Vas electionis est mihi iste;* & ait: Vas est Paulus, & quidem admirabile:

Eccl. c. 43. Primò, Quia *altum per contemptum terrenorum; elevatum à terra, & Cœlo proximum*: Quidni enim D. Bona. hic Serm. 2. Cœlo proximus dicatur & sit, qui terrena omnia sub pedibus habet, qui pro CHRISTO nihil sibi reliquum fecit, omnia reliquit. Cujus exemplo utinam & alii forent mortales: sed proh dolor! nimis verum illud Amos c. 9. Prophetæ: *Avaritia in capite omnium.*

Ita nimirum aurum argentumve, quod natura sub terra posuit, ut esset sub pedibus hominum vitio in capite ponitur, in primis curis, atque amoribus.

Secundò, *Vas lucidum & clarum*, eximio quodam divinioris Sapientiæ dono, quo & Ecclesiam universam illustravit, & cœlesti amore succendit. Fuit nimirum ut cum Ecclesiastico loquar, *Vas castrorum* Cap. 43. *in excelsis in firmamento Cœli resplendens.*

Israeliticis castris olim pro duce, imò & pro Sole Lunaque, fuit ignis columna, quæ nocturnas tenebras dissiparet effuso per castra prodigioso quodam lumine. Et Paulus vas quoddam fuit Divinæ lucis, quæ in excelsis, & Apostolicæ dignitatis vertice posita, in firmamento cœli novi, hoc est Ecclesiæ, resplenduit.

Atque utinam sic resplenderent mortales omnes; sed proh dolor! ex iis plerique *plus intendunt Philosophiæ, & legi Iustinianeæ quàm Divinæ; quia illa acquirunt pecuniam, hæc verò animam.*

Ita nimirum stulti, atque amentes, *animæ præponunt pecuniam* contra naturæ, rationis & Cœli leges. *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. 16.

Tertiò, *Vas purum, & mundum per donum Continentiæ;* fuit olim, cùm Saulus esset atque Ecclesiæ persecutor, Vas impurum; at postea Paulus & Apostolus, Vas longe purissimum: nimirum Deus, ceu supremus artifex, abstulit *rubiginem de argento ut fieret* Prov. c. 25. *Vas purissimum.*

Rubigo scelus erat infandæ persecutionis; hanc sustulit Deus, & factum est à continentia vitæque integritate Vas purissimum, quales etiam esse vult eos, ad quos scribit: *Volo omnes homines esse sicut me-* 1. Cor. c. 7. *ipsum*, & sic continere ut contineo meipsum.

Quartò, *Vas solidum per donum Patientiæ.* Quod solidum est impellenti minimè cedit; at valido impete repercutit: sic neque cessit Paulus; sed incudis instar malleum persecutionis retudit, atque repercussit. Testes erunt liberæ illius voces simulque verissimæ: *Persecutionem patimur, & sustinemus: In omnibus tribu-* 1. Cor. 4. *lationem patimur; sed non angustiamur* 2. Cor. 4.

Etii deberent esse CHRISTI milites: sic per omnia solidi, ut nec minis, nec suppliciis, nec ipsa morte terreri possent, atque à bene cœptis avocari, aut frangi; sed proh dolor! plerique sunt vitrea vasa quæ modico tactu franguntur.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. c. 19. v. 27.

CUR IN IPSO LIMINE VITÆ APOSTOLICÆ inscribitur illud: Ecce nos reliquimus omnia?

Omnia relinquere Apostolorum est.



CUM ex aquis & navi vocaretur Petrus ad pulpita, & cathedram, è qua audiretur prima Veritas, & altioris Philosophiæ placita. Hæc ad CHRISTUM libera jactavit voce: *Ecce nos reliquimus omnia.*

Et meritò: omnia quippe relinquere necesse fuit ad illud officii & muneris Apostolici.

Sed cur inquies necesse? Hic est nodus quæstionis, isque meliore solvendus manu.

I. Ratio. Prima hæc esse potuit, quod ad altius vitæ genus ascendenti necesse fuit inferiora illa, hoc est divitias relinquere; & jure sanè meritissimo.

In catena. Chrysostomo divitiæ *Passiones* sunt, quæ hominem à sana mente, ratione, à Deo longiùs abducunt: At viro Apostolico à passionibus abeundum est longiùs, & ad rationem, Deumque accedendum; igitur & à divitiis recedendum.

In c. 6 Luc. Ambrosio divitiæ *illecebræ* sunt & *lenocinia delictorum*; vel enim hominem avaritiâ constringunt, vel prodigalitate distendunt, vel ad luxum & libidinem trahunt, vel ad ardua ducunt superbiæ insolentiora, aliaque vitiorum monstra: At viro Apostolico ab his abeundum quàm longissimè; igitur etiam à divitiis.

Senecæ Philosopho divitiæ sunt quidam veluti *furor* & æstus animi impotentioris; sæpè enim immodicus harum amor, atque appetentia ad bella rapit, ad cædes, ad incendia: At etiam ab his viro bono discedendum; igitur etiam & à divitiis. *Dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animam à furoribus liberet,* inquit Seneca.

Lib. de paupert.

Nemo certè dubitabit, si modò sit sanus, & sui compos. Et hinc descendo ad secundam rationem, ob quam Petrus in primis vitæ altioris initiis extulit istud: *Ecce nos reliquimus omnia.*

II. Ratio.

Quia scilicet suus esse debebat; imò ita suus, ut etiam proximi: at neque suus est, neque proximi, qui insano affectu dives est atque opulentus; ut enim aureè Chrysologus:

Serm. 162. Avara divitum opulentia *parentes negat, germanos dividit, separat socios, amicitiam solvit, excludit affectum: hanc qui intra se habuerit, erit nullius; suus non erit.*

At Apostolus suus esse debuit; igitur & alienus à divitiis, à possessionibus, quas qui possidet, ab illis & ipse magis possidetur; adeoque nec est suus.

Qui enim suus esset, qui jam vitiorum est mancipium; imò & mali dæmonis, qui eum divitiis, ceu armis impetiit, stravit, vicit?

De Casto connub. c. 6. Sunt quippè *opes arma diaboli, tentationum fomentum, rubigo mentis, exterminium quietis*; ut rectè B. Laurentius Justinianus.

III. Ratio. Et hinc tertia ratio, ob quam Apostolus omnia relinquit; ne scilicet malo dæmoni det arma, quibus expugnetur; ne naturæ in malum pronæ ac præcipiti, ne ad varias tentationes proclivi, fomitem addat, quo excitetur, ardeatque impurus ignis; ne mentem, quæ à virtute nitere, splendere, radiare debuit, rubigine quadam vitiorum deturpet; ne animæ quietem ac pacem, quam in Dei sui obsequio invenire debuit, amittat.

Et hæ rationes ducuntur ab eo quod à divitiis malum est; aliæ ab illo quod in paupertate latet bonum.

Primum est, quod per illam mundus ponatur sub pedibus; quod altè deprædicat D. Bernardus:

Quid, inquit, *sanius homini, quid jucundius quàm mundum contemnere, & se reputare sæculo celsiorem, atque in bona conscientia vertice consistentem, & mundum habere sub pedibus, & nihil in eo videre quod appetat?* *Opusc. de Carit. c. 13.* IV. Ratio.

Bonam conscientiam verticem appellat, è quo mundum despiciat. Nicolaus Notarius ejusdem S. Patris, paupertatem vocat, *Speculam*, è qua homo omnia infra se posita videat, ac contemnat:

O si cognovisses, inquit, *& tu quàm dulce sit cupiditates fugisse, mundum habere sub pedibus, & ex altissima paupertatis specula respicere vanitates, & insanias falsas.*

Si, inquit, cognovisses, certè totus ivisses in studium paupertatis, uti iverunt Apostoli, præcelsæ illæ mentes & sæculo excelsiores; à paupertate scilicet, & rerum omnium caducarum despicientia, à qua etiam sortiuntur illud bonum, quod terrenorum omnium Domini sint, cùm alii contrà eorum servi ac mancipia.

Quidni enim mancipia dicantur, quos, ut ait D. Bernardus, *Domina avaritia* non sinit esse *sui juris*. *Serm. 21. in Cant.*

Et quia Apostolum esse omninò decuit sui juris, hinc etiam & omnia relinquere oportuit.

Et hoc exemplo Salvatoris, qui, è paupere Matre sub paupere tecto nasci voluit, & vitam tenui quodam ac vili fabri opificio sustentare; imò nec habere nidulum ubi caput reclinaret: ita nimirum ut ipse de sua paupertate testis luculentus: V. Ratio.

Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

Eò scilicet indigentiæ lapsus est, non necessitate; sed sua voluntate: erat enim & mortalium & immortalium ditissimus; & tamen in terras elapsus, pauperrimus videri & esse voluit, suoque exemplo & paupertatem probare, & divitias improbare.

Ipse Dominus, inquit Tertullianus, *qui in nullis divitiis invenitur, semper pauperes justificat, divites prædamnat.* *Lib. de Pat. c. 7.*

Quod si Dominus ac Magister in nullis divitiis invenitur, æquum est ut servus, ac discipulus in nullis quoque inveniatur.

Accedit & alia ratio petita à cumulo virtutum omnium, quo ditari, ornarique debet mens Apostolica; at ditabitur, ornabiturque à paupertate, quæ D. Ambrosio teste, est *parens quædam generatioque virtutum*: gignit enim ex sese insignem quandam animi demissionem, candorem addit nivcæ puritatis ac castitatis, sobriam facit animam, & à terrenis dum avocat, ad cœlestia traducit, redditque Deo suo dum creaturis subtrahit: Et quia sic virtuti, Deoque reddi debuit Apostolus, hinc & illud jactare in primo limine vitæ melioris: *Ecce nos reliquimus omnia.* VI. Ratio. *Lib. 5. in Luc. c. 6.* Omnia reliquit Paulus.

Ita reliquit D. Paulus, cujus hæ liberæ voces: *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam IESU CHRISTI Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci & arbitror ut stercora, ut CHRISTUM lucrifaciam.* *Ad Philip. c. 3. v. 8.*

Omnia

Omnia fortunæ mundique bona pro nihilo ducit; imò in damnis reputat & arbitratur velut excrementa quædam, quæ abjicit ut Christum in lucro reponat.

Quod verbo extulit Paulus, hoc expressit & facto, dum paupertatem in omni vita coluit, & nihil ferè de fortunæ bonis reliquum sibi fecit nisi quod esset necessitatis.

Argumentum erit illud quod sic olim ad Timotheum:

2. Tim. c. 1. v. 13. *Penulam quam reliqui Troade affer tecum, & libros, maximè autem membranas.*

Timotheo Asiæ Primati supellectilem suam reliquerat Paulus: At quam, inquies, supellectilem? Penulam ut reor attritam atque obsoletam, quam ne quidem suam appellar; vel quia propria non erat, sed commodata; vel quod amor paupertatis, quicquam suum dicere vetaret.

Libros deinde pauculos & membranas, hoc est interprete Theodoreto, Scripturas sacras, quas in membranis descripserat.

Ecce quod à Timotheo repetit Gentium Doctor, Asianæ Ecclesiæ Princeps, & Christi Apostolus; nec majora ab aliis, quibus labore summo Dei verba auribus animisque inserebat: ab his enim, ne quidem vitæ sustinendæ necessaria sibi suppeditari patiebatur eximius cultor Christianæ paupertatis.

Testes volo liberas voces, quas olim ad Ephesios, aliósque suos auditores:

Act. c. 20. v. 33. 34. *Argentum aut aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

Varias Asiæ partes peragrarat Paulus labore summo, fatigatione pari; sæpiùs ab æstu diffluens, aliàs à gelu rigidus totus, expeditus tamen ad omnia Christianæ caritatis officia: modò enim è pulpito tonabat, modò vacabat aris, modò sacris undis Catechumenos eluebat, modò morbidos curabat; nec operæ, nec labori, nec corpusculo, nec animæ parcebat indefessus CHRISTI operarius: At hos inter labores, nihil ab auditoribus emendicare, nihil accipere, imò nec expetere: ne quidem ea, quæ aut tegendo corpori, aut vitæ sustentandæ erant necessaria; hæc enim omnia sibi, imò & suis labore manuum suarum comparare: & hoc studio paupertatis, ut qui jam inde à primo limine suæ conversionis omnia reliquisset, nihil omninò quacumque ex causa recepisse videretur.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quid ergo erit nobis?* vers. 27.

QVID RELIQVVM ERIT RELINQVENTI OMNIA?



AD hanc quæstionem in promptu est responsio. Paupertas reliqua erit, eáque ut videtur extrema.

I. Paupertas voluntaria. Sed quæ, inquies, est illa paupertas? Ne duram tibi finge, ne vilem, ne abjectam ac propè infamem, qualis plerumque esse solet in mendicis, in quibus necessitas paupertatem eam facit: at aliam reddit voluntas, à qua spontè suscipitur; imò & cùm sensu ingenuæ voluptatis.

Homil. de recep. serv. *Paupertas illa*, inquit ore aureo Chrysostomus, *est tutum asylum, perpetua securitas, portus tranquillus, delicia periculorum extorres, voluptas sincera.*

Tract. de Paupert. c. 1. *Paupertas illa*, inquit B. Laurentius Justinianus, *est quadam manu ductrix in via, quæ ducit ad Cœlum, unctio authentica, exercitatio magna, & mirabilis.*

Est portus tranquillitatis, nutrix confidentia, quietis fundamentum, orationis adjutorium, peregrinationis exhortatio, & perfectionis porta.

Ecce quæ paupertas reliqua est relinquenti omnia. Paupertas, inquam, cœlo judice dives; at, terrâ teste, omnium indiga.

Orat. 1. de Pace. Hac egentes & unà etiam divites fuêre Apostoli, & sunt etiamnum viri Apostolici: quorum *vita sunt opes in egestate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, patientia in infirmitate, proles egregia in cælibatu, qui delicias aspernari pro deliciis habent, qui in mundo nihil habent, & mundo superiores sunt, qui pro portione Deum habent, qui propter regni spem inopia laborant, & propter inopiam regnant*, ut magnificè D. Gregorius Nazianzenus, ex quo pauca notari velim, quæ huic quæstioni lucem aliquam afferent.

II. Opes in egestate. Primum, ei, qui pro Christo pauper est *Opes esse in egestate*: quas enim avarus reponit in rerum omnium abundantia; has ille constituit in ubere quadam indigentia.

Et hinc secundum, quod stylo notat Nazianzenus Præsul: Qui Christi causa reliquerunt omnia, *in mundo nihil habent, & mundo superiores sunt.*

Et hoc est discrimen inter Christi pauperes & divites hujus ævi: hi enim sub mundo sunt, illi supra mundum; hi sub divitiis tanquam servi, illi supra divitias velut Domini. III. Dominium rerum omnium.

Avarus, inquit D. Bernardus, *terrena esurit ut mendicus; fidelis contemnit ut Dominus.* Serm. 21. in Cant.

Hæc ubi pronuntiavit S. Abbas, tum avarum sic compellat.

Si non vales terrenas res abjicere, fatere te pecunia tuæ non Dominum esse, sed servum; custodem, non possessorem. Conformaris enim crumena tua tanquam servus Domina sua: cum crescente marsupio tuo crescis pariter animo; & cum decrescente decrescis.

At non sic fidelis, non sic qui reliquit omnia: hic quippè supra divitias est ut supra servum Dominus; hic eas sub pedibus habet, non supra caput: quidni enim sic eas babeat qui mundo superior est, & inferiora ad se trahit omnia?

Ille ipse D. Bernardus (qui etiam inter Christi pauperes) censet hos ad se rapere omnia, qui omnia contempserunt, jactareque posse etiam illud Christi: IV. Denique omnia.

Ioan. c. 12. v. 32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.*

Hoc est, interprete D. Bernardo, si omnia contempsero, omnia possidebo.

Et hoc ipsum est quod longè ante illum extulit Apostolus, ubi de seipso, deque viris Apostolicis pronuntiavit istud: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. c. 6. v. 10.

At quomodo, inquies, omnia possidentes?

Primùm quia necessaria habent, nec ambiunt plura, ideoque perinde habent ac si omnia possiderent: I. Ratio illius.

Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est inquit Seneca; Igitur dives qui nihil. Epist. 2.

Secundò, quia licèt essent longè pauperrimi, erant tamen Principes fidelium, qui cùm essent ditissimi, ad eorum pedes sua abjiciebant omnia, adeóque & ea ipsi quodammodò possidere videbantur.

Orat. 28. Hujusmodi homines S. Gregorius Nazianzenus appellabat: *Pulchre inopes*, & inclyta paupertate visendos.

Et exempla. Ex hoc genere fuerunt Pammachius, & Paulinus Præsbyter, qui ex divitibus & honoratis pauperes & inglorii facti sunt: Et idcirco *ditiores*, *& magis inclyti, quia pro Christo pauperes & inhonorati*, inquit D. Hieronymus. Epist. 24.

In aliis. Ejusmodi etiam fuit Anastasius Pontifex Max. quem idem S. Pater virum vocat *Ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis*. Epist. 8.

Ejusmodi fuit (ut etiam antiquiora repetam) magnus ille Legislator Moses, de quo sic Philo Judæus:

L. de vram. & parat. *Hunc solum memoria proditum est, sine auro argentoq; ac reliquis opibus regnum administrasse, confisum perspicaci, non cæca opulentia, & ut nihil dissimulem, pro suo censu habentem quidquid Deus possidet.*

In Moyse. Ecce quæ Moysi à paupertate relicta sit opulentia. Ecce quæ possedit qui omnia reliquit: Pharaonis aulam, opes, gratiam, favores Regios, quorum vice ac loco, pro suo censu habuit quidquid Deus possidet.

Possidet Deus æthera & ventos, grandines, tonitrua ac fulmina habet in Thesauris suis: Et hæc quoque habuit Moyses, dum ea in Ægyptios, & rebellia capita contorsit.

Possidet Deus cœlestes Orbes, & aërem: tam hunc, quàm illos modò lumine, ceu amœna veste, tegit, modò tenebris & densa nocte celat ac mergit: Et hoc quoque fecit Moyses, dum Ægptum universam densissimis tenebris obruit.

Possidet Deus oceanum & maria; Et hæc quoque possedit Moyses: Nam & maria virgâ divisit, ut Hebræis iter liberum aperiret: Ægyptiis autem & Pharaoni sepulchrum.

Possidet Deus aquas, & fontes laxat è cavernis abditisque montium, & puteos eruit è vallibus, impletque lympido elemento: Et aquas quoque & fontes possedit Moyses, dum & hos & illas in sanguinem vertit.

Possidet Deus hanc terræ molem, & eam modò in lutum cogit, modò spargit in pulveres, modò ex ea, ceu communi animalium parente, ranas, scinphes, muscas eduxit in mortalium perniciem, & satorum ruinam. Et hoc quoque fecit Moyses, dum ad ejus imperium Aaron virgam extendit, & *omnis* Exod. c. 8. *pulvis terræ versus est in sciniphes.* v. 17.

Possidet Deus hanc vitam qua vivimus, & eam donat, aut eripit cùm ita lubet, tanquam vitæ mortisque Dominus: Et hoc quoque fecit Moyses, dum Pharaoni primogenitorum cædem prænuncia voce edixit, & Angelo vindice etiam intulit.

Adeo verum illud quod Moyses pro suo censu habuerit quidquid Deus possidebat.

Ex quo confice quàm dives, quàm opulenta paupertas, & quàm etiam tum verum fuerit illud: *Nihil habentes omnia possidere*; nec mirum, cùm etiam Deum ipsum, in quo sunt omnia, possideant. II. Ratio illius.

Et hoc est quod tertio loco notavit D. Gregorius Nazianzenus, dum amore gratiaque CHRISTI pauperem, censuit *pro portione sua DEUM habet*, ut jactare possit illud cum Propheta Regio: *Dominus pars hæreditatis mea, & calicis mei.* Hebraicè, *Chelki*, portio mea, & tota hæreditas, in qua indubiè *funes ceciderunt in præclaris.* Supra. c. 5. Deut. Psal. 15. v. 5.

Vel ut vertit Divus Hieronymus: *Lineæ ceciderunt mihi in pulcherrimis.*

Vel ut Chaldæus: *Sortes ceciderunt mihi in dulcedine*, quia & pulcherrimus & dulcissimus est Dominus; imò ipsa pulchritudo, ac dulcedo, qua captus Vates, exclamabat:

Hæreditas præclara est mihi; quia non alia quàm Deus ipse, qui spontaneè pauperi est portio & hæreditas, ut Deo ter Opt. ter Max. dicere possit cùm Propheta:

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Psalm. 7. v. 17.

Ideo enim pauper est, id est, omnia hujus mundi temporalia bona contempsit, ut tu sis tantùm spes ejus: pupillo tu eris adjutor, id est, ei cui moritur pater hic mundus; ut piè explicat D. Augustinus, qui sic deinde exclamat: Ibidem.

Discite ergo esse pauperes, & Deo reliqui, ô compauperes mei; & hoc pro certo habetote, nihil unquam vobis defuturum: ut enim rectè D. Ambrosius: Serm. 100. de Temp.

Qui omnem sui usum in Deo collocat, nunquam egere potest; quia ut cætera pauper sit, at Deo suo dives est. In c. 12. Luc.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me.* vers. 28.

CUR NON REPETIT, QUI RELIQUISTIS OMNIA?



HRISTO Servatori tam suo quàm aliorum nominè duo proposuerat Petrus, quæ magni apud superos Deúmque & pretii, & meriti videbantur. Primum erat: *Ecce nos reliquimus omnia.* Alterum: *Et secuti sumus te.*

Ubi de præmio meminit Magister Optimus, non meminit nisi posterioris; hujus nimirùm: *Vos, qui secuti estis me.*

Primum autem, *reliquistis omnia*, alto silentio premit. Quæ causa?

An omnia reliquisse, ac sæculo renuntiasse, an nudasse se rebus omnibus, nullius erit apud Christum meriti, præmii nullius? Minimè gentium.

Cum enim arduæ mentis sit, virtutis arduæ omnia Christi causa abjecisse, certè & magno in pretio esse debuit, & magno quoque in præmio.

Sua enim virtuti apud Deum semper est merces. Si quis fortè misericordiâ motus vel calicem tantùm aquæ frigidæ sitienti dederit in nomine Domini, non perdet mercedem suam: & perdet qui pro Christo omnia liberali animo effuderit? Enimverò non perdet.

Cur igitur Magister Optimus eo loco ac tempore judiciariam potestatem sequentibus se pro mercede reponit, & non reponit omnia relinquentibus, imò ne hujus mentionem facit?

D. Hieronymus ait non meminisse, quia omnia à se abjicere potest etiam Philosophus ex studio profanæ sapientiæ, imò & leviusculæ cujusdam vanitatis, captandæ apud vulgus gloriolæ causâ: *Nam & Crates Philosophus, & multi alii divitias contempserunt*; In cap. 19. Matth. I. Causa.

Hieron. l. 3 in Matth. *runt*, at nulli ex iis Christum secuti: *Hoc enim proprium Apostolorum est atque credentium.*

Homil. 9. in Ezech. D. Gregorius alio stylum vertit, censétque Christum, tum temporis non meminisse abdicationis
II. Causa. sæculi; quia, inquit, *pertimescit ut retrò per cogitationem redeat, qui ad interiora respiciens, jam mentu gressibus ad alta ibat.*

In quo miteris & ames cœlestem Christi Domini sapientiam, qui & Petro & aliis Apostolis voluit esse benè cautum, & ne verbulo quidem in memoriam revocari sæculum derelictum, ne fortè ad illud rediret oculus, ne mens & affectus relaberetur; maluit penitus omitti, & memoria quodammodo excidere, tantæ virtutis meritum, quàm vel tantùm obiter oculis objicere.

Nimirum periculosæ plenum opus aleæ de sæculo jam ante relicto vel verbulo loqui, vel oculo aspicere; ena mut illius meritum penses ac præmium.

Luc. c. 9. v. 62. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei*, inquiebat Salvator; cujus rationem reddit Græcus apud S. Thomam in catena: *Crebri namq; intuitum eorum, quæ deseruimus, propter consuetudinem trahimur ad retrò acta; violentum enim quid usus est ad retinendum sibi: nonne habitus ex usu, ex habitu verò natura innascitur: naturam amovere, vel alterare difficile, nam etsi paulisper declinet coacta, redit ad seipsam velociter.* Redit, inquam, primùm oculo; dein affectu, qui ferè cum illo inclinat, illúmque sequitur.

Propter illam naturæ nostræ inclinationem Salvator Optimus adolescenti postulanti, ut priusquam eum sequeretur, liceret sibi primùm ire, & sepelire patrem, adjecit illud, quod videri poterit duriusculum: *Sinite ut mortui sepeliant mortuos suos. Non paterni funeris sepultura prohibetur*, inquit D. Ambrosius, *nec revocatur ab officio patris filius: non interdictum est muneris; sed religionis mysterium*, quod in eo positum est, ut nunquam respiciat retrò ne specie quidem pietatis, qui Christo semel sese adjunxerit. Luc. c. 11.

Addi potest & alia ratio, ob quam Magister Optimus non meminit eorum, quæ reliquerunt Apostoli, quia ea fortunæ ludus sunt, & possessores suos citò deserunt, vel hujus sæculi inconstantiâ, vel divitum malevolentiâ ac rapacitate, qua in pauperculorum (quales erant Apostoli) fortunas sæpiùs involant, easque rapiunt ac perdunt, *ex aliorum calamitatibus messem facientes*, inquit D. Gregorius Nazianzenus. III. Causa. Orat. pro Basilio.

Accedit quod divitiæ, & omnia hujus mundi bona apud Superos Deúmque pro luto sint, adeóque nullo in pretio. IV. Causa.

Apud Hebræos sapientes eadem omninò vocula, *Agbthith*, & divitiarum copiam, & multum lutum significat, ut bellè notavit Rabbi David. Quid igitur mirum si relicta bona divitiásque in pretio præmiique sorte non reponit Salvator Optimus, cùm eæ & ipsi, imò & discipulis pro luto esse debeant, adeóque ne dignæ quidem quæ nominentur.

Certè primi ævi Christiani, ut suum de illis judicium aperirent, palámque facerent quo loco apud illos essent opes, eas ad Apostolorum pedes abjicere soliti, ut quasi lutum essent sub illorum pedibus.

Cogitemus Crucem Domini, & divitias lutum putabimus, inquiebat ad Nepotianum D. Hieronymus. Epist. 2.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Secuti sumus te.* vers. 27.

QUA VIA AC RATIONE PAULUS CHRISTUM SECUTUS?



HIC modum ac rationem inquiremus, qua mirabilis Dei Providentia ex Saulo Paulum, ex persecutore Apostolum effecit.

Paulus dictus à Saüle primo Rege de tribu Benjamin, ex qua & ipse Paulus, qui primùm dictus Saulus nomine malè ominato.

Quod Latinè *Saulus*, Hebraicè *Saül* appellatur, de cujus Etymologia hæc pauca Interpretes.

Saül Hebraicè *Schaul*, id est, *postulatus* à populo in Regem, & à Deo veluti commodatus.

In Epist. ad Philem. Et Saulus, *quòd ad vexandam Ecclesiam à diabolo esset postulatus*, inquit de Paulo D. Hieronymus.

Perversa sanè postulatio, sed consona ferè nomini: symbolicè enim Saül & Saulus alludit ad *Scheol*, id est, infernum, quòd semper postulet, & nunquam satietur: Et is videri poterat Saulus, ut qui fiti planè insatiabili Christianorum cædes, ac sanguinem postularet, & ex expleretur nunquam.

Nimirum Saulus quasi σάλος, hoc est velut inquietum mare, potuit appellari, σαῦλος, id est *vitiosus, fluxus, delicatus, levis.*

Hæc enim vitia in Saulum cadebant: quia ut vividi excitatique erat ingenii; ita & ferocis.

Ardebat zelo quodam Mosaicæ legis, quam dum à Christi lege concedere audiebat, in hanc toto animi ferebatur impetu, & æstu quodam irarum; quibus ut mare fluctibus, ita Paulus agitabatur: & hinc Stephani, aliorumque sanguine necdum satur, instar inferni in novas cædes ac prædas semper hiantis, Damascum equo celeri vectus tendebat, ut Christianos, viros ac mulieres in vincula raperet: Cùm ecce subitò *circumfulsit eum lux de cælo.* Et hæc prima ad meliorem vitam aperta est via. Act. c. 9. v. 3.

Imminebat vertici Sol altus, qualis est in meridie, cùm Saulum circumfulsit lux de cœlo: non ea Solis fuit, sed quæ lucem Solis vinceret, fulguris instar & coruscationis, quæ & Pauli oculos & aliorum omnium suo fulgore perstrinxit. Prima via ad conversionem.

Fuit ea lux & tempori illi accommoda, & opportuna saluti; idque multas ob causas.

Prima: Oculi teste Pythagora sunt veluti *Solis januæ*, sunt fenestræ per quas lux intrat ad animum, eumque suo fulgore perfundit: & ita tum temporis Saulum perstrinxit, & oculos, in quibus animus inhabitat, mutavit in melius. Laert. l. 8. Plinius l. 11. c. 37.

Ardebat ille ira, æstu quodam ac furore in Christianos; at eum illicò fregit, vicitque lux melior, & unà etiam tum oculis, tum ipsi menti serenitatem attulit ac moderationem, quâ ad Dei sui voces aptior redderetur. Ita Chrysostomus. Nimirum (ut rectè ille ipse S. Præsul) *ira quasi fulmen est in anima*, imò fulmen & in oculis, quod cœlesti fulmine repercuti frangique debuit. Hom. de ferendis reprehens. Tom. 5 serm. de mansuet.

Et ita factum est opportunè: ab illa luce, oculorum lumen amisit, ut altiorem animæ lucem reciperet: ita Saulus ad instar lupi nocturnis oberrans tenebris effusâ luce excæcatus est, ut inquit D. Ambrosius. L. de bened. Patriarch.

Cui addi possunt & aliæ rationes; ut lux scilicet illa, quæ extrinsecus affulgebat, mentis tenebras, quæ intrinsecus erant, aperiret; ac deinde esset indeæ

index lucis illius, quæ appellebat ad animum; denique doceret in posterum in luce ambulandum.

Si porrò quæras unde subita illa lux, unde fulgor ille: Ne credere esse solis hujus aspectabilis, ne exiliens è disrupta nube fulgur, ne fulmen irato excussum æthere; sed altius omninò lumen, quod spargebat Christi Corpus jam gloria donatum & dote claritatis.

Quæ Saulo ad salutem via; eadem & peccatori: ubi enim hunc è vitiorum barathro, tenebrisque educere parat Deus, appellit illicò ad mentis oculos, diviniore quadam luce, & metu impendentis judicii, ceu fulgure percutit, ac deinde sternit.

II. Via ad conversionem. Et hæc Saulo ad vitam alteram via etiam fuit; cecidit enim in terram: cujus lapsus, aliæ atque aliæ proferri possunt causæ; Physicæ quædam, aliæ Morales.

I. Ratio Physica. Inter Physicas recenseri potuit lux illa fulguris ac fulminis instar; hoc enim insita quadam vi, atque impete & homines, & pecora, & arbores solo insternit.

Secunda. Accessit deinde validum tonitru Divinæ illius vocis: *Saule, Saule, quid me persequeris?*

Homil. 6. in Ezech. Ab hoc percussus concidit in terram, & quidem prona facie, ut advertit D. Gregorius; sic enim cadere solent ii, qui deinde cœlo propitio resurgunt atque à peccatis excitantur; secus autem impœnitentes, atque obdurati: hi enim resupini ferè concidunt, & in dorsum: Ita cecidit Judas, & impia satellitum turba, quæ Christo quondam vincula injecit. Et hæc de causis Physicis. Venio ad Morales.

I. Ratio Moralis. Et Saulus, & quisquis est homo rationis compos ac Dei capax, erecto vertice Cœlum suspicere debuit ac vereri, & cupiditates omnes, passionésque infrà se ponere: in hoc enim reposita hominis dignitas & honos supra cætera animantia, quæ prono capite terram aspiciunt.

Homo hunc præcipuum honorem sortitus est præter animalia cætera, quod Deum colit, inquiebat Philo etiam homoprofanus.

At Saulus tum temporis nec Deum coluit, nec Christum Dei Filium; sed potiùs ira victus, ac passione prostratus temerario ausu persequi cœpit: & hinc Cœlo vindice prosternitur; & prosternuntur omnes, qui seipsos ad insanas passiones abjecerint, atque exhonorarint.

Secunda. Et hinc altera ratio Moralis: Viri boni, virtutisque amantiores seipsos erigunt & tollunt in altum adnata quadam à virtute rebusque benè gestis gloria; uti contrà mali privant se omni honoris atque æstimationis decore.

Homil. 2. de symb. Et hoc, quia, ut ait Eusebius Emissenus, *Eradicendis cupiditatibus se exhonorasti*; & quia sic exhonorant, ideo Cœlo vindice prosternuntur; & dum terræ quasi affiguntur, mirum nam quantum affliguntur: Et inde

Tertia. Tertia ratio moralis. Quos Deus videt insolentiores, & Cœlo quodammodo superbo vertice insultantes, hos illicò sternit, hoc est, adversis deprimit, & solo allidit ut ad altiora erigat. Ita hic stravit Saulum, & illicò elicuit has voces dignas Paulo, dignas Apostolo: *Domine quid me vis facere?* Adeò verum, quod à Deo deprimi ac sterni, sit erigi atque attolli ad meliora.

Cap. 6. v. 1. *In tribulatione sua, manè consurgent ad me*, inquiebat Deus Oseæ voce: sic assurrexit Saulus, & quidem primo manè tribulationis suæ, hoc est, eo ipso momento, quo ultrice Dei voce, ac tonitru prostratus.

Ætatis suæ florem, annosque juveniles insumpserat Saulus, ut in Mosaica lege ac cæremoniis probè doctus esse ac videri posset: & hoc quidem in alta pace. At in hac, magistro Moyse, non didicerat Cœlo subdi ac parere; didicit illicò ubi in terram concidit quasi ictus cœlesti fulmine. Ita adversitas illi pro Magistro fuit.

Sic etiam paucos ante annos aliis quoque Christi Discipulis fuerat: nesciebant illi ad Magistrum recurrere cùm pacata ac quieta essent omnia; at ubi turbatum mare, tùm eo quasi Doctore, didicerunt. Crederes Doctoribus Universi, loco Doctoris fuisse ipsum mare: quod sic olim Christus apud Basilium Seleuciæ Episcopum:

Orat. 22. *Esto mihi discipulorum præceptor, ô mare, & pro flagro fluctuum terrorem injice: attollantur undæ, armentur venti, jactetur undequaq; scapha, naufragii anima intententur, mors ostentetur, mortis expectatione pendeant, usque ad spem tamen stet terra; nam terreri volo, non occidi.*

Hic agnosce, ac suspice amabiles Divinæ Providentiæ vias ac modos, qui peccatores sibi ac suis insultantes terreri vult, non occidi.

Ita Saulum terreri voluit, non occidi dum è medio quasi fulmine has jactavit voces.

Saule, Saule, quid me persequeris?

Ea reperitio unius ejusdemque vocis, index fuit & amoris in Christo, & stuporis in Saulo, qui & profundum peccato suo indormierat, & à Christo mirum quantum distabat; tantum scilicet quantum Occidens ab Oriente, ut in Occidente audiret atque obediret Saulus.

Hom. 14. inter 50. *In Occidente vetus, in Oriente novus: in Occidente Saulus, in Oriente Paulus*; ut eleganter atque ingeniosè notavit B. Augustinus, cujus extrema verba mihi aperiunt viam alteram, qua ad Saulum venit Salus & Salvator; videlicet immissa ei cæcitate. *Surgens quippe de terra, apertisq; oculis nihil videbat.* De quo sic magnificè D. Chrysostomus:

III. Via ad conversionem. *Act. 9. v. 8.*

Hom. 4. de laud. Pauli. *Pauli cæcitas totius Orbis illuminatio effecta est. Quoniam enim videbat malè, eum excæcavit Deus, ut utiliter jam videret in reliquum.*

Videbat malè, inquit Orator aureus, quia ut aperti corporis oculi; ita clausus erat mentis, atque bonæ intelligentiæ oculus.

Videbat malè, quia ad terrena oculatus; ad cœlestia cæcus.

Videbat malè, quia ut in lege Moysis & Patris Traditionibus perspicax esset & lynceus; attamen ad Christi, Gratiæque legem bebes erat, & cæcus ut talpa.

Is nimirum esse solet mali dæmonis genius: Illis, quos perdere vult oculum mentis eruit, ne quæ saluti sunt utilia videant.

Quod in Sedecia Rege, ceu symbolo quodam peccatoris, sic declarat B. Petrus Damianus:

L. 2. Ep. 5. ad S. R. E. Cardinal. *Babylonis Rex extinctis prius filiis Sedeciæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit.*

Ita sustulit Saulo: at restituit Christus, qui sic corpori visum ad tempus ademit, ut in reliquum vitam animo daret meliorem intelligentiæ ac Fidei lucem: & hoc quidem Doctore Anania, ad quem emisit; sic enim ad illum: *Surge, & ingredere Civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* *Act. c. 9. v. 7.*

IV. Via ad conversionem. Et hæc fuit etiam via, qua ad Fidem & ad Apostolici muneris culmen ductus est Saulus. Poterat enimverò, poterat à Christo de omnibus edoceri, à quo & vocatus atque ad Ananiam emissus, ut ex illo audiret quid opus facto.

Nimirum est ille ordo Divinæ Providentiæ jam inde ab Ecclesia condita status ac fixus, ut homines per homines ea quæ Cœli sunt ac salutis odoceantur: Exemplis res erit illustrior.

Act. c. 10. v. 5. Cornelius Centurio vir in paucis religiosus, & in orationes & eleëmosynas effusus, qui etiam Angelo teste ad Cœlum venerat Orator, & rediret exorator; tamen ad Petrum emittitur, ut ex illo discat quid facere oporteret. Poterat illum bonus

Angelus

Angelus de omnibus edocere, qui ad illum venerat Cœli nuntius; noluit tamen, quia homines per homines instrui amat Dei Providentia.

Quod Cornelio Petrus; hoc Eunucho Philippus, ad quem sic Angelus.

Act. c. 8. v. 27. *Surge, & vade contra meridianum ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam.*

Paruit, surrexit, ad Eunuchum venit, invenitque lectitantem Isaïam, cujus vaticinia implicata atque obscura evolvit atque in apertum extulit, ac deinde ab Angelo illicò raptus & Azoto redditus.

Poterat Angelus, qui Philippum primò ad Eunuchum emisit, deinde rapuit transtulitque in Azoto; poterat, inquam, Eunucho omnia Isaiæ vaticinia explicare, & ex illis occulta Fidei mysteria oculis fidelibus supponere; non supposuit tamen, sed Philippo id muneris reliquit, ut homo ab homine disceret.

In Prolego. l. 1. de Doct. Christ. Quod illis; hoc & Saulo, qui, ut ait D. Augustinus, licèt *Divina, & cœlesti voce prostratus, ad hominem tamen missus est, ut Sacramenta perciperet & copularetur Ecclesiæ.*

Rationes amabilis illius Providentiæ si quæras, audies alias atque alias esse.

Una est: ut sua naturæ humanæ sit dignitas, Majestas sua: eam Deus esse voluit velut augustum in terris templum unde responsa redderet, atque Oracula:

Suprà. *Quomodo autem verum esset, quod dictum est, Templum Dei sanctum est quod estis vos, si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum, quod discendum, hominibus tradi vellet de Cœlo, atque per Angelos personaret*, inquiebat D. Augustinus.

Altera est: ut mutua homines inter caritas foveatur: dum enim ille docet, & hic discit; tam hic, quàm ille uno quasi doctrinæ vinculo nectitur atque copulatur.

Suprà. *Ipsa caritas*, inquit D. Augustinus, *quæ sibi invicem homines nodo unitatis astringit, non haberet aditum refundendorum & quasi miscendorum sibi animorum, si homines per homines nihil discerent.*

Alia ratio petitur ex ipsa artis, ac scientiæ natura, quæ magistrum amat & quærit.

Epist. 4. *Nulla ars*, inquit ad Rusticum D. Hieronymus, *absque magistro discitur: etiam muta animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos.* Quidni & homines sequantur, maximè in ediscendis arcanis Fidei ac perfectionis, quæ scientia Sanctorum est, & ars artium?

At, inquies, ad illud ductores esse possunt cœlestes genii. Non abnuo: at eos hac in parte non assumpsit Dei Providentia, quæ inferiores Angelos per superiores illuminari, & homines per homines vult edoceri.

Exemplum hujus illustre tibi dabit Joannes Moschus petitum è vitis Patrum.

Cap. 199. Abbas erat notæ inter suos sanctitatis, cui ad Aras facienti adesse frequentes Angeli, & oculis visibili specie subjici: hic, fortè per imperitiam, errorem ab hæreticis hauserat, atque etiam inter sacra usurpabat; de quo monitus à Diacono. Verùm id parvi fecit Abbas, ratus si quid erroris in sacrificium irrepsisset, ab Angelis illicò retegendum, & viva etiam voce, ceu oraculo Angelico, exprimendum. Cumque nec retegeretur, nec exprimeretur, argumentum inde petebat nihil erroris subesse.

Suberat tamen, & de eo iterum ac sæpiùs à Diacono monebatur. Oportuno, imò importuno, ut videbatur, monitori aliquid fuit concedendum Fuit autem illud, ut de eo vel Angelos consuleret: & verò consuluit, audiitque, omninò rectè monere Diaconum, ideoque audiendum quàm maximè. Hæc boni genii, quibus illicò Abbas hoc objecit. Quare non dixistis mihi? Cui subjecerunt illi. Deus ita disposuit, ut homines ab hominibus corrigantur doceanturque. Et ita in Saulo factum amamus, ac demiramur.

Et hæc quidem de aliis atque aliis viis per quas Divinâ Providentiâ facta est ea Pauli conversio: ut iisdem fiat & nostra.

Primò nobis affulgeat è Cœlo lux altior, quæ tenebras vel ignorantiæ nostræ, vel passionum, vel peccati dissipet.

Deinde sternamur, abjiciamur in terram, & humiliemur sub potenti manu Dei.

Tum etiam oculis orbemur, privemurque eo lumine, quo terram, & terrena aspicere solitieramus; & aperiatur interea nobis oculus mentis, & lumen aspiret altius, quo cœlestia & Divina capere possimus, atque contemplari.

Denique adducamur ad *Ananiam* unum aliquem. *Ananias interpretatur ovis*, inquit Augustinus. *Ita lupus rapax adducitur ad ovem sequendam; ita lupus ad ovem captivus ducitur, & ab agno pro ovibus mortuo, fit ovis secura de lupo.* *Serm. 14. de Sanctis.* Si ab ira, aut impotenti aliqua passione lupi rapaces fuimus, adducamur ad ovem & ovis mansuetudinem imitandam.

Adducamur ad *Ananiam*, id est ad gratiam & Dei misericordiam; sic enim nostra conversio probabitur ea quæ D. Pauli fuit, id est perfecta; sic & ab illa securi vivemus, securique excedemus è vita.

Sic excessit S. Poppo Abbas, qui sub extremum mortalis ævi à Deo enixè petiit, ut si perfectè ad eum conversus esset, è vivis abiret ipso, qui proximè instabat, D. Pauli Conversionis die. Et hoc illi indicium esset suis numeris absolutæ conversionis. *Bollandus in ejus vita 25. Ian. c. 14.* Votis optimi Abbatis & servi sui annuit Dominus, & quod in omni vitæ cursu petierat, obtinuit in extremo. Cùm enim cilicio se cingi præcepisset, & hic loquendi finem fecisset, sub noctis medium, manus innocentes in cœlum extulit, & primo mane animam Deo reddidit acclamantibus omnibus: *Ecce, ô B. Poppo, hac hora sanctitatis tuæ indicio est omnibus.*

En viri sancti novissima; utinam & iis simillima reddantur & nostra. Ut porrò reddantur, fit & D. Paulo, sit & D. Popponi nostra conversio quàm simillima.



DE PVRIFICATIONE. B. MARIÆ VIRGINIS.



AC die in Templi sacrarium, ceu theatrum, prodeunt Virgo Mater, & IESVS Infans.

Die, inquam, exoptatâ Simeoni seni, fortunatâ Annæ viduæ, fortunatâ mortalibus omnibus; iis maximè, qui vel ex voto, vel exemplo sancti illius senis non corpore in Templum veniunt; sed in spiritu, ut Infantulum IESVM oculo Fidei aspiciant, & amoris ulnis excipiant, atque amplectantur.

Bollandus 4. Ian. in ejus vita, c. 8. Ita venit aliquando B. Angela de Fulginio; & quidem ea ipsa die, imò & hora, qua olim Diva Mater purgationis ergo venerat. Venit, inquam, sed in spiritu pietatis & amoris: Dumque sic venit, ecce illi obvia Virgo Mater; quam in excessu mentis dum videt, & ad illam propiùs accedere veretur; animos addit illa, seipsam de propinquo visendam exhibet; imò & filiolum, dulce pondus brachiorum suorum, ostentat; & sic deinde ad illam: *O dilectrix Filii mei accipe.*

Et his dictis filiolum tradit, quem incredibili animi sensu, ac voluptate dum excipit, ulnis stringit, & sinu fovet; pannis involutum intuetur, & blandè conniventibus, imò clausis oculis. Dum sic cum puellulo IESV, cum filiolo B. Angela; en tibi Deipara ex adverso sedere, sed amabili, sed mira, sed cœlesti quadam Majestate, ac venustate plena: & hac & illâ dum oculos pascit B. Angela, eósque à Filio ad Matrem convertit, ac statim ab hac ad illum revocat; en illicò puer IESVS ocellulos aperire, attollere, & Angelam respicere, atque ex isto Divinorum oculorum conjectu eos in illius animo motus excitare, quos nec ipsa capere, nec explicare unquam potuit. Nimirum ex oculis, ut aiebat illa, emicabat fulgor quidam cœlestis, & ex hoc amoris ignes, atque æstus lætitiæ inexplicabiles: quos dum explicato mentis sinu haurit B. Angela; simul & illud haurit, auditque à dilecto sibi IESV: *Qui non viderit me parvum non videbit me magnum;* Tum ad B. Angelam: *Ego veni ad te, & obtuli me tibi, ut etiam tu te offeras mihi.* Et hæ amantis, hæ benè monentis fuere voces, quibus paruit, & totam se puellulo IESV in victimam obtulit.

Quæ oculis B. Angelæ oblata species, seu Matris, seu etiam Filii; eadem & mentibus nostris hoc ipso die objicitur: Utinam eo sensu seu amoris, seu voluptatis, seu etiam devoti æternùm obsequii; ut cùm obvia nobis procedat Virgo Mater, procedat & Filius futurus pro nobis victima, & huic & illi etiam cadamus victima. Eam dum à te expecto, mi Lector, pauca interim

EX D. THOMA.

Serm. 2. Contexit hîc S. Doctor seriem magnarum virtutum, quas Diva Mater hoc in mysterio expressit.

1. Est *Humilitas* in purgatione, qua non egebat.
2. *Amor puritatis* in superabundanti purgatione.
3. *Reverentia* in Filium, in portatione.
4. *Devotio* in sacrorum locorum visitatione.
5. *Gratiarum actio* in Filii oblatione.
6. *Paupertas* in oblatione turturum, quæ oblatio pauperum erat.

Ostendit deinde quomodo exemplo D. Virginis, & ipsi purgari debeamus; & hoc modis octo:

1. *A peccati coinquinatione.*
2. *In cognitione*, eam omni errore purgando.
3. *In affectu*, nè in malum declinet.
4. *In mente*, rectâ intentione, quæ DEUM spectet.
5. *In ore*, ne quid impurum effluat: *Sermo sit Prov. c. 15. purus.*
6. *In manibus*, ut pura quoque sit operatio.
7. *In toto corpore*, ut conversatio probata sit.
8. *In rebus ipsis*, in quibus & superflua rescanda.

Et hæc ex D. Thoma.

EX

EX D. BONAVENTURA.

IN ejus concionibus, ex quibus haurire soleo, nihil reperi; pauca in expositione in secundum Caput Lucæ, in quo notat:

Primò, Christum fuisse hostiam; & inde tres illius Oblationes:

Prima, *Est Oblatio ipsius à Parentibus, quæ invitat ad Humilitatem.*

Secunda, *Est Oblatio avium pro ipso, quæ nos invitat ad paupertatem.*

Tertia, *Est Oblatio in Cruce pro omnibus, quæ nos invitat ad pietatem.*

Secundò, In Oblatione pro puellulo IESU facta, advertit.

In Columba intelligi vitam activam; *in Turture* contemplativam. Et huic, & illi, suus est gemitus.

Turturis gemitus convenit Contemplativis; & hic est duplex:

Primus Gemitus, est Amoris.

Secundus, est Devotionis.

Columbæ gemitus competit Activis; & hic etiam duplex:

Vnus pro peccatis propriis.

Secundus pro peccatis alienis.

Quasi Columbæ meditantes gememus, inquiebat Isaias, *Cap. 59.*

Ita qui cum Christo purgatur, primùm ascendit ad contemplationem Dei; & ex amore gemit ac devotione: tum descendit ad considerationem sui ac proximi; & gemit ex contritione & compassione.

Et in his consistit animæ sanctæ ac Deo devotæ perfectio.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Postquam impleti sunt dies purgationis MARIÆ secundùm legem Moysi.* Lucæ c. 2. v. 22.

QVÆ FVERIT ILLA LEX? ET CVR PVRGATVR MARIA *purgatione minimè indigens?*



AD primam quæstionis propositæ partem id statuo, tres hîc distingui leges, quarum vinculis tenebatur puerpera.

I. Lex. Levit. c. 12. v. 2. Prima hæc erat, Ut quæ masculam prolem edidisset, immunda maneret per dies omninò quadraginta.

II. Lex Levit. c. 12 v. 6. 7. Secunda, Ut mater pro legali sua purgatione, Deo ter Opt. ter Max. offerret agnum, & pullum turturis ac columbæ; si modò dives esset atque opulenta; sin autem tenuis & paupercula, par turturum, aut duos pullos columbarum.

III. Lex. Exod. c. 13. Tertia, Ut proles mascula & primogenita Deo sisteretur, offerreturque veluti nobilis quædam victima, quæ tamen quinque siclis, hoc est, quinque floreois Brabanticis redimi poterat.

Ratio Legis Id legis imponi placuit, ut iret in posteros omnes cæsa quondam Ægyptiorum primogenita; & hoc Angelo vindice, qui Hebræos ea plaga cædeque immunes ac liberos esse voluit.

Cur aliæ mulieres eâ tenerentur? Et hæ quondam latæ Deo judice Leges, quibus astringebatur omnis puerpera, quæ fœtum consuetâ naturæ viâ modoque conceperat atque ediderat: censebatur illa immunda:

Primùm, *Immunditia* quadam *naturali* quæ ex eo nascitur, quòd puerpura fluxum sanguinis, & menstruorum & secundinarum patiatur per dies quàm plurimos, à quibus deinde sequebatur legalis quædam impuritas, quia scilicet ex ritu antiquæ Legis quasi impura notabatur, arcebaturque à Templo, & sacris adytis, quæ nonnisi puros atque illibatos admittunt.

Denique accedebat etiam *Impuritas Moralis* ex eo in matre nata, quòd prolem conciperet ederetque peccato Originali infectam, adeoque Cœlo vindice priùs damnatam, quàm natam.

Cur non etiam Deipara? Ut porrò aliqua ratione tolleretur ejus generis immunditia, præscribebatur puerperæ dies purgationis: qua profectò minimè indigebat Deipara, in qua nulla fuit immundities.

Non *Naturalis*, quia ut disertè D. Cyprianus, in Christi partu *Nullus Matri dolor, nulla natura contumelia*, nullus sanguinis fluxus; tum quia in Virgine nullus sanguis superfluus, tum quia is, qui utero alendo fœtui servivit, eo jam emisso non effluxit, sed benigniore quadam naturæ providentia ad ubera ascendit, & versus est in liquorem lacteum, quo deinde aleretur Infans. *Serm. de Nativit.*

Et hæc sententia à SS. Patribus recepta & probata, imprimisque D. Augustino qui homunculum alterius sententiæ patronum, & Virgini Matri in ea re quodammodo injurium, sic compellat:

Stulte, unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Vnde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem. *L. de 5. hæres. c. 5.*

Hæc S. Præsul, ex cujus sensu verbisque id etiam conficio, In Deipara non fuisse *Legalem* illam *immunditiem*, multò minus *Moralem*; proles quippè nata, Infans JESVS, nulli peccato, ne Originali quidem obnoxius esse potuit, utpotè Spiritus sancti & Virginis opus illibatum, ut Deus homo, in quem nulla cadere potuit peccati macula, nullus omninò nævus: adeoque nec in Matre impuritas ulla moralis; sed summa quæ esse potuit puritas: Quam dum animo spectat D. Bernardus, hæc Virgini Matri in mentem, imò hæc in vocem venire potuisse testatur:

Quid mihi opus Purificatione? Cur abstineam ab ingressu Templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti? Cur non ingrediar Templum, quæ peperi Dominum Templi? *Serm. 3. de Purific.*

Hæc Dei Mater servi sui voce, non sua: etsi enim ex æqui bonique lege hæc apud se sentire, hæc loqui potuisset; at nec sensit, nec locuta est, sed tacita & humilis sese submisit Legi, quamvis illâ minimè astringeretur: Quæ causa? Hic erit nodus secundæ quæstionis, sacratiore solvendus manu, hoc est SS. Patrum sententiis; è quibus: *Cur ergo illi se submisit?*

Prima illud ascribit singulari obedientiæ, qua se Deo & Legi astrictam semper voluit Virgo Mater: Quam ideò sacræ Paginæ *Librum Legis* appellarunt. *I. Causa obedientia.*

Propheta Regius dum jam inde ab ipsis retrò sæculis eam animo contemplaretur, hæc de illa sacro

Ps. 34. v. 11. spiritu ac stupore: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Versio Chaldaica: *Stabit liber Legis in latere dextera tuæ, & exarabitur in exemplari splendor tuus velut obrizo & ophir.*

Scitè Virgo Mater dicitur *Liber Legis*, in quo scilicet cœlesti manu, sacratioribusque typis impressus & expressus Liber Legis, omniaque Dei mandata, quæ reddebat ipsa velut exemplar obedientiæ perfectissimum, quod proinde stetit ad Dei dexteram, hoc est, divinis honoribus decoratum est.

In Psal. 61. De Christo pulchrè dixit D. Ambrosius: *Suscepit ipse obedientiam ut nobis eam transfunderet.* Quod ego de Virgine Deipara: Suscepit ipsa obedientiam, ut nobis eam transfunderet: Suscepit, inquam, tum in omni vita, tum verò vel maximè ubi Cœlo propitio Dei Mater est designata.

Testes volo expressas illas obedientis animi voces, quas olim ad Angelum: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Lib. 2. c. 16 dub. 6. Ancillam se vocat, ut obedientiam probet, non Dei Matrem, quo dignitatem prodat. *Vt ostenderet se magis gloriari in obedientia & paratissimo consensu, quem sine mora exhibuit DEO, quàm in titulo Maternitatis*, inquit Antilius.

Quod eo loco ac tempore, hoc & in omni vitæ cursu; hoc & ipso purgationis suæ die, ad quam etsi nullâ lege teneretur, astringi tamen se passa melioribus obedientiæ vinculis, à quibus sic ibat in Dei sui voluntatem, ut de ipsa prædicaret Æternus

Serm 3 de Assumpt. Pater: *Voluntas mea in ea*, ut disertè notat Guarricus Abbas.

II. Causa humilitas. Descendo ad aliam rationem, quæ Dei Matrem in sacras Ædes impulit, ut se Sacerdoti velut purgandam sisteret; ea fuit insignis quædam animi demissio, quæ semper ad ima traxit.

Serm 9. de oper. B. V. Bernardus de Bustu, vir imprimis pius & Divæ Virginis amantior, eam esse dixit *Horologium* cujus *pondus* fuit *humilitas*; hæc ad ea rapuit quæ & hominibus abjecta videri & esse possent.

Nimirum ad hæc suo genio, imò & nomine vocabatur MARIA.

Lib. 9. Rev. c. 29. D. Brigittæ in pio mentis excessu hæc olim dixit verè humilis Dei Mater: *Duæ sunt Dominæ: una, quæ non habet nomen speciale, quia indigna est nomine, & hanc aiebat Superbiam esse; alia est Humilitas, quæ vocatur MARIA.*

Ecce ut humilitas MARIA vocatur, quia ex vero humilis MARIA; imò & ipsa quodammodò Humilitas: adeò ut & Humilitas MARIA, & MARIA Humilitas posset appellari: tanta scilicet hanc inter & illam fuit cognatio.

Eam prodidit in omni vita, tum verò in ea scena, quæ illi cum Angelo, Verboque Incarnato fuit. In illa cùm Dei Mater diceretur, ancillam se dixit

In c. 1. Luc. & voluit: *Ecce*, inquiebat, *ancilla Domini*; Nimirum *humilem paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre*, inquit D. Ambrosius, & præferendo concipere;

Hom. 1. super Missus. ut enim piè & verè D. Bernardus: *Etsi placuit de virginitate, de humilitate tamen concepit.*

Cap. 45. Ab illa dicta est terra virgo, de qua Isaias: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem*: id est interprete Hugone Carensi, *Appareat humilitas B. Virginis, & sic concipiat Salvatorem.*

Deumque è Cœlo in sinum suum devocet: Et verò devocavit facta veluti *Scala Cœli*, per quam Deus descendit.

Serm 35. de Sanctis. *Facta est certè humilitas MARIÆ scala cœlestis, per quam descendit Deus ad terras*; inquit D. Augustinus, qui à se velut alienus exclamat:

O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, Paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit.

Illa illa humilitas fuit, quæ Deiparam per dies omninò quadraginta domi continuit, quæ à sacris Ædibus velut immundam arcuit, quæ deinde in eas duxit quasi unam de vulgo & puerperii sordibus inquinatam, quæ denique primogenitum Deo obtulit, & dato pretio redemit.

Huic rationi accessit etiam altera; vis scilicet exempli boni, quod dare gestiebat Virgo Mater, quæ sic olim de seipsa Sponsæ voce: *Manus meæ stillaverunt Myrrham*: III. Causa exemplum boni. Cant 5. v. 5.

Meritò sanè dicuntur virgineæ manus Myrrham, hoc est opera probatissima, distillasse; non autem os, & lingua: quia non voce, sed opere studebat aliis omnibus prælucere. Et ita hîc factum est, & factum benè. Erat Dei Mater Cœli Regina, terræ Domina, à qua proinde peti exempla quàm optima, quà obedientiæ, quà etiam demissionis; & hæc addita illi diei, quæ ejus purgationi illuxit, docuitque quid Domini subditis, quid parentes filiis præstare debeant; accuratum scilicet virtutum omnium exemplar.

De S. Gorgonia scitè protulit illud D. Gregorius Nazianzenus: *Se quidem dum vixit, omnis virtutis exemplar liberis suis proposuit*; legebatur nimirum in illa velut in exemplari vivo atque animato, hinc pietas & religio in superos, inde caritas & amor in proximos; illinc pia in egenos munificentia, istinc insigne patientiæ studium, aliáque præclara virtutum omnium documenta; quæ in Gorgonia legeret quisquis eam vel levi oculo vidisset. Et hæc in parentibus ut legant filii est necesse; si modò ii sint qui esse debent; si D. Gorgoniæ, imo si magnæ Matris, magnæ Virginis piè æmuli.

Addi potest & alia ratio priori affinis, imò ex illa veluti nata; insigne scilicet studium obtinendæ puritatis. IV. Causa puritatis studium, & amor.

Erat virgo Mater longè purissima, nullus in ea peccati nævus, nulla omninò macula; attamen purgari de more voluit, ut & aliis tum esset exemplo, & deinde posteris omnibus documento, ut & ipsi studerent assequendæ illi puritati, ut peccatorum sordes, quibus plus æquo scatent, expurgarent; memores illius cœlestis maximæ: *Nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum.*

Ea porrò purgatio mascula sit oportet, hoc est perfecta; non autem muliebris, atque imperfecta.

In Lege veteri puerperæ si masculum effudisset, Exod. c. 3. dies purgationis notabantur quadraginta; sin autem fœminam didisset, octoginta: quæ res non caruit mysterio.

Si enim alicui pœnitentia & animæ expurgatio sit mascula, si virilis, si perfecta, absolvitur diebus quadraginta, id est, in hoc ævo mortali: sin autem fœminea, mollis, imperfecta, non absolvitur nisi diebus octoginta, hoc est, portione duplici; cujus pars una hîc penditur; altera purgatorio reservatur.

Cedreno teste Regina Saba Salomonis sapientiam sic olim tentasse fertur.

Elegit puellas & pueros impuberes ac mirè formosos, quos eadem veste, eodem donavit ornatu, ut discrimen inde nullum in sexu peti posset; tum hos & illas in Regis conspectum induxit, rogavitque ut pro ea, qua Cœlo auspice donatus erat sapientia, pueros à puellis, sexum à sexu distingueret.

Tum jussit Rex aquam proferri, & omnes promiscuè facies eluere. Funditur aqua tam his quàm illis; cùm ecce in ipsa lotione, modóque se prodit qui sub veste latebat sexus: pueri quippe ex ipso sexus ac naturæ genio faciem, genas & ora eluere validè, tergereque fortiter masculum in morem; cum puellæ contrà & lavare subtimidè, & extergere molliter, ex tenera quadam ac molli sexus sui inclinatione.

Et inde

Et inde pueros à puellis distinxit Rex Sapiens, non sine amabili Reginæ ipsius & astantium stupore & innovato quodam naturæ miraculo, ac propensione mirabili, quæ sese aperit, simulque sexum. E quo illud ad institutum meum deduco.

Nosce vis qui viriles & masculos gerant animos; qui contrà fœmineos ac molliculos? Age, vide qui purgentur, qui conscientiam eluant tam hi, quàm illi; in quæ deinde pœnitentis animæ opera descendant: Si viri sunt qui purgentur, dabunt illi aspera, rigida, fortia pænitentiæ opera; in jejuniis dies & septimanas exigent, corpus cinere obruent, cilicio domabunt, flagellis & verbere cruciabunt, liberalique manu æs in pauperes effundent, aliaque proferent virtutum magnarum specimina: E contrario si fœminæ, si imbelles, si delicatuli; eluent quoque illi conscientias suas, sed subverecundè, subtimidè, nec ibunt ad ardua virtutum ac pœnitentiæ: attendent nimirum quid canat mollicula caro, quid mundus obtrudat, quid dæmon objiciat, & frigidum illud audient: *Quid dicent homines?*

Non sic viri, non sic; non sic Diva Virgo. Non spectavit illa, non timuit antiquum illud: *Quid dicent homines?* Impuram me credent, & aliquod à viro vitium passam, passam aliquam in puerperio naturæ contumeliam, nec amplius audiam Virgo; sed velut una de vulgo, polluta ac sordida æstimabor.

Parum est, inquiebat Deipara, me habeant homines quam volent; mihi plus satis, quæ Deo teste sim, mihi plus satis, si obediens, humilis, abjecta in oculis mundi. Et hæc fuêre mascula virtutum opera, quæ ad posterorum bonum edidit Virgo Mater.

Poterat illa & quidem jure meritissimo objicere illud quod (ut ante insinuavi) ipsius vice D. Bernardus:

Quid mihi opus Purificatione? Cur abstineam ab ingressu, cujus uterus nesciens virum, Templum factum est Spiritus sancti? Cur non ingrediar Templum, quæ peperi Dominum Templi? *Serm. 3. de Purific.*

Hæc, inquam, aliaque ejusmodi opponere potuit Dei Mater, & adversus Judaïcæ legis placita excipere: at non objecit, non excepit, ut insignis obedientiæ, ac demissionis exempla præberet ac documenta, quæ sequi debeat & admittere omnis ætas.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Tulerunt illum in Ierusalem ut sisterent eum Domino.* vers. 22.

QVI TVLERVNT? ET QVEM?
Et quid in iis arcani mysterii?

In oblatione Domini tria significantur.



DIvus Bernardus, qui more suo in Scripturis piè & ingeniosè ludit, omniáque ferè traducit ad mores rectè formandos, advertit in oblatione Domini tres fuisse, ut in oblatione nostra tria quoque reperiantur.

Serm. 3. de Purific. *Fuit*, inquit, *in oblatione illa Ioseph sponsus Matris Domini, cujus Filius putabatur; fuit & ipsa Virgo Mater; & Puer IESVS, qui offerebatur.*

I. In Josepho constantia virilis. Et hi tres bellè notant, atque exprimunt, primò, quæ virtutum robora in nobis esse debeant ubi ad Aras venimus aliquid Domino oblaturi. Nimirum in nobis sit oportet constantia, sit castitas, sit simplicitas & humilitas: hæc enim tria ex oblatione Domini deducit & conficit in Logica Christiana.

Ibidem. *Sit ergo*, inquit, *in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis.*

Sit, inquam, *in proposito perseverandi animus virilis, sit in continentia castitas Virginalis, sit in conscientia simplicitas & humilitas puerilis.* De his & illis subdamus pauca.

Inter ea vulnera, quæ lethale scelus infelici animulæ infligit, est quædam instabilitas & inconstantia in benè cœptis.

Descendis, ô peccator in lavacrum pœnitentiæ, & hac eluis scelerum tuorum maculas, & multa benè concipis, meliusque disponis in reliquum vitæ tempus. Bonum factum si tibi constes, si pergas eo quo cœpisti pede, si integer perstes atque illibatus: At, ô malum, inconstantia! vix exscendisti è salutaribus aquis, cùm ecce sordibus redderis, iisque rursum inquinaris: & hoc, duce ac comite inconstantia; à qua etiam laboravit Jerusalem, de qua tristi nænia Vates.

Thren. c. 1. v. 8. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.*

Ne & tu quoque, ô pœnitens anima, instabilis sis, age, bonos imitare pœnitentes; imitare Petrum pœnitentiæ exemplar, & robur longè firmissimum: tremuit ille ad ancillulæ vocem, & pronus in peccatum concidit; at resipuit ad Christi aspectum, ac deinde stetit in omni vita: stetit, inquam, pro virtute Deoque suo; & ita quidem, ut *qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum*, inquit sanctus Maximus. *Hom. 4.*

Crederes ab infirmitate fortitudinem, ab inconstantia stabilitatem hausisse: & certè hausit à pœnitentia: & ut haurias, oportet etiam ex ipso regenerationis lavacro; è quo ubi exieris, excipies illud S. Laurentii Præsulis Novariensis.

Noli tu jam quærere Ioannem, neque Iordanem; ipse tibi esto Baptisma. *Hom. de Pænit.*

Esto, inquam, non levinscula arundo, sed columna immobilis; esto Fidei testis & Martyr invictus. Eris autem si in propositis constantiam adhibueris, si quæ benè concepisti perfeceris.

Fuit illa laus longè pulcherrima, quam olim Rex Pyrrhus Fabricio viro forti dedit:

Qui scilicet difficilius ab honestate, quàm Sol à suo cursu averti posset. *Eutrop. l. 2.*

Sol laudatæ firmitatis in bono symbolum est; ut & Luna mutabilitatis, quam Seleucius Mathematicus septies mutari aiebat: nunc enim fit cornicularis, mox gibbosa, deinde plena, tum iterum minuitur, & vario vultu maculas suas objicit.

Contrà verò Sol, ut Regius quidam aliorum luminum Princeps, consimili semper motu, vultuque ingreditur: sic & justus omnis, qui Deo animam, ceu victimam, obtulit; instar Solis eamdem semper animi virtutumque speciem exhibet: nec decrescit ac minuitur ut Luna; audit nimirum, servatque illud Sapientis breve quidem, sed prudentiæ plenissimum monitum.

Eccles. c. 11. v. 12. *Confide in Domino, & mane in loco tuo.*

Solebant olim Christiani post abrenuntiationem factam principi tenebrarum & pompis ejus, converti ad Orientem, in Castra Salvatoris admitti, locum in acie capere, ordinemque militarem, in quo etiam excipere illud Syracidis: *Mane in loco tuo.*

Quis ille, quæris? Est firmum in bono propositum, à quo numquam discedendum; sed standum invicta quadam arduæ mentis constantiâ.

Ita stetit olim Abraham, de quo sacræ Litteræ: *Stabat coram Domino.*

Ita stetit Moyses, ad quem sic olim Deus: *Tu verò hic sta mecum.*

Ita stetêre invicti Christi Martyres, quos sanctus Augustinus, *Firmos Ecclesiæ*, alii Patres *Columnas* appellavêre, ob stabilitatem ac firmitatem. quam quia in omni vita exhibuit S. Athanasius à D. Gregorio Nazianzeno dictus est, *Firmissima Ecclesiæ columna.*

Orat. in Athan.

Eris & tu, mi Lector, inter Ecclesiæ firmos ac columnas, si in ea, quam Deo tuo facis oblatione virilem animi constantiam dederis: non eris autem si cùm benè cœpisti, malè desinas, si abeas à suscepto proposito, à virtute, à Deo tuo: uti abeunt in hac vita quamplurimi, leviusculi illi atque inconstantes, quos Sapiens, *Multivolos* appellat; S. Petrus, *Animas instabiles*; Doctor Gentium, *Parvulos fluctuantes*; Judas Apostolus, *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*; S. Jacobus, *Similes fluctui maris, qui à vento movetur*; Jeremias tristi nænia, *Cursorem levem, explicantem vias suas*; alio loco, *Filiam vagam*; quæ videlicet nullam habet in bono vim & constantiam, quæque inconsideratissima levitate ac temeritate huc illuc vagatur & rapitur; Heri in sacrario, hodie in gurgustio; heri devota, hodie profana; jam inter Clericos, mox inter saltatores; nunc præco Justitiæ, mox impudentiæ; nunc virtutum in Cœlo, post subitò in vitiorum cœno.

Eccl. c. 9. 2. Pet c. 2. Ad Ephes. 4. v. 12. Cap 1. Cap. 2. v. 23. C. 31. v. 22.

Ejus generis homines etiam ævo suo agnovit, damnavitque Seneca licèt homo profanus.

Epist. 110. *Quidam*, inquiebat, *alternis Vatinii, alternis Catones sunt, & modò parum illis severus est Curtius, parum pauper Fabricius, parum frugi & contentus vili Tubero; modò Licinium divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocant.*

Hæc ubi de illis stylo notavit, tum etiam censura graviore notat, sicque condemnat:

Maximum indicium est malæ mentis fluctuatio, & inter simulationem virtutum amoremque vitiorum assidua jactatio.

Ne ea quoque te abripiat ac perdat, benevole Lector, age, pedem animumque fige; tibi semper similis esto, numquam alius à teipso, numquam alius ab eo, quem sacra aspexêre limina Aræque sacræ, in quibus Deo stetisti quasi victima, vel si voles quasi offerens, instar Josephi, id est, virili constantia, ad quam exemplo Deiparæ memento adjicere continentiam Virginalem, ut Deo tuo gratus accedas.

II. In MARIA Castitas Virginalis.

Candida virtus, & nobilis victima, corporis animique castitas; sed victima, quæ servatur ad vitam, & immortalem quidem; uti contrà, libido & libidinosi *occisionis sunt victima, quæ ad æternum nutriuntur incendium*, ut rectè B. Petrus Damianus.

Epist. 19.

Ne ex eo genere sis, ô quisquis es Christiane, age, continentiam ama, & insignem animi munditiam: ad eam te vocat & propè cogit nomen quod induisti, Baptismus quem suscepisti, Christi Caro, cujus membrum esse voluisti.

Si ante Christi cunas, oblatamque in Templo Virginea manu Divini Verbi victimam, cuiquam illusit caro, venia certè dignior is fuit: at si post Christum natum, ea minimè dignus; sed flamma potiùs atque incendiis sempiternis.

Causam, si voles, audies ex Tertulliano simulque disces quid Sanctimoniæ, quid nitoris & castimoniæ adhærere debeat carni, ex quo juncta Divino Verbo nexu personali.

Luserit, inquit, *ante Christum Caro; nondum erat digna dono salutis, nondum apta officio sanctitatis; adhuc in Adam deputabatur cum suo vitio, facilè quod speciosum viderat concupiscens, & ad inferiora respiciens, & de ficulneis foliis pruriginem retinens. Inhærebat usquequaque libidinis virus, & lactea sordes non ablui idonea, quod nec ipsa adhuc aqua laverant.* *L. de Pudic. c. 6.*

At ubi sermo Dei descendit in carnem ne nuptiis quidem resignatam; & sermo caro factus est ne nuptiis quidem resignanda, quæ ad lignum non incontinentiæ, sed tolerantiæ accederet; quæ non dulce aliquid, sed amarum aliquid inde gustaret; quæ non ad inferos, sed ad Cœlum pertineret; quæ non lasciviæ frondibus, sed Sanctimoniæ floribus præcingeretur. Exinde caro quæcumque in Christo reliquas sordes pristinas solvit, alia jam res est; nova emergit, non jam ex seminis limo, non ex concupiscentiæ fimo, sed ex aqua pura & spiritu mundo.

Hactenus Tertullianus, ex quo velim pauca notari:

Primò ante Christum lusisse carnem, spirituique malè illusisse: at post Christum ludere non debet, nedum ei illudere.

Ratio est, quia antè deputabatur cum antiquo Adæ vitio, illiusque virus induerat; jam & hoc, & illud exuit; adeoque quod secundo loco advertit Tertullianus, jam caro, *alia res est, jam nova emergit: exinde statum vertit, & in Christum tincta induit Christum* unaque hujus castitatem atque continentiam. Quam enim potiùs? Eam certè in illis decet esse, qui à Christo & dicuntur & verò etiam sunt Christiani; adeoque cœlestis cujusdam ac Divinæ Prosapiæ dignos mores induant est necesse.

Et hoc argumento usus olim D. Hieronymus, ut Maurinii filiam, aliasque Virgines & genere & virtute nobilissimas ad singularem vitæ castimoniam adduceret; sic enim ad illam.

In originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte, ac non hominis tantum esse, sed Dei Filiam & Divinæ Nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe, ut in te cœlestis Nativitas appareat, & tua Divina ingenuitas clarescat. Sit vita nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, virginalis incessus, & vera pudicitiæ habitus, ut qui te viderit admiretur, & dicat: Quæ est hæc nova inter homines gravitas? Quæ pudoris verecundia? Quæ honestatis modestia? Non est ista humana institutio, nec disciplina mortalis: cœleste hic aliquid in corpore humano resulget. *Epist. 14.*

Hactenus D. Hieronymus, quem si audieris, reddiderisque moribus eam Virginem quam in hac Epistola formavit, eris longè gratissima Deo victima; dabis enim Æterno Patri supparem Christo Filium, imo quasi Christum alterum: ut enim D. Augustinus.

Beata Virginitas, quæ illum intra se gestat in mente, quem MARIA portavit in ventre. *Serm. 22 de Nativit.*

Et hinc descendo ad JESUM, amabilem & gratam superis victimam: in eo puerilem simplicitatem agnosces, quam etiam in oblatione nostra tremendum Numen requirit.

Quid autem sit ea simplicitas, non convenit inter Authores.

III. In JESU simplicitas puerilis.

Isidoro Pelusiotæ *simplicitas* cum prudentia conjuncta, est *Virtutis, ac Philosophiæ regula.* *L. 2. Ep. 131.*

D. Thomæ Aquinati subjicitur virtuti veritatis, ab eaque non nisi ratione distinguitur, diciturque simplicitas, ex eo quòd non tendat in diversa: ut videlicet aliud intendat interius, aliud prætendat exterius. *2. 2. Qu. 111. art. 3.*

Aliis simplicitas est illustre patientiæ genus, & amabilis quædam animi bonitas, quæ nescit ullis animi turbulentis affectionibus commoveri, aut injuriarum ultionem appetere.

Consonat

Consonat hæc sententia cum illa quam olim extulit D. Gregorius Nazianzenus, qui *Simplicitatem* dixit esse *mores doli expertes, atque injuriarum oblivionem.* *Orat. 19.*

Alii simplicitatem appellavere innocentem quamdam animi mansuetudinem, imò ipsam quodammodo *Innocentiam.*

Ducitur ea opinio ex Davide, qui hæc ingenuè de seipso: *Quoniam ego in Innocentia mea ingressus sum.* *Psal 25.*

Hieronymus vertit, *In simplicitate mea ambulavi.*

Hanc ita adamavit Innocentius Papa VIII., ut symboli loco illud ipsum Davidis carmen elegerit: *Ego autem in Innocentia mea ingressus sum.*

Hanc inprimis commendavit Servator Optimus cùm sic ad Discipulos: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* *Matth. c. 10.*

Pro ea voce, simplices, Græcè est, ἀκέραιοι, id est, *sine cornibus*; à κέρας, id est *cornu*, & α privativo; simplex enim quisquis is est, est ille ipse sine noxa, sine vindicta, sine cornu quo feriat.

Est deinde expers fraudis ac doli; quia *Simplicitas* ut rectè D. Bernardus, *candor est; ut à contrario nævus, duplicitas.* *Serm. 72. in Cant.*

Est etiam sincerus, apertus, candidus totus: tales erant in Ecclesia nascente Christiani, *Candidam Fidem & puram sequentes*, ut ait D. Ambrosius. *De Basili.*

Et hunc candorem sinceræ mentis indicabat lana alba, qua in circumcisione ornabantur Hebræi, & vestis alba, qua Christiani olim in Baptismo utebantur; quam cùm in octava Paschæ deposuerent monebantur ab Ecclesiæ præsidibus, ne unà simplicitatem animi, candoremque deponerent; sed servarent in omni vita.

Atque ita Neophytos monebat olim D. Augustinus: Hodie, inquiebat, Neophytorum habitus commutatur; ita tamen *ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* *Serm. 157. de Temp.*

Est denique simplex, mera vitæ morumque innocentia, qualis ferè esse solet in pueris & infantibus.

Ab hac ipse Christus Magister optimus Discipulos suos vocavit παιδία, *pusiones, filiolos*; quod *de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem* haberent uti aiebat Tertullianus. *Joan c. 13.* *Tertull de Cult. fœm. c. ultimo.*

Ab hac Petrus Apostolorum Princeps; Christianos voluit esse *quasi modò genitos infantes*; vel ut vertit Syrus, *simplices sicut infantes.* *1. Petri c. 2.*

Nimirum, ut pulchrè notat Tertullianus, *Repuerascere* nos jussit Apostolus, animi candore & innocentia, & *simplicitate*, quæ ut Papias ait, *secundum Deum* est, & qua quicumque insignes erant, SS. Patres vocabant παῖδας, pueros. *In Valentini c. 2.*

Ita S. Dionysius Timotheum licet Episcopum Filium appellabat. *Cap. 1. Cœlest. Hierar.*

Ita Abrahamus Abbas inter Monachos longè sanctissimus ex communi omnium consensione cognomen invenit, ut παῖς, hoc est *Puer* diceretur, Quod puerili simplicitate & Divina quadam innocentia esset conspicuus. *Cassian. coll. 15. c. 4.*

Ita denique Christiani omnes teste Clemente Alexandrino vulgò dicebantur *Chorus infantium*, quod perfectæ virtutis effigie, & quodam innocentiæ morum speculo relucerent, essentque, ut de Apostolis aiebat D. Chrysologus, *simplicitate pretiosi.* *Lib. 1. Pedagog. c. 5.* *Serm. 1.*

Quod si Christianis omnibus adeo in amoribus fuit ea simplicitas; maximè tamen Religiosis ac Monachis, qui in id virtutis studium potissimum incumbebant, enitebanturque ut pueri & censeri & esse viderentur.

E multis testis erit, isque luculentus Pachomius Abbas, qui Religiosos, quos habebat mille trecentos, ut faciliùs regeret, imbueretque simplicitate illa puerili, distinxerat in quatuor & viginti classes secundùm numerum litterarum Alphabeti: sic, ut qui in singulis forent classibus, ab una littera nominarentur; & qui simpliciores, hoc est cæteris sanctiores notabantur, nuncupabantur I, qua littera nihil est simplicius cùm una lineola recta constet: & ad hanc appellationem, consonamque ei simplicitatem omnes invitabantur. *Lib. 3. c. 13.*

Et tu quoque invitaris, ô Christiane, si modò velis esse grata Dei victima. Utque velis, nonnullos producam ingenuæ simplicitatis fructus, aut si mavis privilegia. *Simplicitatis privilegia.*

Primum est, quòd simplicitas nota sit regia, & specimen animi à Deo electi & ad magna destinati. *Primum.*

Exemplo erit Saul, de quo sacræ Paginæ: *Filius unius anni erat Saül cum regnare cœpisset.* Symmachus vertit: *Sicut puer anniculus*, simplicitate scilicet, ac morum innocentia, quam retinuit duobus dumtaxat annis; ideoque Scriptura teste, *duobus annis regnavit super Israël.* Nimirum in Cœli fastis Deique calculo hi solum computantur: alii verò, quos exegit in aulica vivendi licentia, in vana gloriola, fastuque insolentiore, non veniunt in Dei computum divinasque rationes, secundùm quas & purpuram & vitam exuit, quia priùs per summum nefas simplicitatem exuerat. *1. Reg. c. 13.*

Alterum simplicitati Cœlo judice datum privilegium, est, quod cum illis sit Dei *ipsius sermocinatio.* vel ut habet Hebræa versio, *Arcanum ejus*; quia scilicet iis secreta sua consiliaque patefacit, quod eximii cujusdam amoris est argumentum: ex quo & aliud enascitur bonum, imo bonorum omnium cumulus; Dei videlicet ter Opt. ter Max. benedictio: *Generatio* quippe *rectorum*, hoc est, *Simplicium* (ut explicant Interpretes) *benedicetur*; quia scilicet hi recti corde in obliqua perversis affectibus numquam tendunt: Inde *semen sunt, cui benedixit Dominus.* *Secundum.* *Prov. c. 3.* *Psal. 111.* *Isai. c. 61.*

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illla verba: *Venit in spiritu in Templum.* vers. 27.

QUI IN SPIRITU VENIANT? QUI IN CARNE?

S. Simeon quis?


ALVINUS in Deum & Superos impius, in Sanctos numquam non injurius, vult Simeonem plebeium fuisse & obscuri Nominis homuncionem.

Alii omnes contra sentiunt, creduntque & genere illustrem, & sanctitate morumque innocentiâ illustriorem.

Galatinus opinatur fuisse filium Hillelelis, qui sectæ Scribarum, ac Pharisæorum author fuit. *Lib. 2. de Arcan. Fidei cap. 8.*

Lyranus, Toletus aliique Sacerdotem fuisse autumant; Alii Laïcum quidem, at senio venerabilem. *In c. 2 Luc. Theophil. Euthym.*

Omnes à Justitia ac vitæ sanctimonia vel maximè commendabilem; cujus argumento est, quòd apud Talmudistas, ab illa Justi cognomentum acceperit. *Justus.*

Quod ipsum bellè expressit Evangelista, dum ait:

Luc. c. 2. v. 25. *Ecce homo erat in Ierusalem cui nomen Simeon, & homo iste justus.*

Ecce homo, inquit: Est in ea vocula, *Ecce*, quædam emphasis; demonstrat enim hominem, hoc est supra vulgus, imò supra omnes, rationis compotem, cùm cæteri propè ad belluas abjecti.

Venit in Spiritu, & quid illud? Venit hic in spiritu in Templum, hoc est impellente Spiritu sancto, à quo dixicerat fore ut Messiam usurparet oculis, manibus stringeret, gremio circumferret: Venit, inquam, pius & annosus senex, non alio fine nisi ut Deum hominem videret; ad cætera quippe objecta clausi oculi: venit religionis ergo, ut Numen adoraret; venit ut Deiparam veneraretur, & in cygneas illas abiret voces: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace*; venit ut entheo spiritu publicam Fidei suæ professionem faceret, doceretque mortales omnes, eo loci ac temporis advenisse Salutare Dei, ortumque lumen, quod densiores ignorantiæ, vitiorumque tenebras expelleret.

Et certè quidni expelleret à quo prius eas expulerat missus è cœlo genius.

Silvester Petra-sancta Tenmasic. Tom. 1. pag. 420. Cùm esset Simeon expositurus in Synagoga Hierosolymatana illud Isaiæ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; expunctòque Virginis vocabulo, adscripsisset: *Ecce adolescentula concipiet, & pariet filium*, ratus non posse Virgini congruere puerperium; cœlestis genius semel, iterumque restituit oraculum; sed ut erat, pristinis, id est atris caracteribus; sed quia toties ea emendatio à Simeone fuerat deleta, demum tertiò aureis notis illud rescripsit, ac mysterium Simeoni revelavit: & tunc etiam ille

Luc. c. 2. *responsum accepit à Spiritu sancto, non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini*; quo accepto venit & ipse in templum; *sed in spiritu*, hoc est in fide, in spe, in ardore divino. Et sic venisse, fuit in templum in spiritu venisse: nec venisse tantum; sed & Christum ulnis obviis excepisse, pannoque sacranore involvisse.

Felices ulnæ, felix & pannus, qui Verbum Infans, Deum hominem excepit. Felicem appello pannum; imò & etiamnum prodigiosum: servatur

Silvester Petra-sancta Tenmasia Tom. 3. c. 12. hic Ragusæ, urbe Illyricorum nobili, & quot annis in publica supplicatione circumfertur, dumque sic circumfertur, observat Clerus, observant & cives illius motum, aut quietem: si enim sponte deprimatur indicat futuram annonæ caritatem: secus si quiescat. Crederes affusam illi panno, à puellulo JESU sanctitatem, crederes & affusam vim miraculosam indicem abundantiæ, aut sterilitatis: illam

Quid in carne, & quid illud? ut opinor prælagit iis, qui in spiritu veniunt in templum uti olim Simeon, hanc verò, qui in carne, uti veniunt hoc ævo plerique mortalium; uti & venerunt olim Judæi, qui templum Hierosolymitanum quod plenum religione, plenum Numine esse debuit, fecerunt domum negotiationis: ibi enim reperit Christus & ovium & boum nundinatores, & venales columbas, nummulariorum mensas, & vendentium atque ementium frequentem turbam, quam Salvator, cæteroquin mitissimus, facto subito opere è funiculis flagello, ejecit è Templo, imò & nummulariorum æs effudit ac mensas evertit, adjiciens illud dignum Christo:

Ioan. c. 2. v. 16. *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.*

Non tulit Magister Optimus in domo Dei vacari temporali lucello, & pecuniolæ ultro citròque congerendæ: neque sic voluit adiri sacra Limina; quia sic adire, est adire in carne.

Uti adeunt & illi, qui in Templis, aut risibus vacant, aut jocis, aut levioribus narratiunculis, quos procul à sacris Ædibus esse vult Deus; qui ut ait Alcuinus: *Quotidie spiritualiter suam Ecclesiam intrat, & qualiter ibi unusquisque conversetur, attendit.* Nec attendit modò, spectatque censore oculo; sed etiam castigat severiore flagello, pulsatque de Ecclesia.

Caveamus ergo ne in Ecclesia Dei fabulis vel risibus vel cupiditatibus vacemus; ne improvisus veniens nos flagellet, & de Ecclesia sua ejiciat.

Sed & alii sunt irreligiosi planè oratores, imò & sordidi, qui ad Templum veniunt in carne: ii nimirum qui ore tenus Deum, ac superos venerantur; interea verò quà nutu, quà oculis, quà affectu in venerem eunt toti: diceres adiisse sacra Limina, ut & oculis captarent pulchellas fœminarum formas, & nutu allicerent ad libidinem, & affectu stringerent, verbo uno, scortarentur.

Diceres, inquam, venerabilium Templorum portas, libidinum januas esse, & veneris nefandæ titulos.

Certè Tertullianus, gravis ac severus morum censor, sic eas censuit appellandas, ex perverso scilicet mortalium ingenio.

Pontifex unus aliquis edictum tulerat, quo Præsbiteris dabatur facultas absolvendi à quibusvis luxuriæ delictis, & hoc Templorum valvis affixum voluerat: cujus occasione sic Tertullianus:

Ubi proponitur liberalitas ista? Ibidem opinor in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmodi pœnitentia promulgatur ubi delinquentia ipsa versabitur; illic legenda est venia, quò cum spe ejus intrabitur. L. de Pudic. c. 1.

Hæc ille, stylo notans ac pungens ævi sui licentiam, infamemque libidinem, quæ etiam in sacras Ædes sese subinrat, & harum portas, ac titulos facit quodammodo veneris januas ac titulos: ita *Templum Dei à lascivo corrumpitur, & Altare ejus per negligentiam orationum sordidarum sordidatur*, ut nervosè Origenes: quod malum dùm videt, aversaturque Basilius Seleucensis, sic ad suos auditores: Tract. 26. in Matth.

Quare, hortor vos hoc morbo liberetis: sin id minus vultis, Templorum adita ne ineatis: nam & cooperta scabie oves & morbis oppleta non sunt cum sanis congregabiles. Orat. 42.

Si oves mutum pecus scabie aliqua infectum cum aliis in ovile non admittitur; qui admittetur in Dei ter Opt. ter Max. Templum lascivus unus aliquis, qui luxuriæ suæ virus quà per oculos, quà per nutus in animulas innocentes spargit? Qui admittetur ad Altare Dei qui per sordidas orationes, hoc est sordida mente labiisque fusas, illud quodammodo devenustat, dehonestat, constupratque per summum nefas? Quia, ut rectè idem Basilius Seleucensis, *Non est hic locus lupanar, sed Ecclesia.*

Habetur autem quasi lupanar, dum in eo impuri fiunt oculorum conjectus, nutus lasciui, obscœna jactantur verba, & in malesana concupiscentiæ desideria abitur, ut in lupanaribus solet; neque solebat olim in profanæ gentilitatis templis, quod gravissima & aculeata oratione carpit Tertullianus, & gentilibus exprobrat, dum ait:

In templis adulteria componi, inter Aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque Æditurorum & Sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis, & apicibus, & purpuris, thure flagrante, libidines expungi, hoc est perfici, non sine templorum, Deorumque injuria. Quæ si in gentilibus gravis censeri debet: longè gravissima in Christianis, quibus & templa sacratiora & aliud verum tremendumque Numen; quod profectò insano ausu violatur, ubi & in templis animo, ac cogitatione adulteria componuntur, & inter Aras lenocinia tractantur, quà verbis & nimiâ garriendi licentiâ, quà petulantiore nutu, quà oculis emissoriis ac libidinosis, qua effrœni alia cupiditate; cum qua, qui ad sacras Ædes atque Aras veniunt, veniunt certè in carne in Templum; non autem in spiritu, ut olim annosus, piusque senex. Apolog. c. 25.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.* vers. 29.

CUR FATIS SUIS ACCINIT BONUS SENEX?

Mors aliis horrori.

ORTEM omnium terribilium terribilissimum dixêre Philosophi, & inde plerisque mortalium horrori, timori, odióque est vel ipsum mortis nomen, ad quod lacrymæ, gemitus, suspiria, lamentáque effundi ubertim solent.

Et hæc ferè fert communis hominum conditio: at alia tulit annosa & in mortem jam prona Simeonis senectus. Tulit illa imminenti fato suspiria; sed amoris, sed gaudii, sed lætitiæ ac voluptatis; imò

S Simeoni in gaudio.

cantum dedit, & cygneas illas voces exultantis animæ: *Nunc dimittis servum tuum Domine.*

Tract. de Mortal. 11.

Lætus de morte proxima, jam de vicina accersione securus exclamavit & dixit: Nunc dimittis, ut rectè advertit D. Cyprianus.

I. Causa.

Hujus porrò lætitiæ, ac cantus suavissimi causas hîc inquirimus.

Prima hæc fuit, quod Simeon Psalterium esset, lyra, ac veluti musicum instrumentum, quod in morte pulsari debuit, audirique vehementiùs.

Mors justi psalterium.

Ne hæc propositio cuiquam absona videatur, audiendus erit D. Gregorius, aliique, qui virum in paucis justum, psalterium & lyram sonoram appellant; sic enim ille:

Prolog. in 7. Psal. Pœnit.

Psalterium animam spiritualibus exercitiis assuetam non inconvenienter nominamus. Sicut enim musicum illud instrumentum Triangulum, decem chordarum inferiùs quidem percutitur, superiùs verò sonare videtur. Ita anima Sanctæ Trinitatis fide firmata, decem Legis præceptis instructa, inferiùs percutitur, & superiùs auditur, quia cùm carnem aliquis perfectè afflixerit, tunc suavissimum Deo in dulcedine melos reddit.

Audis, amice Lector quæ animæ justæ, ceu psalterio sit ratio sonum edendi Deo ac superis longè gratissimum. Decem Dei præcepta, ceu cordas, digito levi, hoc est, opere decurrat, afflictationibus carnem percutiat, & partem hominis inferiorem stringat pungatque acriùs, & tum superior sonum edet concentumque virtutum, qui in Cœlos evadet, accidetque superùm auribus acceptissimus.

Lyra.

Ad hunc porrò concentum excitare nos debet vel ipsa hominis compago, quæ à Deo Authore sic facta est, ut esset lyra. Ita Clemens Alexandrinus:

Homo, inquit, quantus quantus is est, *est lyra, & & multarum vocum instrumentum ad concentuum suavitatem aptissimum summi Dei compositum manibus.*

Quod si ex natura & ratione is esse debet omnis homo, certè ex gratia ac virtute is est justus; & is quoque Simeon annis, ac meritis gravis.

Psalterium fuit ac lyra; quæ sonum edidit ac concentum virtutum multò gratissimum. Vis illum auribus animi excipere, excipe auribus corporis quid cygneâ voce pius senex:

Nunc, inquit, sine mora, hoc ipso quo loquor momento: Ecce celerem animi motum, ecce citata vota.

Dimittis animam è corpore velut è carcere vinculisque: Ecce ardorem moriendi, desideriumque optatæ libertatis.

Servum tuum: Ecce demissionem, humilemque senilis animæ sensum, & ad Domini pedes abjectum.

Secundùm verbum tuum: Ecce fidem de Divina sponsione, quæ nec fallere, nec falli potest.

In pace scilicet ac quiete bonæ mentis, quæ ne mortem quidem timet: Ecce conscientiæ paratæ securitatem.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum: Ecce rerum omnium caducarum despicientiam: claudi vult oculos, & æternùm quidem ad terrena, humana, caduca omnia; & hoc quia vel ad momentum viderunt Salutare Dei: Ecce Fidem de Messia & Reparatore Universi, quem animo aspexit, & altiore Fidei oculo, veluti lumen aliquod ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israël.

Ecce Prophetiæ Spiritum, ecce prænuntias futurorum voces, ecce sonum & concentum spiritalis hujus lyræ, ac psalterii, qui eo edito, paulò post conticuit, in pace conquievit, & Spiritum Limbo reddidit, & Abrahæ Patrumque gremio; non tamen ut decebat corpus humo: jacuit quippe inhumatum; & hoc, ut ait Epiphanius, Sacerdotum invidiâ atque malevolentiâ, quia libera voce Christum ac Messiam confessus. Lib. de Proph. vita c. 24.

Ita etiam post fata in una sui parte, hoc est inferiore corporis, pulsatur, patiturque psalterium, ut etiam tunc sonum edat, ac patientiæ laudem habeat pius Senex.

Venio ad alteram rationem, ob quam etiam fatis suis accinit: Ea fuit, quæ imminebat cum morte pugna, cum hoste congressus. II. Causa.

Spartani, militaris vitæ imaginem non alia ratione repræsentabant, quàm modulis quibusdam Symphoniacis.

Græci bello initium dabant à cantilena Marti sacra.

Lacones à Pallade eruditi, præcinente ad numerum Symphonia in aciem descendebant, ut scilicet in præliis & fortiter, audenterque agerent, & mortem contemnerent.

Dicamus meliore modo cecinisse Simeonem, & pugnæ, quæ illi cum morte futura erat, prælusisse, ut & eam contemnere videretur, & re etiam ipsa superare. Mors justi symphonia.

Solent enim bonæ mentes etiam morti insultare, seque ipsas in ultima vitæ periodo solari, ac recreare amabili facultatum omnium inter se consensu, & symphonia quadam rerum benè gestarum, virtutumque omnium numeris, à quibus & hosti, hoc est dæmoni, terror, & morienti certa victoria.

Quid enim potiùs, cùm eo tempore & corpus cum animo, & hic cum Deo suo consentiat, vitamque, ceu depositum, reddat eò lubentius ac liberius, quò suavior recurrit antè actæ vitæ memoria: Et hinc descendo ad tertiam Rationem, ob quam III. Causa. annosus, piusque senex totus abit in vocem canticumque lætitiæ. Ea ducitur ab ingenti gaudio, quo colliquescebat effundebaturque à testimonio bonæ conscientiæ & rerum in omni vita præclarè gestarum.

Ferunt Historici cygnum morti proximum suavissimè canere. Hinc illud Martialis: Mors justi Cygnea.

Cantator cygnus funeris ipse sui.

Contrà

Contrà verò, syrenem sub extrema, lamentabili ac flebili sono ingemiscere, omniaque latè complere.

Cujus discriminis hæc ratio petita à natura. Sub ipsum mortis articulum, cuivis animali sanguis confluit ad cor, ceu vitæ fontem; & arcem, quam primò tuetur, & ultimò deserit; & hinc audiuntur voces & soni testes lætitiæ aut mœroris. Si enim adhuc purus & defæcatus est sanguis, uti cygno contingit; cor recreat, & linguam parat ad cantum indicem internæ cujusdam alacritatis:

Sin autem impurus, crassus & fæculentus est sanguis, qualis & syrenes; tum & cordi tristitiæ motum ingenerat, & linguam explicat in lugubres ac gemebundos sonos.

Quod tacito quodam naturæ instinctu motuque fit in animali rationis experte; hoc in homine accidit, comite ac duce conscientia: cui cum cordi, si tristis ac lutulentus appellat sanguis, hoc est rerum malè gestarum lugubris ac funesta recordatio; ea illicò gemitum ciet, ejulatus, ac lamenta. E contrariò si purus atque illibatus, hoc est, si pura atque illibata vitæ actæ series; dabit hæc primò animæ abituríenti solatium, deinde & corpori vocem testem internæ exultationis. Et ita dedit cygneo seni, sanctissimo Prophetæ Simeoni; imò dabit iis omnibus, qui ad illius instar, exemplumque vitam ac mores exegerint.

Talis S. Simeonis.

E multis unum alterumvè testem dabo, quos tulêre deinde posteriora sæcula.

D. Franciscus cum cœlesti monitu præsensisset imminere sibi diem ultimum, totus alius à seipso, totus in risum & cantum effundi, totus incessere gaudiis, & vix illud, imò vix seipsum capere.

Talis D. Francisci.

Cui Frater Elias (rem, ut videbatur, insolentem demiratus) cum dixisset temperandos illos æstus motusque gestientis animi, ubi ad extrema veniendum; imò ubi ad Deum ipsum, tremendumque etiam sanctis Tribunal. Hæc illi sanctus Pater: Falleris, inquit, ô nimium quantum falleris, mi Frater Elia; Imò gaudendum vel maximè, quia ad mortem vado. & inde ad Deum meum, ad quem citato festivo saltu, cantuque eundum: ac ne sola verbis esset fides, rem addidit ipsam, & facta. Religiosos quippe musicæ peritos ad se vocavit, qui linguam expedirent in musicos concentus; imò & manum ad pulsanda instrumenta musica: Ita morti accinere, alludere vir sanctus, *Canticum* ut vocabat *Solis* explicare: erat illud cantilena quædam spiritalis, qua utebatur Franciscus ubi nova quædam, amplaque gaudii surgebat seges, qualis etiam impendente fato.

Ejusdem genii fuit unus alius aliquis, cujus meminit Henriquez.

Henric. Gramat. l. 4. c. 64.

Nobilis Eques inter venandum dum feras avidiùs insequitur, à suis abit longiùs, & in avia devia que sylvarum venit; cùm ecce de medio nemore vox audiri longè suavissima: ad illam primùm hærer, dein & equum flectit quò vocabat sonus: & en illi sub oculos homo leprosus tabe ac sanie horridus, ab eaque diffluens totus; non hominem dixisses, sed vivens ac spirans cadaver.

Talis hominis pauperculi.

Ex quo quæsivit Eques, ille ne esset cujus vox modò toto nemore resonasset: Cui ille; Ego, inquit, ipse sum, & mea enimverò vox est, quam audisti: At unde, ait, Eques, unde ea gaudii materia? Unde cantus, & vox in misello vix spirante ac semivivo. Tum ille, Mi Domine, inquit, me inter ac Deum tantum interest hic corpusculi mei paries, hæc lutea compago, quam quia adverto dissolvi, & per partes collabi, inde sperat animus abire brevi, elabique ad Deum suum ex hoc mortali carcere: & inde huic animulæ læта, inde linguæ sua vox, suus est cantus, & quidem suavissimus.

Si fatis suis accinit albus olor; quidni & finis accinat mens alba, mens nivea à candore vitæ, atque innocentia morum.

Hæc ille, quocum antè sensit ac locutus videtur Gorgias orator jam senex: rogatus enim an libenter è vita, ceu statione, è corpore, ceu carcere, excederet, subjunxit: Maximè; nam tanquam ex putri & diffluente domuncula non invitus discedo; imò lubens, atque exultans.

Ita discessit olim Gerardus vir sanctissimus, de cujus mirabili in morte lætitia sic D. Bernardus:

Talis B. Gerardi.

Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem & insultantem morti. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus sed jubilus: jam cantando moritur homo, & moriendo cantat.

Sed ista, inquies, virilis sunt animi, & indomitæ virtutis, quæ superior est ipsa etiam morte: demus aliquod in molli fœmineoque sexu ejusdem fortitudinis argumentum atque exemplum: ent illud in S. Maria Ægyptiaca, quæ postquam in avia solitudine exegisset annos omninò quadraginta, ubi ad extrema vitæ confinia ventum est, obortis præ gaudio lacrymis in easdem propè cum sancto Simeone voces erupit: *Nunc dimittis, Domine, servam tuam, secundùm verbum tuum in pace.*

Talis S. Mariæ Ægyptiacæ.

In ejus vita.

Ecce cygneas voces, ecce cantum suavem ortum à concentu virtutum, qui in omni vita sonuit, sonatque etiam in ipsa morte, quæ cùm sit Echo vitæ, easdem cum hac voces fideliter reddit. Si enim Deo, superisque consona fuit, si à candore lactea, à mansuetudine mellea ac suavis; & mors quoque lactea, mellea, suavis erit: Contrà verò si à libidine lutea tetraque vita fuit, si ab ira & furore fellea; & mors ipsa tetra, felleaque fit oportet: Est enim Echo vitæ, adeoque illi consona.

Redeo ad S. Simeonem à quo paululum abii, & aliam produco rationem, propter quam non sine gestientis animi cantu mortem proximam excepit: fuit illa ingens ardor, desideriumque moriendi. Nimirum bonas mentes occupare solet amor mortis, & velut aliquod odium vitæ; & hoc quidem, quia & hæc malum quoddam est, & illa bonum.

IV. Causa.

Mors Iustis in desiderio.

Mortalibus id usu venit in terris quod navigantibus in mari: in quo hi pauscam patiuntur ob insolentem aliquam jactationem, cui cùm in vita similis sit aliqua; necessum est etiam in hac nos nausea tangi, & quodam vitæ tædio.

Rationes ex parte vitæ.

Attendite sæculum quasi mare, inquit Augustinus, *in eo ventus validus, & magna tempestas: unicuique sua cupiditas tempestas est*; ab hac, ut cætera quieta sint, turbatio & æstus quidam insolentiores; à quibus dum malè habentur, magnæ mentes, ad mortem, ceu portum, aspirant, memores illius, quod D. Ambrosius: *Iustis mors quieti est portus, nocentibus naufragium putatur.*

Serm. 13. de Verb. Dom.

Lib. de bon. mor. c. 8.

Appello D. Pauli sensum ac fidem; sic inquiebat olim non sine gemitu: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Mortale corpus mortem vocat, quia animus illo, ceu cymba vectus, immensis vitæ, hoc est concupiscentiæ, jactabatur fluctibus; & quidem usque eò, ut aliam legem sentiret in membris suis repugnantem legi mentis suæ: & hinc vitæ tædium, odiumque etiam in D. Paulo.

Ad Rom. c. 7.

Taceo tempestates alias, quæ deforis appellunt, vel ex ipso mundi æstu atque inconstantia, vel etiam ex hominum genio ac malevolentia: ab hac quippe doli, lites, calumniæ, invidiæ, funesta bella, exempla vitiorum, & magna ubique miseriarum seges, quibus opplentur, imò obruuntur mortalium corda, quæ, ut rectè notavit D. Gregorius: *Angustantur ad vitam, dilatantur ad miseriam.* Et hinc vita malum, mors verò bonum æstimari potest: quia, ut scitè Heraclitus: *Vivimus mortem, & morimur vitam.*

Mor. lib. 11. c. 16.

Hoc

Hoc est, dum vivimus vivit mortale corpus, cùm moritur vivit animus immortalis, quia vita sensuū, est mortalis vita, & vita animi, est mors vitalis.

Quod cùm altè in animum admisisset Socrates in oculis & conspectu judicum dixit: Mortem timere, ô viri, nil aliud est, quàm, cùm minimè sis, videri Sapiens: Est enim id videri scire quod nescias. Nam nemo novit mortem; ipsa autem est homini omnium bonorum maximum.

Hæc Philosophus ex melioris sapientiæ lycæo pronuntiavit, quæ etiam confirmasse videntur oracula licèt profana.

Plut. Cleobis ac Bitone adolescentes argivi; mulis fortè deficientibus, matrem Junonis Sacerdotem in illius ædem devexerant: qua pietate permota mater, precibus à Deo petiit ut ipsis daretur quod mortalibus esset optimum: Ferunt illicò datam utrique mortem, quòd scilicet ea homini Deorum calculo duceretur optima.

Sed hæc profana sunt, inquies, & à falsis diis petita: non abnuo; attamen ejusmodi unde ipsius antiquitatis sensum possis investigare & assequi.

Verùm profanis addamus Sacra, & majus inde pondus.

Ex parte etiam mortis. D. Augustinus de morte sic philosophatus est, ut d xerit olim fuisse supplicium, nunce autem meritum; sic enim de illa:

De Civit. Dei, Lib. 13. c. 4 *Per ineffabilem Dei misericordiam & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, & fit justi meritum supplicium peccatoris.*

Factum nimirum illud amabili Dei Providentia, & singulari beneficio, quo etiam additum & istud, interprete eodem Augustino: *Vt mors instrumentum fieret per quod transiretur ad vitam;* imò & ipsa vitæ

Ibidem. porta: Sic enim eam appellandam censuit Clemens

Lib. 4. Alexandrinus:

Mors, inquit, *porta & principium veræ vitæ.*

Illa certè, illa est aurea porta Salomonii Templi, quâ via patet ad Sanctum sanctorum, ad Arcam, ad Propitiatorium, ad fumantem, ad odoratam nubem ubi Dei gloria collucet.

Illa est porta Orientalis in Divinis Oraculis celebrata, qua nitere incipit dies æternitatis: Hàc bonæ mentes exire de terra, & cœlos ingredi; hàc abire de carcere, & libertatem assequi; hàc effugere laborem, curas, dolores, morbos, & requiem nancisci atque illibatum liberumque malis ævum omne.

Ita nimirum, ut eleganter S. Chrysologus: *Morte nascuntur, fine inchoant, occisione vivunt. & in Cœlis lucent qui putabantur extincti.* Serm. 10

Et quid ergo mirum, cùm ita nascantur, inchoent, vivant à morte; quid, inquam, mirum si eam in bonis reponant, si ad eam votis omnibus aspirent, uti aspiravit Simeon senex, aspirarunt & alii, quos eadem invasit mortis cupido, & ardor beatæ Æternitatis: quos inter, ut alios propè innumeros taceam, fuit Raymundus Lullus: Hic impatiens vitæ longioris, & mortis amantior, è cellula in apertum campum evasit, ibique libero aëre, liberóque ab arbitris loco, gemere, suspirare, queri de morte, quòd tardo ac plumbeo adveniret pede, ac non potius celeri atque alato.

Dum his querelis indulget, mortémque invitat ac lacessit; fortè ad fontem venit, ubi somno sopitus jacebat Eremicola vir sanctus, ex quo quæsivit illicò, efflictè modus exeundi de carcere? Subintellexit de quo carcere (de carcere scilicet hujus corporis) & addidit, Et ego, mi Domine, eodem ipse claudor. Tum itum utrumque in vota mortis, in vitæ tædia, in alias atque alias de hac & illa querelas, & æstus quosdam animi non patientis se tamdiu hoc ergastulo corporis teneri, nec in Cœlum, Deumque evolare.

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.



HÆc olim ad Discipulos Magister optimus: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis;* Matth. c. 9. quibus apertè innuit, quem modum rationémque servet in deligendis suæ disciplinæ alumnis. Nimirum parvulos & mundo insipientes, ad eam admittit; rejicit autem hujus sæculi sapientes, & qui in eo magni aut esse, aut videri volunt.

In quo mirum quantum discrepet à communi lege, quam sibi scripserunt antiquiores Sophi & Magistri: hi enim vix alios ad suum lyceum assumebant, quàm à fortunis, à genere, ab ingenio, artéque nobiles & magnos.

Plato certè Academiæ suæ ascribi noluit nisi eos, qui jam à Geometria & Mathematica essent commendabiles.

Aristoteles eos ferè tantùm ascivit, qui ab illustri prosapia magni & mundo spectabiles: qualis Alexander Macedo.

Antisthenes pecuniosos amavit discipulos, & multo ære graves; pauperculos & pecuniâ vacuos odit, atque exclusit. Plutarch. in Apophteg.

Secùs omninò fecit Deus-homo Christus IESUS & Incarnata Patris Æterni Sapientia. Ubi enim è toto hominum genere haberi debuit Discipulorum delectus,

rudes elegit incultosque, pauperes, ignobiles, abjectæque inter mortales sortis, quales ferè omnes Apostoli.

Nimirum est ille ludus Divinæ Sapientiæ, quæ amat abjecta tollere, elataque deprimere; ut liquidò patebit ex Evangelii textu, quem pauculis quæstionibus explicare est animus: ubi tamen priùs

EX D. THOMA.

Serm. 2. DUo hîc præcipuè observat D. Thomas: 1. Est *magna Dei bonitas* quæ vilissimum servum evocat, & quidem *ad se, summum bonum*, & *omnes* excepto nemine. 2. Est *magna nostra necessitas*, ut qui laboramus, & onerati sumus; & hoc onere multiplici.

Psal. 73. 1. Est *peccati gravitas*. *Iniquitates* enim *meæ supergressæ sunt caput meum.*

2. *Dæmonum malignitas*

Matth 22 3. *Prælatorum austeritas*, qui *alligant onera gravia.*

Sap. c. 29. 4. *Corruptibilitas corporis*, quod *aggravat animam.*

Gen. c. 13. 5. *Terrenorum cupiditas*, ob quam etiam fratres nequeunt *habitare communiter.*

Oseæ c. 8. 6. *Tyrannorum & Principum sæcularium crudelitas*; à qua qui liberi, *quiescent ab onere Regum & Principum.*

7. *Morum bestialium hominum gravitas*; quem ferre necesse est *gravi pondere usque ad lassitudinem.* *Isai. c 46.*

8. *Mundi vanitas*, quæ *onus* est *Ninive.* *Nahum. c. 1.*

9. *Pœnarũ multiplicitas*, quæ *onus* est *quod vidit Abacuc.* *Cap. 1.*

10. *Legum multiplicitas*, quæ *onus* est *quod nec nos, nec Patres nostri portare potuerunt.* *Act. c. 1.*

11. *Proximorum indigentia*; de qua Apostolus: *Alter alterius onera portate.* *Gal. c. 6.*

12. *Moriendi necessitas*, quæ est *occupatio magna.* *Eccl. c. 40.*

Ut hæc onera levet: *Ego*, inquit, *reficiam vos. Quo cibo? Pane vitæ.* Hic panis est: 1. *Corporis ejus susceptio.* 2. *Spiritualis devotionis dulcedo.* 3. *Fructus S. Spiritus.* Et hæc in præsenti. In futuro *Convivium pinguium*, id est, Beatitas. *Isai. c. 2.*

EX D. BONAVENTURA.

Serm. 2. VBi agit de electione Mathiæ & Apostolorum: *Aliter*, inquit, *elegit mundus, aliter Christus.*

Mundus confidit in potentia, ideò nobiles eligit; in sapientia, & hinc sapientes; in opulentia, & hinc divites.

Contrà Christus. Quæ Ratio?

Primò, *Ignobiles* eligit, ut de expugnato mundo uni Deo laus esset, non humanæ potentiæ. Ut infirmi de firmissimis triumpharent: & inde stupor, & amor Divinorum consiliorum.

Ut enim S. Doctor: *Nemo miratur si catus vincat murem, si canis leporem, si lupus ovem, si leo bovem: at si mus cattum invaderet, si lepus canem occideret, si ovis lupum fugaret, si bos sibi leonem subjiceret; magna admiratio.* Sic dum Mathias Orbem subigit, dum vincunt Apostoli, Deo uni sua laus, & suus homini stupor, & amor Divinorum.

Secundò, *Simplices* eligit, & mundi opinione etiam stultos; nam si sapientes eligeret, mundana sapientia vincere ac triumphare videretur: dum verò simplices, indoctos, illitteratos; vincit ac triumphat una Dei sapientia. Unde enim altiora illa mysteria, nisi ab hac una? *Unde illa vox*, inquit, D. Hieronymus: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Hoc doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignoravit*: At scivit *Ioannes rusticus, & piscator indoctus.* *Epist. 103.*

Tertiò, *Pauperes* eligit, non divites, ne victoria de mundo, pecuniæ, cui obediunt omnia, tribueretur, sed uni Deo.

Et hoc, inquit Augustinus, *maximum miraculorum omnium* fuit: per infirmitatem vicisse mundi potentiam: per simplicitatem sapientiam convicisse, & per paupertatem omnes mundi divitias, omnem sæculi gloriam subjugasse. *Lib. 13. de Civit. c. 49.*

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus.* Matth. cap. 11. vers. 25.

QVI SINT ILLI SAPIENTES ET PRVDENTES?

ERIT fortassè unus aliquis, qui & sapientiam damnabit & prudentiam, vel eò tantùm quòd Oraculo primæ Veritatis audiat ab ea abscondi arcana Fidei altioris, quasi sapientia & prudentia illi obstaculo fuissent atque impedimento. Ut scrupulum hunc illi tollam, simulque in lucem efferam, quæ Cœlo judice damnanda sapientia ac prudentia, quæ verò probanda atque laudanda; & hanc & illam in duo genera partiar.

Sapientia alia est Cœli ac Spiritus, alia hujus mundi atque carnis: de illa primùm; tum etiam de hac pauca.

Sapientia est rerum Divinarum & humanarum, causarumq́; , quibus hæ continentur, scientia. Quid sit Sapientia secundùm spiritum?

Hanc Divinæ litteræ Græca voce θεοσέβειαν appellant, id est, cultum Divinum. Jobus ævi sui miraculum, in pietate eam reponit: *Ecce pietas*, inquit, *ipsa est sapientia.*

Isaias, *Curam salutis* vocat, quæ scilicet vacat iis cognoscendis, quæ ad salutem faciunt ac beatitatem. *Cap. 33. v. 6.*

Lactantius, *Virtutem cum scientia conjunctam.*

B. Macarius, vitam secundùm interiorem hominem: *Qui ducuntur*, inquit, *secundum interiorem hominem, ii sunt Sapientes, Mites, Fortes, & Philosophi Dei.* *Lib. 3. c. 6. hom. 17.*

D. Bernar-

Serm. 84. in Cant. D. Bernardus, lacteâ ut solet eloquentiâ, *Sapientiam saporem boni* definiebat.

L. 1. de Ser. Dom. c. 7. D. Augustinus, *Sapientia*, inquit, *est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei.*

Et sanè præclarè: homo enim in luce veritatis se atque sua cognoscit, concupiscentiam subigit, turbulentos animi motus coërcet, pacem assequitur ac gratiam, à qua expressa quædam Imago Dei ac similitudo.

1. Cor. c. 2. v. 7. Et hæc de Sapientia generatim; sed & alia est illi suppar, quam Doctor Gentium appellat *Sapientiam in mysterio*; nimirum arcanam, neque mundo cognitam; sed propriam Filiorum Dei. Ea consistit in cognoscendo opere redemptionis nostræ, & percipiendis vitæ Christi mysteriis, à quibus hæc discit fidelis anima.

Humilitatem amplecti, paupertatem divitiis anteponere, contumelias æqua mente pati, injurias donare, non ulcisci, & stultum esse ac haberi pro Christo: Et hæc est Sapientia verè Christiana.

Hac cancelluêre primùm Apostoli; deinde viri Apostolici; denique etiam Religiosi.

L. 2. Dialog. in præf. Hac excelluit D. Benedictus, quem D. Gregorius omni ratione magnus, appellat *Scienter nescientem, & Sapienter indoctum.*

Hac S. Jacobonus, qui, ut ex vero sapiens esset, stultus videri voluit ad singularem sui despicientiam.

In Ps. 39. Hanc porrò Sapientiam, cum Eunapio appellare possumus χρυσῆν μανίαν, *auream insaniam*; cùm D. Ambrosio, *veram insaniam*, cùm in mundanis sint falsæ insaniæ.

Qui aureâ & verâ illâ insaniâ benesanus est; ab eo non abscondit Deus arcana Fidei, Religionis ac Sapientiæ altioris; sed potiùs aperta claraque luce explicat ac pandit: abscondit autem ab aliis, in quibus est alia *Sapientia*, quæ *carnis* dicitur, & *inimica est Deo.* Ad Rom. c. 8. v. 7.

Quid prudentia carnis? Quæ sit illa quæris? Est illa qua quis sapit secundùm carnem, & amore affectuque totus inclinat in carnalia, ad quæ etiam vocat *Prudentia carnis*, quæ Apostolo teste *Mors est*, in radice scilicet ac causa;

Ibidem v. 6. quia sentire secundum carnem, animæ mortem affert. Illam pulchrè describit D. Anselmus, quem juvat audire:

Prudentia carnis, inquit, *est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt fallacia demonstrare, honorum culmina quærere, adepta temporali gloria vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cùm vires suppetunt nullis resistentibus cedere, cùm virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc impacifica bonitate simulare.*

Hæc S. Præsul de Sapientia ac prudentia carnis, quæ in sacris Paginis pro una eademque re habetur:

Vers. 6. Vers. 7. ut videre est in Apostolo, qui modò prudentiam, modò sapientiam carnis appellat, quæ una voce Græcâ φρόνημα, exprimitur, ut inde conficias eamdem esse.

Ab hac mirum quantum distat ea prudentia ac sapientia, quæ spiritus dicitur, & quam etiam pulchrè describit ille ipse S. Præsul Anselmus:

Quid prudentia spiritus? *Prudentia spiritus*, inquit, *id est, justorum Sapientia est nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa evitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumelias pati lucrum putare.*

Qui sapientes exclusi? Et hæc de Sapientia ac prudentia dicta sint, ut ex iis conficiat Lector, quos sapientes ac prudentes ab arcanis divinioris Sapientiæ exclusos pronuntiet Christus: Et quidem.

I. Philosophi Gentiles. Primùm, Philosophos illos Gentiles profanæ sapientiæ alumnos, sibique ab ea nimium præfidentes, & omnia suo quasi pede ac sensu metientes; indeque etiam aberrantes à vera Sapientia Fideique Christianæ Principiis.

Docent hæc è sacris Paginis, mundum hunc aspectabilem è nihilo produisse; illi contrà clamitant, objiciuntque Aristotelicum illud: *Ex nihilo nihil*; Ecce ut illa abscondisti à sapientibus.

Docent ista, hominis cadaver etsi exesum à corvis aut vermibus, etsi in cineres redactum, tandem aliquandò reddendum sibi ac vitæ; contrà, in Areopago Athenienses Sophi obtrudunt illud: *A privatione ad habitum non datur regressus.*

Et ita in aliis quoque Fidei mysteriis hallucinantur & errant, dum ea revocari volunt ad naturæ vires, lumenque rationis, quod ad illa se habet ut talpa ad Solem.

De his rectè pronuntiavit Tertullianus & religionis principia tollere, & Scripturas, dum perperàm interpretantur, evertere.

Sapientiæ professores, inquit, *de quorum ingenio omnis hæresis animatur, vetus testamentum interverterunt, dum quoquo, ut sensit, intulit.* L. adversus Hermogenem.

De his quoque eorumque scriptis ac lucubrationibus scitè notavit D. Augustinus habere plurimum ostentationis ac superbiæ; modestiæ verò, ac demissionis omninò nihil: sic enim de illorum libris:

Non habent illæ paginæ vultum pietatis, non lacrymas confessionis; nemo ibi cantat: Nonnè Deo subjecta erit anima mea? L. 7. Confess. c. 21.

II. Scribæ & Pharisæi. Alterum genus hominum, quod ad amœnam Fidei lucem arcanaque mysteria non venit, est Scribarum ac Pharisæorum: *Genus*, inquam, *hominum elatum & arrogans*, ut notat Philo, quod ideo Christum non admisit ut Messiam, quia humilis abjectusque prodit, sine fastu ac pompa: Et hinc Judæis scandalum. L. 7. Antiq. c. 3.

Hi nimirùm de Messia suo nonnisi alta ac superba meditari; purpuram in eo velle, & circum armatam satellitum manum, imò sparsas per campum acies.

Inde factum, ut impostorem unum aliquem, cui nomen Barchochebas, id est, stella, pro Messia exceperint, quod superbo esset ingenio, & fastu insolentiore, & copiis apertis in campum produsset, cui aptavêre illud Balaami Vaticinium: *Orietur Stella ex Iacob.* Quod de Christo JESU intelligi omnino debuit: at non intellectum; vel ideò tantum, quòd nihil in eo sæcularis fastus ac splendoris emicasset. Quod de Messia suo, hoc & de aliis sibi finxêre ex superbo ingenio. Anno Domini 120.

Incendium extremum hujus Universi prænuntiant sacræ Paginæ. Herbanus Judæus, gentis suæ amantior, audacter pronuntiat, eo quidem redigendos in cineres mortales alios; at Judæos illo (sicut olim columna ignea) deducendos ex hujus vitæ deserto in amœnam Paradisi regionem.

Ecce stultum commentum, cui affine est alterum, cujus meminit D. Hieronymus: Eò quippè dementiæ venerunt Judæis nonnulli, ut crederent dirutâ terrestri sua Jerusalem, aliam Cœlo demittendam lapidibus pretiosis exstructam: Quæ persuasio malè sana eò evasit, Tertulliano teste, ut per dies omninò quadraginta defixis hæserint in Cœlum oculis, expectantes ut in rudera terrestris Jerusalem incideret, atque impleret nova & cœlestis altera. Epist. ad Damas.

III. Hæretici. En quò cæcitatis & dementiæ ducit profana illa sapientia, à qua Deus abscondita voluit Fidei nostræ mysteria; uti & ab hæreticis, qui conficiunt tertium genus hominum, errantque toto Cœlo à veritate & Fidei luce: & hoc quia sapientes hujus sæculi, hoc est superbi atque insolentes, utpotè filii superbæ atque insolentis Matris: De qua D. Augustinus, oculatus & ipse testis.

Diversis in locis diversæ hæreses natæ sunt; sed omnes una mater genuit superbia. Lib. de Cura Past. c. 8.

Epiph. l. 1. c. 21. Ita genuit in ipsis Ecclesiæ cunis Simonem Magum, qui insigni arrogantia & se *magnam Dei virtutem*, & uxorem *Spiritum sanctum* appellare.

Ita deinde & Arium, qui ab Ecclesia & veritate defecit, quòd ad dignitatem Ecclesiasticam assurgere non potuisset.

Ita Eunomium Episcopum, qui se jactitabat Deum nosse, quantum Deus ipse; quem ut confunderet D. Basilius, ad formicam remisit, cujus scilicet naturam ignorabat. Epist. 168.

Ita etiam Lutherum, nostri ævi monstrum, eadem superbia, ceu mater, hæreticum genuit:

Quem enim alium fœtum ederet hæresis, quæ ut scitè D. Bernardus, est *meretrix superbiæ typho impragnata*; adeóque nunquam non aliena à fidei luce atque sole, & à vera Scripturarum intelligentia.

Quod ipsum agnovit & deploravit olim D. Augustinus, etiam in seipso. Cum enim Manichæorum erroribus esset implicitus, animumque atque oculos adjecisset ad Scripturæ sacræ lectionem atque intelligentiam, fassus est, quod eam assequi minimè potuisset; & hoc quia altiore tum erat ingenio, adeóque alieno à sensu Scripturæ, quem non capiunt nisi in se parvuli, id est, humiles. Juvat illum audire:

Institui animum, inquit, *intendere in Scripturas sacras, & ecce, video rem non compertam superbis: tumor mentis meæ refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus: illa erat quæ cresceret cum parvulis; sed ego dedignabar esse parvulus, & turgidus fastu mihi grandis videbar.* Confess. l. 3. c. 5.

Et hinc etiam tum illi abscondita Fidei Christianæ mysteria, quæ non explicata nisi parvulis, quales Apostoli; qualis & D. Mathias, qui & nomine parvus: *Mathias* quippe, Abdia interprete, *Deo parvum* significat, & re etiam ipsâ: licèt enim & genere nobilis esset, & è regia tribu Juda, & litteris satis excultus; at sui contemptor erat vel maximus, & insigni rerum omnium despicientia, corpusculique hostis acerrimus, ut satis ostendit pronuntiatum illud quo, teste Eusebio, familiarissimè utebatur: *Cum carne pugnandum*; edomando scilicet frangendóque omnes illius motus insolentiores: quód dum sedulò in seipso facit, cùm esset è septuaginta Discipulis omninò primus, Cœlo judice dignus habitus est, qui Judæ proditoris locum exciperet, & sacro Apostolorum Collegio ascriberetur: Ut in eo quoque verum esset illud Christi: *Abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.*

In Vit. Apost. — Mathias. I. Deo parvus. — Lib. 3. c. 29.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Revelasti ea parvulis.* vers. 25.

QVI SINT ILLI PARVVLI?
Et an parvuli omnia CHRISTO?

Qui parvuli? E crede ab ætate parvulos, ne etiam à mole corporis. Nec hi, nec illi Christo sunt à secretis; sed animo parvuli, hoc est, insigni sui despicientiâ, & omnium, quæ mundus suspicit, contemptu: Et hi sunt omnia Christo cujus hoc Oraculum: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Luc. c. 10. v. 22.

Sed quæ, inquies, *omnia? Omnia* enimverò.

Et quidem si natura Divina spectetur, cum hac omnia Verbo Divino communicata: Communicata enim Omnipotentia, Omniscientia, Bonitas, Æternitas, Immensitas, cæteraque attributa Divina, & in his omnia eminenti quadam ratione.

Quod si humana natura attendatur, etiam cùm illa *tradita omnia*: traditus in Angelos, in homines, in Universum Principatus, & in res omnes jus Supremum ac Dominium: Tradita vis & gratia miraculorum, Prophetiæ donum, aliaque Cœli charismata; imò & virtutes omnes: Et hoc extra controversiam; sed controversum illud: Cui ea hîc Christus venditet, cùm ait, *omnia.*

Venerabilis Beda, non minùs piè quàm subtiliter opinatur, per *omnia* hîc intelligi *parvulos*, id est, humiles, qui *omnia* sunt Christo. An hi omnia Christo?

Omnia, inquit, *sibi tradita, non mundi elementa; sed hi, quibus parvulis spiritu, Sacramenta Filii Pater revelavit.*

An humiles? Hi, inquam, parvuli, id est humiles, *omnia* sunt Christo. Nimirum sic à Christo æstimatur Humilitas, sic amatur, ut pro omni virtute (quæ sola Deo est in amoribus) haberi debeat.

Qui ex variarum virtutum compage ac vinculo ædificium perfectionis spiritualis assurgere ac contineri dixerit, is à veritate non erit alienus; uti nec alienus ille, qui censuerit & hoc ipsum ædificium ex una quasi Humilitate compingi.

Quid humilitas? Primò enim *virtutum bonum quoddam ac stabile fundamentum est Humilitas*, inquit S. Bernardus. Lib. 5. de Consid. ad Eugen.

Secundò eadem Humilitas *cæterarum consummatio & clausula virtutum est*, ut ait Hildebertus. Ecce spiritalis ædificii coronidem. Vis etiam vinculum? Habebis. Epist. 71.

Tertiò eam ipsam Humilitatem; quæ *si nutet, illa virtutum aggregatio nonnisi ruina est*, ut suprà scitè advertit D. Bernardus: Imò si nutet Humilitas, nutat virtus omnis; imò nulla virtus omnis: Sin autem firma stet atque inconcussa, stabit & virtus omnis. Supra.

Testem habeo Basilium Seleuciensem, cujus hæc oratio:

Humilitate comite, Continentia in admiratione est, & Fides fit amabilior, & Iustitia purgatior, & verior Misericordia fructus; & Pœnitentia tunc creditur, quando cum Humilitate conjugata est. Orat. 28.

Ecce ut virtutes omnes sibi comitem amant Humilitatem; imò ut sine illa non tam virtutes sint, quàm virtutum umbra quædam ac simulacrum.

Inde factum autumo, ut magnæ mentes, quibus probè nota erat illa Humilitatis vis, atque apud Superos gratia, eam Deo suo Cœloque quodammodo ostentarint, quasi ea unica ad amorem alliceret, Numenque inclinaret ad ingentia quædam beneficia.

Ita Virgo Mater de seipsa non minus ingenuè quàm verè: Ubi exultantem in se spiritum dixit *in salutari suo*, causam adjecit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Erant alia in Virgine Cœli decora atque ornamenta; erat Virginitas nulli secunda; erat Obedientia singularis; erat Fortitudo cedere nescia; erat Fides altè radicata; Spes erat inconcussa; Charitas erat

erat Seraphinis ipsis æmula: Et tamen ad hæc non videtur spectasse Numen; sed ad eam, quæ in Virgine erat, demissionem atque humilitatem. Credores eam solam esse in oculis, amoribus, primisque Coeli curis.

Quod ipsum agnovêre etiam abjectæ in terras animæ, & propè cœlestium inanes: Gens, inquam, Judæa, quæ cùm arcta obsidione cingeretur, & in extremas deducta esset angustias, sic ad Deum supplex venit: *Respice ad nostram humilitatem.* Non saccum objecit & cinerem quo tegi poterat; non gravioris pœniteotiæ flagella, quibus in se justè sævire; non effusas in egeos eleëmosynas, quibus Cœlum emere, Cœlique gratiam; non holocausta ac victimas quibus Superos flectere, & Numen sibi propitium facere; sed unicam fatiscentis animi demissionem ac humilitatem: quæ scilicet virtutum summa & compendium est, & unica propè ratio reconciliationis cum Deo.

Judit. c. 6. v. 15.

Et ab illa etiam cognitio divinorum arcanorum: Ea qu ppè, ô Pater, *revelasti parvulis* in ipsa nascente Ecclesia, & revelabis in ævum omne. Quod dum attendit D. Augustinus, sic ad Dioscorum, sic ad nos omnes:

An Apostoli?

Non aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatis viam invenies, quàm, quæ monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, vidit infirmitatem: ea autem prima est humilitas; secunda, humilitas; tertia, humilitas; & quoties interrogares, hoc dicerem.

Epist. 56.

Ista S. Doctor de humilitate, qui de hac illud extulit quòd olim de pronuntiatione Demosthenes: Rogatus enim quid in eloquentiæ præceptis primum esset, respondit *Pronuntiatio*; quid secundum, *Pronuntiatio*; quid tertium, *Pronuntiatio*: sic & de humilitate.

Hæc prima est ad veritatem via, hæc secunda, hæc tertia, hæc unica; quam scilicet ingressus est D. *Mathias*; hoc est *Deo parvus* & humilis, cujus sors cœlesti monstrata lumine, indicio fuit locis illius, quam Deus ipsi, utpotè parvulo, immittere venerat. Volunt enim ex antiquis plerique, fortem illam, quæ cecidit super Mathiam, fuisse radium Divini luminis, qui in ejus unius caput illapsus est, non sine amabili astantium stupore & approbatione, qui cum illicò proditori Judæ in Apostolatu substituerunt, & qui deinde lucem cœlitùs haustam longè lateque diffudit, quà in Judæa, quà etiam in Ethyopia: neque enim una Regio magnæ illi menti satis esse potuit, cui nec Orbis ipse quantus quantus est, satis erat. Nimirum ea humilibus, ea parvulis vis inesse solet, & ardor animorum, ut quamplurimos Cœlo pariant & beatitati.

An D. Mathias?

Nec mirum: perpendunt enim quis & quantus sit homo, quo emptus pretio, & quis inde ci valor accesserit: *Magnum quidem mihi est*, inquit Eusebius de Deo, *quod esse me sentio opus suum; sed multò ampliùs, quod transisse ipsum video in pretium meum: quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.*

Hom. 6 de Pascha.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Tollite jugum meum super vos.* vers. 29.

QVOD, ET QVALE IVGVM?
Cur super, & non infrà?

Varia hominum juga.

VIDEO homini, ceu jumento, aliud atque aliud jugum imponi: benè habet, si leve.

I. Peccati.

Huic imponitur asperum peccati jugum, & *grave onus iniquitatis*, inquit D. Bernardus: sub hac olim gemuit sarcina, qui dixit: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

Serm. 15 in Psal. Qui habitat.

II. Mundi & Carnis.

Alteri imponitur grave mundi carnisque jugum, & *duræ servitutis pondus*; concupiscentia, atque ambitio.

Asperum quippe jugum subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia; sed cum transeuntibus nolle transire, inquit D. Gregorius.

Mor. c. 12.

Et hoc & illud excutere debet, qui cum Davide, Deo suo ex vero dicere volet: *Sicut jumentum factus sum apud te.* Qui sic jumentum est, jugum Domini aliquando induêrit est necesse.

III. Legis antiquæ.

Sed & hoc quoque aliud est atque aliud. Nempè jugum antiquæ legis & novæ: hoc leve, & illud grave. Argumento erit vel unicum Circumcisionis præceptum (ut alia taceam) quod adeo carni molestum erat, ut subillo infantes gemere, lacrymari, contremiscere, & subinde etiam emori.

Mitto alia *onera*, & quidem *gravia*, *atque importabilia*, quæ Pharisæi humeris suorum imponebant, & quæ tamen ipsi digito movere nolebant. Mali utique Magistri; nam bonus Magister *circa suam vitam austerus est; circa alienam autem benignus*, ut rectè Author operis imperfecti; cujus hoc quoque ad Sacerdotes ac Præsides breve monitum:

Hom. 49. in Matth.

Audiant te homines parva mandantem, & gravia videant facientem.

IV. Legis novæ

Aliud est jugum novæ Legis atque Evangelicæ, quod Christus Servator Optimus humeris nostris imponi voluit: & hoc mirum quàm soave est, vel ipso primæ Veritatis testimonio: *Iugum meum*, inquit, *suave est, & onus meum leve.*

Iugum quidem est, quod disciplinæ ac legi nos alligat, ne à recto quis discedat; *sed suave*, id est, *commodum, humanum, placidum, benignum.*

Cur hoc leve?

Arabicè *bonum*; imò & optimum præ Lege veteri: Et hoc quidem;

I Ratio.

Primò, quia pauciora habet præcepta. Hebræis olim Deus Supremus Legislator dederat tot præcepta affirmativa, quot sunt ossa in homine; videlicet ducenta quadraginta octo: & tot negativa, quot nervi; nimirum trecenta sexaginta quinque.

Ecce quàm longa, quàm fusa mandatorum series, quam in Lege nova ad duo contraxit: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum: in his universa Lex, & Prophetæ.*

II. Ratio.

Secundò, quia in Lege antiqua ut servos timore trahebat Deus; in nova ut Filios amore ducit: adeoque molliùs, & soaviùs. Viæ quippè Domini *duræ sunt timori, leves amori* inquit D. Augustinus; *& quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Nimirum omnia sæva, & immania propè nulla facit amor*, ut ille ipse S. Doctor.

Lib. de Nat. & Grat. c. 69. Serm. 11. de verb. Dom.

III. Ratio.

Tertiò, quia etsi Lex Evangelica sit onus, adeoque etiam aggravet; at levat quæ ei comes est gratia, & Cœli

& Cœli favor; ideóque componi solet à SS. Patribus cum pennis avium. Audi quid de hoc argumento Divus Augustinus; sic ille de onere Divinæ legis:

Serm. 24 de Verb. Dom.

Hæc sarcina non est pondus onerati; sed alæ volaturi: habent enim & aves pennarum suarum sarcinas, portant illas, & portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in Cælo. Tu si misericordiam velis præbere avi, & dicas; Miseram istam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit cui subvenire voluisti.

Quod avibus, hoc & nobis, lex pennæ, lex alæ sunt: portamus illas; at etiam portamur ab illis, imò & ornamur. *Iugum* enim *Christi*, ut rectè S. Ambrosius, *non conterit colla, sed honestat: non alligat cervicem vinculis, sed mentem gratia copulat*; imò & gloria donat ac beatitate: Indéque

Lib. de Elia & Iejun. c. 22.

IV. Ratio.

Quartò, suave Christi jugum, & onus levè, quippe *gloriæ cupido omnia levia facit & suavia*, ut inquit D. Ambrosius: ideòque, ut ille ipse S. Doctor, spectare debemus jugum Christi *ut ornamenta cervicis, non onera; ut redimicula, non vincula; ut jugum, quo cervix non premitur, sed levatur.*

Serm. 19 in Psal. 118.

Levatur, inquam; primùm ad gratiam; dein etiam ad gloriam: Et ita spectavit S. Mathias, qui illud induit, & collum Apostolico oneri subjecit, nec deposuit nisi cum vitâ per summos labores exactâ. Et hinc mihi proponitur

V. Jugum laboris, & sudoris.

Jugum aliud: nimirum labor, sudor, dolor in servandis Dei mandatis & cœlesti Lege: sed hæc omnia, ut ante dixi, levia facit amor, levissimâ spe æternæ fælicitatis sub oculos positâ.

Dixit olim M. Aurelius Imperator ad uxorem scribens:

Leges tum juga sunt, sub quibus mali arant; tum alæ quibus boni volitant, & libero Cælo fruuntur.

Ita volitavit S. Mathias: Primùm per omnes Judeæ regiones; deinde per calentes Ægypti arenas, in quibus labore multo, sudore multo sparsas in terris animas quæsivit, ut eas primùm ovili Dominico redderet, deinde etiam cœlo: Et verò etiam reddidit; sed carò emptas, vitâ scilicet, & effuso per extrema supplicia sanguine. Primùm enim tum à Gentilibus, tum à Judæis gravissima quæque perpessus; deinde etiam lapidibus impetitus; denique & capite plexus, jugum Domini etiam in caput sustulit: Et hinc mihi via aperitur ad alteram quæstionem initio propositam:

Cur scilicet jugum Domini super nos esse debeat; non autem infrà: ait enim Servator Optimus, *Tollite jugum meum super vos*, id est, ut explicat Strabus; *In honore habete; non subtus ut contemnatis.*

Cur Domini jugum supra nos?

Fatendum, Evangelii jugum & præceptis & consiliis grave, humanam mentem ex se ad ima proclivem inclinare; at eriget debitus illis honor ac veneratio: super nos tollemus, si in honore habeamus. Et verò quidni habeamus?

Judæi sacros codices, in quibus scripta Lex, venerationis ergò super caput extollere, ut super eos esse videretur jugum Domini.

Magdalena Japonia Virgo & Martyr, cùm palo alligata exustis funibus in subjectas prunas decidisset, eas manu prensans honoris ergò ac reverentiæ in caput attollere. Nimirum sacratiores illæ prunæ, & martyrii instrumenta, pars erant Dominici jugi, quod invicta Virgo in caput erigere, & quibus cingi instar coronæ ac diadematis ambiebat.

****

IN FESTO S. IOSEPHI SPONSI D. VIRGINIS.

Antoine de la Penna in ejus vita.



EATA Margareta in altiore Divini amoris æstu, & suavissimæ voluptatis, quâ perfundebatur tota, cùm sæpiùs audita esset jactâsse illud amantis: *O si sciretis vos, quod ego in corde meo gesto & retineo.* Placuit à morte aperire illius pectus, & perita chirurgi manu cor ipsum educere, ac scrutari. Ita porrò factum est: nec sine stupore amabili in eo inventæ gemmæ tres, prægrandes illæ & miri splendoris, quales nec antiquus unquam, nec novus Orbis tulit. In primâ visebatur imago expressa Virginis longè pulcherrimæ; In secundâ Infantulus specie supra modum decorus, ad cujus pedes innoxiæ errabant oviculæ; In tertiâ Vir erat formâ spectabilis, ac majestate verendus, ad cujus latus columba candida.

Et hæ cordi illius, ceu sacratiori tabulæ, impressæ erant imagines, non alia manu, quàm summi artificis Dei. E quibus prima Deiparam utique referebat; Altera Infantulum IESUM; Postrema denique IOSEPHUM Virginis sponsum. Quos nimirum dum viveret, in corde habuerat, hoc est, in amoribus.

Optandum esset omnino, ut cujusque cordi inditæ viderentur ejusmodi sacræ imagines; non autem profana illa & enormia monstra vel putidæ Veneris, vel Bacchi solutioris, vel avari Plutonis. Sed ne his chartam oneremus; redeamus ad D. IOSEPHUM Virginis Sponsum.

Cur illius Iconi addita albicans columba? Res non vacat mysterio. Authores non infimæ notæ ex veterum monumentis hæc ad posteros retulerunt.

Sacerdotes,

Sacerdotes, quorum erat Virgines Deo sacras & templi obsequiis devotas Matrimonio jungere, cùm inter se quæsissent, cui viro danda esset in sponsam MARIA, nec inter eos conveniret; placuit super eâ re Oraculum consulere; è quo hæc audita vox, hoc responsum:

Cujus virga derepentè floruisset, & in ejus vertice Spiritus sanctus columbæ formâ consedisset, ipsum esse, quem Cœli leges MARIÆ sponsum designassent. *Novar Vmbra Virg l 4. Num. 1083.*

Oraculo respondit eventus; nam virga IOSEPHI & in germina & in flores sese explicuit, & in eam columba nivea devolavit. De hac certè S. Eustachius, cujus verba hîc referre visum, ut sua huic Oraculo fides sit atque authoritas.

Simul atque à Sacerdote virgam accepit, ex ea columba volans capiti IOSEPHI *insedit: quare Princeps Sacerdotum, Sacerdotesque omnes, qui convenerant, rem admirati, pari voto illi* MARIAM *desponderunt.* Hæc ille. *In Hexameron.*

Ecce ut Virgini datus est Virgineus sponsus etiam probante Cœlo, etiam miraculo. Ut in illius amores totus eas, mi Lector, & si non cordi, saltem menti ejus nomen, imaginem, amorémque profundiùs imprimas; pauca subjiciam de heroïcis illius virtutibus, quæ viam illi pararunt, & ad Virginem sponsam, & ad sinum beatitatis, in quo æternùm conquiescet.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm esset desponsata Mater ejus MARIA IOSEPH.* Matth. cap. 1. vers. 18.

QVID NOMINIS IOSEPH? Quid deinde sub illo rei?



Joseph .i. crescens.

DIVINA Providentia, quæ in nominibus ludere amat, & futuris eventibus præludere, huic viro sancto nomen fecit *Ioseph*, id est, *crescens*. Et quidem jam inde ab utero materno: neque enim illi evenit quod aliis infantibus, quibus parentes nomina imponunt vel casu, qui tum inciderit, vel ab avis, proavisque; sed illi ab ipso Deo nomen inditum, etiam cùm adhuc lateret in utero materno, ut mihi Author est Gerson Cancellarius Parisiensis in sua Josephina; nomen, inquam, *Ioseph*, id est, *crescens*; ut vel ex eo portenderet, quæ quantáque lapsu temporis sumere deberet incrementa. Ea paucis exprimere est animus, & quidem à cunis ad extrema usque vitæ mortisque confinia.

I. *A Majoribus.*

Primò igitur ut à majoribus exordiar, toti Universo spectabilis crevit JOSEPH, longa Patriarcharum, Regum, Ducúmque serie: E quibus veluti totidem gradibus assurrexit quasi scala Jacob, hoc est avita Majorum propago, in qua gradus ultimus, isque præstantissimus, & cui innititur Deus, est JOSEPH. *Supremus scalæ gradus, cui innixus est Deus, & Dominus, tanquam tutori pupillus fuit Ioseph*, inquit Rupertus. *L. 1. de Gloria Filii hominis.*

Hujus scalæ gradus si recenseas, si oculo & mente decurras, leges in iis Patriarchas à virtute rebusque gestis nobiles quatuordecim; Reges ab Imperio, re bellicâ, gloriæque monumentis claros totidem; totidémque Duces, à quibus rectâ lineâ perennique generationis serie originem genúsque duxit.

II. *A sanctificatione in utero.*

Et hinc meritò dici potuit *Ioseph*, hoc est, *crescens* ab avito Majorum sanguine; sed longè magis à seipso, à gratia, quam à Superis Deoque accepit: Ab hac certè velut ab eo, quod suum est, ducet sanctus JOSEPH initia magnitudinis suæ.

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Uti nec putavit Vir sanctus, cui una virtus & Cœli gratia pro culmine & gloria fuit.

Igitur ut ab ejus conceptione ordiar, simulque aperiam secundum gradum, quo ad celsa perrexit S. JOSEPH; fuit illud, quòd jam inde ex utero matris gratiâ donatus & sanctitate.

Fuerunt nonnulli, qui ut in S. JOSEPHUM indulgentes & pii viderentur, eum exuerunt omni culpa, etiam originali: ut illius quoque conceptio, uti & sponsæ Virginis esset immaculata; sicque sponsus cum sponsa etiam in eo consentiret.

Huic Viri longè sanctissimi privilegio lubens subscriberem; sed non ausim nisi priùs & SS. Patrum authoritas, fidesque, & Ecclesiæ Summorumque Pontificum nutus accesserit.

Hactenus autem non accessit: imò Urbanus VIII. Fel. record. id è pulpito jactari, in scholis doceri, & libris impressis vulgari vetuit, & si quid emanasset ejusmodi, supprimi.

Et sanè jure meritissimo: Si enim id privilegii uni Virgini Matri concedit Antiquitas & tacitus Ecclesiæ sensus; non est quod alteri concedamus, ne dum nimis in eum pii videri volumus, minus veraces inveniamur.

Igitur ut aliò vertamus stylum, demúsque S. JOSEPHUM communi cum cæteris originalis mali contagio infectum fuisse; quod non propriæ culpæ fuit, sed parentum, sed Adæ: at illum omni culpa actuali liberum pronuntiant nonnulli; imò & ex matris utero sanctificatum.

Argumentum sumunt primò ab authoritate Virorum gravissimorum, quos inter

Gerson

Gerson Cancellarius Parisiensis Sermone de Nativitate Virginis habito coram omnibus Patribus in Concilio Constantiensi.

Jacobus Christopolitanus Episcopus, in *Canticum Magnificat*.

Chrystophorus à capite-fontium Episcopus Cæsariensis olim Generalis totius Ordinis S. Francisci, *Lib. de perpetua Virginitate*.

Joannes Carthagena Ordinis S. Francisci notus à calamo & Concionibus, *Tom. 4. lib. 18. Hom. ultima*.

Hieron. Ambros. Deinde ab aliis, quibus id datum privilegii: & quidem primò Jeremiæ etiam ipso Veritatis oraculo; sic enim ad illum Deus:

Ierem. c. 1. v. 5. *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.*

Orat. de Transfig. Deinde Moysi, quem etiam in utero materno gratia donatum & sanctitate voluit S. Ephrem.

Lib 4. de Fide, c. 4. Tum etiam Jacob Patriarchæ, qui cùm in utero supplantasset Esau fratrem suum, ibidem singulari gratiæ privilegio sanctificatū credidit D. Ambrosius.

Tùm magno Baptistæ Joanni etiam ex Scripturæ & Ecclesiæ sensu.

Quod ipsum alii etiam de Sampsone, & Jacobo Apostolo, qui audiit frater Domini, asseruerunt.

Verùm ne longiùs. Ex Gersonis, & aliorum sententia id à me dictum & relatum velim, & Ecclesiæ judicio ac censuræ submissum; à qua ne latum unguem abire volo: quod asseret illa, asserere; quod negabit, negare; quod damnabit, aut probabit, hoc ipsum damnare & probare mihi certum est.

III. Quòd Mariæ Sponsus. Venio ad alia, quæ extra controversiam sunt, & à quibus mirum quantum dici potuit *Ioseph*, idest, *crescens*: Et quidem primò ea hoc quòd Virginis Matris Sponsus; hoc est, illi à virtute, gratia, & sanctitate (quæ vera nobilitas est) suppar.

D. Gregorius Nazianzenus ut paucis, ac veluti compendio quodam & rerum & verborū, sororis suæ Gorgoniæ sponsum laudaret, hoc ad extremū adjecit:

Orat. 11. *Vultis uno verbo virum describam? Vir illius: nec enim scio quid amplius dicere necesse sit.*

Quod deinde de Gorgoniæ marito dixit S. Gregorius, hoc antè Evangelista de S. JOSEPHO, cujus gratiam, virtutes, & excelsi animi decora hoc uno complexus est, cùm scripsit, *Virum MARIÆ, de*

Orat. 9. de Nativit. *qua natus est IESVS*; hoc instar omnium est: *Hoc, inquam, est prorsus ineffabile, & nihil praterea dici potest*, ut disertè D. Damascenus: dum enim JOSEPHUM Virum MARIÆ dixisti, omnia dixisti, quia Virgini Deiparæ propè parem dixisti.

Si qua voles aptè nubere, nube pari, canit Poëta:

Et homines inter id usu venit, ut si quæ Virgo Virum amet & quærat, parem sibi velit quà nobilitate & prosapia, quà opibus & divitiis, quà pulchritudine, & specie corporis, quà etiam animi donibus; virtute scilicet, & apud Superos gratia, in qua sola veræ opes, vera nobilitas.

Quod si id spectent, id velint aliæ Virgines; quid Beata Virgo, quæ alias omnes vincit ut Sol & Luna minora sidera? An non sibi supparem Virum delegit à virtute, à gratia, ab aliis Cœli donis? Quamquam quid delegisse dico, cùm non tam ipsa, quàm Deus ipse, & Patris Æterni Sapientia, quæ in JOSEPHO, & Matri suæ Sponsum, & sibi Patrem & Nutritium delegit; adeoque ferè Matri parem: ut scilicet Sponsus, & Sponsa convenirent perfecta morum ac virtutum similitudine, quæ conjugii nexus, & amoris mutui vinculum est.

IV. Quod Pater Christi. Accedit & aliud JOSEPHO decus; quòd Christi Pater dictus, non solùm ex hominum opinione, sed & ipsâ Evangelistæ, imò & Beatæ Virginis appellatione: *Erant Pater & Mater ejus mirantes super*

Luc. c. 2. *iis quæ dicebantur*, inquit, & hæc; *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

Noverat Evangelista, noverat & Virgo Mater, JOSEPHUM Christi Patrem non esse ea ratione qua cæteri; scilicet ab illius generatione: & tamen Patrem appellat, tam hæc, quàm ille non sine speciali Spiritus sancti instinctu.

Voluit nimirum Æternus Pater, Summâ Sapientia & Providentia nomen hoc sibi proprium cum JOSEPHO esse commune; ut vel inde nosses quanta esset hujus dignitas, cui cum nomine & officium Patris & curam paternam commiserat; imò & authoritatem.

D. Joanni inde gratia, decus & honos accessit, quòd à Christo moriente dictus sit Virginis Filius. Audiit enim extrema illa Filii ad Matrem verba: *Mulier ecce Filius tuus.*

Ab hac porrò filii appellatione, Joanni non solùm honor, sed & singularis in Virginem amor & cura adhæsit: Existimavit enim se vice Christi positum, Virgini Matri debere quod debeter Filius; affectum, curam, sollicitudinem: qualis & in Christo fuerat, quocum illi filii nomen quodammodo commune.

Quod si à filii appellatione, Joannis petita dignitas; major à Patris nomine: tum quia hoc majorem præ se fert authoritatem; tùm quia Christi dignitas Virginis dignitatem infinitis intervallis excedit; tùm denique, quia ab JOSEPHO impressa quodammodo cura, sollicitudo, & paternus in Christum amor; imò & authoritas, à qua & aliud decus, alia gloria: Nimirum quòd S. JOSEPHUS aliquo modo fuerit & Virginis, & Christi ut hominis, caput, ac Superior. V. Quod B. Virginis, imò & Christi caput.

Virginis quidem ut testatur illud Apostoli: *Caput mulieris vir*: & Christi istud: *Erat subditus illis*, JOSEPHO scilicet ac Matri, ut Filius solet. *1. Cor. c. 11. Luc. c. 2.*

Magnus ille Patriarcha Joseph in amœna noctis & somnii imagine vidit Solem & Lunam & Stellas undecim sibi inclinari venerationis ergo: Ea somnii species ostendit eò tandem dignitatis evehendum esse Josephum, ut ei subjici, eum suspicere ac venerari pater, materque & fratres undecim.

Somnio respondit eventus: Josephum enim Ægypti Proregem, Servatoremque Orbis, suspexit adoravitque Jacob, fratresque ejus ad genua supplices acciderunt: Et illud est, quod amavit, suspexitque antiquitas.

At longè majus istud, quod de seipso dicere potuit S. JOSEPH: *Vidi Solem & Lunam adorare me*; Solem, inquam, JESUM, & Lunam MARIAM mihi deferre quod Sponso Sponsa, quod Patri Filius; scilicet submissionem & obedientiam: Et illa illa est authoritas, cui parem nulla vidit aut videbit ætas, nullus tulit, aut feret Orbis.

Sed istud grandius est, & altiore quadam majestate plenum; hoc mollius & amantius, quod S. JOSEPHUS Christi tutor ac nutritius. VI. Quod Christi nutritius.

D. Petrum Apostolorum Principem & nascentis Ecclesiæ caput fecerunt illæ Christi ad eum voces: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*: Tanti fuit vel oves, vel agnos pascere magni illius Pastoris Christi. Quanti erit, amabo te mi Lector, ipsum Pastorem, & Pastorum Principem Christum pavisse? Quanti Messiam generis nostri reparatorem nutrivisse? Quanti Deum hominem, qui cæteros alit, aluisse? Idq; non uno die annóve, sed quamplurimis.

Sibi gloriæ, ac honori duxerunt Angeli, magnæ illæ mentes, quòd Christum in deserto aliquando pascere concessum: at quantum est illud?

Paverunt Angeli, sed in deserto; idque semel tantùm, labore nullo, sudore nullo. At S. JOSEPH pavit in Galilæa, pavit in Ægypto exule terra, pavit in Nazareth non sine labore, sine sudore: Fabrilem enim artem exercuit, ut ex ea victitaret ipse, & Mater, & Filius.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba : *Desponsata MARIA IOSEPH.* Matth. cap. 1. vers. 18.

QVÆ IN SACRO IOSEPHI NOMINE prænuntia virtutum magnarum incrementa ?

Virtutes S. Josephi.



MEN fuit in nomine, & quidem felicissimum. Cùm enim JOSEPH idem esset atque accrescens, prænuntiavit jam inde ab ortu primo, quæ deinde in illo futura essent magnarum virtutum incrementa : ea paucis exponere in præsens est animus.

I. Castitas. Ordiar autem ab illa, quæ cæterarum virtutum quasi basis est & fundamentum.

Ea porrò est insignis Castimonia.

L. 1. in Iovin. *Omnes virtutes spiritus quasi solidissimum fundamentum Continentia sustentat*, inquit D. Hieronymus.

Cap. 3. Nimirùm, ut longè antè S. Jacobus, *quæ desursum est Sapientia, primùm quidem pudica est.* & meritò: Quî enim animus exciperet meliores Divinæ lucis radios nisi esset instar nitissidimi speculi, quod ût illustrius, ita & copiosius iis completur.

Et ita, ut ad rem veniam, complenis fuit JOSEPHO cui ad cœlestem Sapientiam, & Sapientiæ Incarnatæ Parentem viam fecit illustris Castitas. Nimirum Virgini Virginum quærendus erat & Virgo Sponsus.

Ita quæsitus, & inventus S. JOSEPH non sine Numine, & singulari Spiritus sancti inspiratione, qui & Sacerdotibus eam injecit mentem ut JOSEPHUM Virgini darent in Maritum, & ipsi Virgini ut acciperet ; quòd Cœlo revelante didicisset idem JOSEPHO Virginitatis servandæ propositum, quod & sibi : ad quod accessit & alius à superis favor, & præsens concupiscentiæ edomandæ remedium; nimirum extinctio fomitis, aut saltem totalis illius depressio, ut scilicet dilectus Æterno Patri Filius *pasceretur inter lilia*, hoc est interprete Ruperto, JOSEPHUM inter & MARIAM. Lib. 2. in c. 2. Cant.

Lib. 1. de Glor. hom. Deinde ut conjugium cœleste esset ; non terrenum.

Denique ut cohabitatio esset pura, qualis ferè inter puros spiritus.

Has rationes attigit Salmeron, qui sic de Sancto JOSEPHO: *Noluit Christus pasci, nec educari nisi à Virginali puritate: Imò non Virgo fuit modò ; verùm etiam in eo omnem concupiscentiæ ardorem restinxerat Deus, ut sic honestissimè sanctissimeq; cum B. Virgine puella pulcherrima conversari, die noctuq; convivere familiarissimè posset.* Tom. 3. tract. 9.

Ita nimirum factum est quàm optimè. *Tota conjugum illorum vita & conjunctio, cœlestis fuit ; & spiritus amborum conjugalis amor*, ut pulchrè Rupertus. Supra.

Et hæc indulgentis Cœli in JOSEPHO gratia fuit; hæc Virginalis puritas, quam mirum quantùm auxit ea, quæ illi quotidie cum Virgine intercessit familiaritas, conspectus, & rara illa venustas ac pulchritudo, quam Virgineo corpori natura asperserat : hæc enim ut in aliis puellis esset blanda voluptatis illecebra; at in Virgine Matre potens erat ad Castitatem incitamentum.

Venustam illam corporis speciem dixit Theophrastus, *Silentem fraudem*; Socrates *Crudelem tyrannum*, quòd aut furtivè adrepat in animos, aut eos vi occupet, & impuris amoribus implicet ; quippè *lis est cum formâ magna pudicitiæ.*

At in MARIA non erat : imò fœdus inviolabile, & æternum.

Testem habeo D. Bonaventuram, qui id hausit ex fideli & certa Judæorum narratione : *Quod nullus ex aspectu gloriosæ Virginis, quamvis esset pulcherrima, urebatur aut inflammabatur ad fœdam carnis concupiscentiam, sed eam potiùs extinguebat ille Divinus aspectus, quasi frigidus quidam ex oculis ros Virgineus expiraret vel efflueret à mente illius castissima.* Hæc Gerson ex D. Bonaventuræ sensu, atque verbis. Serm. de Nativ. Mariæ consid. 3.

Et hæc fuit Virgineæ pulchritudinis prærogativa, cui addit illud Ioannes Major, *quod visâ illâ infrans libido prorsùs extinguebatur*: & hinc Rupertus in illud Canticorum, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, ita discurrit : In c. 1. Luc. Cap. 2. v. 2.

Lilium MARIA, Virgines aliæ, *spinæ* sunt ; tum quia in se habent aliquid culpæ ; tum quia peccati fomitem ; tum denique, quia etsi sibi mundæ atque innoxiæ, aliis tamen noxiæ spinæ sunt ; à quibus scilicet etiam solo oculorum conjectu pungantur, lacerentur, ac cruententur : Virginem enim incautè aspicere, est lædi; tangere, est pungi; quia spina est, & suos habet aculeos : At MARIA lilium est spiri candens, à quo nec læditur oculus, nec animus ; quia nihil in ea culpæ, nihil fomitis, nihil unde etiam aliorum concupiscentia exardescat ; at plurimum unde extinguatur.

Talem quippè *gratiam Deus in Virgine Matre posuerat, ut nec propter excellentem ejus pulchritudinem immundè posset conspici : Et hoc noverat Ioseph experimento sui*, qui à Virgineis oculis, conspectu, affatu, & quotidiana familiaritate pudicitiam & pudicitiæ incrementum hauriebat. Simon Cassian lib. 2. c. 25.

Imò quod amat ac stupet D. Ambrosius, etiam alii vel ex uno Virginis congressu hujus pulcherrimæ virtutis aura afflabantur : Lib. 1. de Instit. Virg. c. 7.

Tanta nempè *erat ejus gratia, ut non solùm in se Virginitatem servaret ; sed etiam, si quos inviseret, integritatis insigne conferret.* Quod si aliis ; quantum JOSEPHO sponso.

Insigni huic corporis animique castimoniæ accedit eximia quædam modestia, conjuncta cum profunda mentis demissione. II. Humilitas.

Modestiam ostendit & commendat silentium, quo in omni vita visus est S. JOSEPH, de quo observant illud SS. Patres. In tota Evangelicæ historiæ serie non referri vel unicum verbum ab eo prolatum.

Multa dixit JESUS Verbum Patris, pauca Virgò Mater, JOSEPHUS omninò nihil : Non deerat tamen fandi materia : Hauserat enim animo altissimum illud Incarnationis mysterium ; usurparat oculis & auribus multa, tum à Virgine sponsa, tum à Filio : multa didicerat ab Angelis sibi familiaribus, quorum revelatione plurima acceperat : de iis tamen ne verbum unquam ; quod insignis in illo modestiæ fuit.

Ennodius Ticinensis Festo & Symmacho honoratis Curiæ luminibus tribuit illud : *Est in illis & magistra taciturnitas, & eruditi forma silentii.* In paren.

Sic & in JOSEPHO, magno morum & sanctitatis magistro, fuit magistra quædam taciturnitas, & eruditu forma filenrii, à qua plus posteros docuit, quàm oratione multa, multa concione, multis etiam voluminibus. [*Diad. l. de Perf. c. 70.*] Nimirum ut silentium illi fuit veluti mater *sapientissimorum cogitatuum*; sic & nobis: multa quippè, eaque excelsa de illo cogitare docuit, docuit & pauca, imò nihil in nostri commendationem eloqui.

Nos homunculi, scioli esse & videri volumus, multaque effundimus in nostri laudem; & si quis vel à natura favor, vel à Cœlo gratia data sit, eam illicò lingua loquace prodimus. Non sic S. JOSEPH, non sic humiles animæ: norunt hæ tacere; imò & alios de se tacere amant, atque ambiunt. Et hoc est alterum demissi animi argumentum quod, & in S. JOSEPH. enituit.

Multa ille dixit, fecit, passus est digna posteris, digna calamo, doctisque Scriptorum monumentis, quæ irent in ætates omnes longè consequentes; at non ierunt, quia silentio tecta, atque mersa: quippe ex Evangelistis nemo unus omnium vel verbulum dixit de iis, quæ in toto vitæ cursu aut dixit aut fecit S. JOSEPH: nemo gestorum seriem, nemo patientiæ materiam, nemo præclara ab illo morum documenta, nemo vitæ metam, & mortis terminum calamo monstravit. Diceres conspirasse omnes, ut de S. JOSEPHO nihil. Quod non casu factum est: sed destinato superûm consilio, & annuente Numine: & hoc ut eo silentio bujus Sancti viri modestiæ & humilitatis genio servire viderentur. Nimirum hic accepta à superis beneficia silentio premere novit, & gaudet etiam ab aliis premi.

Cujus exemplum illustre habes in Virgine Matre JOSEPHI Sponsa: hæc multos cum Archangelo Gabriele egerat, multis de Incarnationis mysterio edocta, imò & Dei Mater effecta: tacet tamen, & ne Sponso quidem revelat, etsi inde præsciat dandam aliquam stuporis materiam, & in diversa rapiendum Sponsum: *Cogitavit* enim *occultè dimittere eam*; & hoc ut præsciret Virgo, tacuit tamen: adeo silentû amans est humilitas etiam cum dispendio sui. Tacuit etiam apud cognatam suam Elizabeth, nec priùs fassa, quàm illa à Spiritu sancto didicisset: [*L. 1 in Cant. c. 1.*] Ita, ut pulchrè Rupertus, *Verecundæ puellæ prolocutor fuit ipse Deus.*

Quæ Virgini, quæ Sponsæ humilitas fuit; eadem & Sponsi JOSEPH, eadem & aliorum, quibus ea virtus in oculis est atque amoribus.

[*1. Reg. c. 3. v. 15.*] Ita *Samuel timebat indicare visionem Heli.*

[*Gen. c. 17.*] Ita Agar ab Angelo monita de beneficiis in posteros suos effundendis, tacuit, nec Abrachæ quidem sanctissimo aperuit.

Nimirum ea Cœli gratia thesaurus est, quem sibi uni servat & abscondit humilis & sapiens animus: *Insipiens* autem, ut ait D. Bernardus, haustas è superis [*Serm. 4 in Adv. Dom.*] *merces congregat in saccum pertusum, & thesaurum suum alieno in ore constituit.*

Subinde etiam periculo suo. Sic innocens Joseph [*Gen. c. 37.*] somnia sua fratribus aperuit, & inde sibi invidiam, malumque creavit; non creasset si objectas in somnis futuræ magnitudinis suæ imagines alto silentio involvisset.

Uti hic involvit S. JOSEPH, cui non solùm curæ fuit quam à Cœlo dignitatem hauserat, occultasse; sed & illam, quam à natura & natalibus.

Prognatus erat è Regia Davidis stirpe, genusque ducebat ex longa Patriarcharum, Regum, Ducumque serie: Recensebat enim Patriarchas omninò quatuordecim, Reges, & Duces etiam totidem, à quibus sibi nomen facere poterat, ut faciunt homines huic sæculo nati. At non fecit, nec è majorum suorum gradibus sese erexit: sed abjecit potiùs etiam ad artem fabrilem, & fabrilia opera; ut inde in mortalium oculis esset abjectissimus, qui Cœli calculo erat altissimus.

In quo profectò damnavit stulta hominum studia, qui sibi à parentibus, ab avis proavisque nobilitatem accersunt; non autem à virtute, in qua vera nobilitas: ad quam ut Eugenium Papam, suum olim discipulum excitaret D. Bernardus: *Vindica*, [*Lib. 2. de Consid.*] inquiebat, *tibi nobile genus, quod non aliunde nobile, quam morum ingenuitate.*

Hanc si præteras nobilitatem, præferes non ab aliis haustam, sed à te petitam: Et in hac debet esse unicus magnæ mentis labor studiumque; ostentare scilicet non tam majorum imagines & trophæa, quàm expressam in moribus virtutum omnium formam, & præclarè pro Cœlo Deoque gesta.

Celebris olim, & omni laude digna ea vox Marii septimùm Consulis: *Non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum meorum ostentare; at si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, aliaq; militaria dona præterea cicatrices adverso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc mea nobilitas.*

[*De bello Ingur.*] Hæc apud Salustium Marius, quæ apud Christianos mens verè nobilis: gaudet illa si nobilitari suæ fidem faciat, non à majorum imaginibus, triumphis, consulatu, purpura; sed à rebus benè gestis, à vulneribus, à pulchra morte, quam Religionis Deique causâ fortiter obierit.

Sed ab his, redeo ad S. JOSEPH, & præcelsum aliud illius animi decus tibi Lector ob oculos pono.

[III. Obedientia.] Erit hoc Obedienria singularis, & perfecta cum Divina voluntate consensio: Cujus argumento est illud, quod de ea prodidit ipsa Virgo Mater, & D. Brigittæ in altiore mentis excessu explicuit, conjugem suum JOSEPHUM hæc ferè verba continenter in ore habuisse:

[*Lib. 6. Rev. c. 59.*] *Utinam vivam, & adimpleam voluntatem Dei mei.*

Hoc fuit viri Sancti votum, & hæc vox perennis, quæ non vacua fuit & inanis; sed suum pondus habuit eventu sanè felicissimo: Quod enim animo conceperat, quod voce expresserat, hoc opere exhibuit.

Argumento sit illud quod de eo sacræ Paginæ. Instabat puellulo JESU, instabat & Virgini Matri tyrannus Herodes, & propè ferrum cervicibus impendebat, cùm sic ad JOSEPHUM Angelus.

Surge, accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & esto ibi usque dum dicam tibi.

Surgit illicò Vir obediens, accipit puerum & matrem ejus, in Ægyptum fugit, & ibi hæret usque dum ille ipse bonus genius moneat in terram Israël esse redeundum.

Hic verba singula, imò singulos apices expende Lector; habent enim immensum quoddam obedientiæ pondus.

Nox erat intempesta quieti danda & somno, non itineri, maximè verò Infanri & Virgunculæ.

Hyems erat, & quidem sæva, spirabant frigidi Aquilones, & è nube gravida fortè nix cadebat densa: Quî viam inear Virgo? Quî JESUS Infans Quî JOSEPHUS ipse? Ivit tamen.

Jacebat Infans, jacebat & Mater in lectulo: Quî ex eo surgat & hæc & ille media nocte, abrupto præposterè somno? Surgit tamen.

Accipit deinde Puerum, & fortè, ut Matri solatio sit, in ulnas defert: Nec equo portatur, aut lectica, nec rheda vehitur qui cœlos digito portat & ipsum Universum. Portatur à JOSEPHO, portatur à Virgine, stupente natura, stupentibus Angelis: dulce quidem pondus, & amanti leve; sed tamen pondus, & hoc duce obedientia.

Tùm etiam fugit, quod infirmitatis, quod timoris indicium; fugit, inquam, quasi ab imminente periculo, timens etiam ille, sub quo tremunt qui portant Orbem, & ipsæ Cœli columnæ: & hoc iterum

iterum duce obedientia, quæ nisi cæca fuisset, multa obtrudere potuisset, & quidem, ut videbatur in speciem, ex rationis dictamine atque sensu:

Primò de Infantis persona, quem, ô bone Angele, dixisti opus esse non hominis, sed Divini spiritus; quem altissimum pronunciasti, id est, Deum: Qui igitur timet; & quidem Herodem, id est, homuncionem. Et hoc

Secundò objici potuit, tum etiam illud *fuge*. An non alia via, modus alius sese ab illo expediendi? Cur non dehiscit terra? Cur non ex æthere tonitrua & fulmina in caput infandum? Aut si non placet ea vis modò, Cur non è Cœlo evocatur Angelorum militia, cœlestes illi Messiæ Custodes?

Cur non subtrahitur Infans & Mater sceptis oculis Herodis & asseclarum? Id enimverò factu facile, uti & aliæ viæ, eæque innumeræ Deo notæ. Cur eligitur turpis fuga, & quidem *in Ægyptum*, in exulem terram, extorre & arens solum, & quod caput est, idolis infame; sicque procul à notis, procul ab amicis, procul à veri Numinis cultu, quo nihil gravius Infanti, nihil acerbius Matri accidere potuit: & tamen ut ea esset Ægypti regio, jubeor ibi esse. Quamdiu verò? Mihi relinquetur incertum illud atque occultum; pendendum semper ex Dei nutu & boni Angeli dictis. Et verò pendebimus, inquiebat S. JOSEPH, & in hoc, & in omni vitæ cursu: stat enim in obedientia & vivere & mori.

Ex hac porrò, ut S. Brigittæ revelavit eadem ipsa Dei Mater, velut è fonte manavit ea fælicitas, ea gloria, qua modò fruitur in Cœlis Vir obediens, Nec mirum: *Obedientia* quippe *fælicitatis est mater*, ut habet vetus parœmia, quæ ducitur ex doctis antiquorum fabulis. *Suprà.*

Aiunt illi Jovem Σωτῆρα, soterem, sospitatorem, à quo salus pendet, in uxorem duxisse πειθαρχίαν *Obedientiam*, ex quo conjugio proles quam dixere εὐπραξίαν, fælicitatem. Et hinc illa parœmia, ἡ πειθαρχία τῆς εὐπραξίας μήτηρ. *Obedientia fælicitatis mater.*

Quo figmento nos docuerunt veteres illi sapientes, obedientiam ortu esse Divinam, & mortalium genus felicissimis eventis & beatitudine complere.

Quod illi quasi per nebulam intuiti sunt, id clara in luce vidit Sapiens, qui obedientiæ fœlicitatem polliceretur atque immortalitatem: Ait enim de illa: *Radix est immortalitatis*, quæ scilicet nullo sepulchrorum situ marcescere aut mori possit. *Cap. 15. v. 3.*

Quò etiam spectat jucundum illud Apophtegma cujusdam Monachi jam vita functi, & olim Obedientiæ laude illustris: ad cujus sepulchrum cùm plurimi convenissent, & beatissimæ illius animæ desiderio interrogarent num esset mortuus? E tumulo respondit: *Obedientem mori non posse.* Vivit nimirum, vivit Obediens ævo beatiore: & ita vixit, vivetque S. JOSEPH in omnem retrò æternitatem. *Climac. grad. 4.*

****

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.



IPSO die Annuntiationis Beatæ Virginis cùm in Officiis matutinis solemni cantu insonaret Angelicum illud ac lætum, *AVE MARIA*, D. Gertrudis vidit in excessu mentis tres veluti rivulos effluere à SS. TRINITATE in cor Virginis: Unum scilicet ab Æterno Patre; alterum à Filio; tertium à Spiritu sancto. Ubi verò in cor ipsum Virginis effluxissent, tum converso fluxu, in originem suam, hoc est in SS. TRIADEM, refluebant. *Insinuat. Divin. Piet. l. 4. c. 12.*

Dum hæc oculo mentis aspicit ac contemplatur Gertrudis; simul audit triplici illo ac Divino rivulorum influxu tria quoque à SS. TRINITATE in Virginem emanasse: è quibus primum est quòd ab Æterno Patre potentissima, à Filio sapientissima, à Spiritu sancto sit benignissima.

Sic habes in una Virgine Potentiam Æterno Patri, Sapientiam Filio, Benignitatem Spiritui sancto supparem per rivulos illos quasi infusam.

Hi porrò rivuli à Virgineo corde, ceu receptaculo quodam, visi deinde per alios atque alios canales & quasi venulas elabi, & spargi tum in cœlites omnes, tum in immortales genios, tum etiam in mortales hoc Orbe inferiori sparsos, eos maximè, qui hoc die solemni & labiis & imo corde sensuque pietatis expressissent Angelicum illud: *AVE MARIA.*

Ut aliqua è Virgineis illis rivulis portio, ut saltem vel una guttula in nos quoque derivetur, cum cœlesti paranympho Gabriele Archangelo magnæ Matri, magnæ Virgini accinamus lætum istud: *AVE MARIA.*

Lætum, inquam, ac fortunatum, à quo sperare possumus, imò & nobis polliceri quidquid facit ad salutem ac beatitatem: est enim in MARIAM ab Æterno

Patre derivata superior aliqua ac cœlestis Potentia, qua possit; est à Filio infusa Sapientia, qua norit; est denique à Spiritu sancto ingenita quædam bonitas atque inclinatio, qua velit omnibus facere quàm optimè: ab his dum speramus, dum expectamus quàm optima, ad rei hoc ipso die gestæ seriem descendamus: Et quidem primò

EX D. THOMA.

Serm. 2. Luca c. 1. Angelicus Doctor hæret in illis Angeli ad Virginem verbis: *Benedicta tu in mulieribus*, & ait: *Benedicta*

A Deo Patre, quia in eodem Filio communicas.

A Filio, quia dignum habitaculum ei præparas.

A Spiritu S. cujus operatione Salvatorem mundi generas.

Ab Angelis, quia eorum vitam in terris inchoas. Inchoavit enim *vitam Angelorum, quia instituit vitam Virginum.* Benedicta rursùm ab Angelis, quia *eorum ruinam reparas.*

A peccatoribus, quia eos de angustia liberas, in periculis adjuvas, & de peccatis veniam impetras.

A justis, quia exaudis in precibus, liberas in tentationibus, augmentas gratiam in virtutibus.

A mulieribus, quia eas ab inimicis liberas, quoad virum excusas; si enim dicat vir mulieri: *Per te damnor*, respondebit illa, *Per me salvaris. Quoad Deum honoras*, quia *idem Filius Dei, & filius mulieris.*

Ab omnibus creaturis, quia earum Creatorem lactas.

EX D. BONAVENTURA.

In cap. 1. Luc. Expendit S. Doctor singula verba:

1. *In mense sexto*, scilicet à Ioannis conceptione, qui nobis est Martius, quo & mundus conditus, & deinde reparatus, ut reparatio respouderet conditioni.

2. *Missus Angelus*: Quis enim potiùs? Homo lapsus suggestione mali Angeli, reparandus ministerio boni. Prov. c. 13. *Legatus fidelis sanitas.*

Daniel c. 9. 3. *Gabriel*: ut qui priùs Danieli prædixerat, aperiret deinde & Virgini.

4. In *Nazareth*, qui *flos* dicitur, & illum designat, qui *flos campi & lilium* est *convallium. Congruebat* enim *in flore florem concipi*, & *florigeram patriam amabat* MARIA, *flos* utique *de radice Iesse.*

5. *Ad Virginem. Virginem carne, Virginem merito, Virginem professione.*

6. *Desponsatam viro. Virum nominat, non quia maritus ejus, sed quia homo virtutis, & justus.*

7. *Nomen Virginis* MARIA: Nomen exprimit, quia *non noviter aut fortuitò inventa, sed à sæculo electa, ab Altissimo præcognita, sibi præparata, à Patribus præsignata, à Prophetis promissa.* Nomen exprimit, ut exprimere & invocare nos doceat. *In hujus sæculi profluvio respice stellam, voca* MARIAM.

8. *Ave gratia plena*; quæ scilicet & illud Ecclesiastici usurpare possit: *In me gratia omnis vitæ & veritatis* Cap. 24.

9. *Dominus tecum: ut in proprio tabernaculo, ut in templo sancto suo; ut illius Mater, cujus Deus est Pater. Filius* enim *paternæ Caritatis erat corona tuæ Castitatis.*

10. *Quæ cùm audisset. In auditu commendatur modestia.*

11. *Turbata est*: *Ex verecundia. Decet* enim *trepidare Virginem, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri aspectus vereri.*

12. *Et cogitabat. Et hæc erat magna prudentia. Turbata* quippe *est, sed non perturbata*: etsi enim *cogitationes Virginis turbabant propter pudorem innocentiæ, non tamen perturbabant propter splendorem intelligentiæ.*

13. *Et ait Angelus: Ne timeas* MARIA, *sed gaudeas: invenisti enim gratiam apud Deum. Gratiam electionis, gratiam perfectionis, gratiam desponsationis.*

14. *Ecce concipies in utero*, quod *magnum, mirum, & novum; ut concipiat intrà, nihil recipiendo ab extrà.*

15. *Et paries filium: sine dolore*, quia *conceptum sine libidine. & sequetur fructus uteri cum salute. Vocabis* enim *nomen ejus* IESUM.

16. *Hic erit magnus: per gratiam unionis*, qua vacabitur & erit Altissimi Filius; & solium regale tenebit, & æternùm quidem.

17 Cui MARIA: *Quomodo fiet istud; Modum faciendi quærit, non signum*; & rationem addit: *Quia virum non cognosco*; utpote *Virgo & mente, & carne, & proposito.* Cui Angelus.

18. *Spiritus Sanctus superveniet in te*; ex ejus virtute concipies, & hinc *fœcundaberis sine corruptione, concipies sine libidine, paries sine dolore.*

19. Et *quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur*; quia *proles Dei, non viri*: quia non de carne, sed de spiritu; adeoque sancta.

20. *Dixit autem* MARIA; non ore tantùm sed & corde, sed & *verbo fidei*: *Ecce ancilla Domini.* Humilitatis ea vox ac demissionis, cui subditur altera Obedientiæ & Caritatis. *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quasi diceret: *Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea; fiat non prolatum ut transeat, sed conceptum ut maneat; fiat verbum non tantum audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris, ut verbo virtutis suæ me portet. Fiat*, inquam, *Verbum Caro factum.*

Et hæc Evangelii paraphrasis, quam in pauca contraxi, ut more meo compendio studerem ac brevitati; tui subjiciam quæ hic etiam notavit D. Chrysologus stylo ut solet aureo: erunt hæc ut opinor & grata & oportuna studioso lectori, qui malet ea velut in fasciculum collecta legere, quàm sparsa in quæstionibus videre, minore sanè gratia & fructu. Sit itaque.

QUÆSTIO PRIMA.

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba : *Missus est Angelus Gabriel, &c.* Lucæ cap. 1. vers. 26.

QUÆ HISTORIÆ SERIES? QUÆ VEL ANGELI, vel Virginis colloquia? Et quæ in illis recondita mysteria?



EVANGELICÆ historiæ seriem dum animo & cogitatione præconcipit D. Chrysologus, æstu quodam seu stuporis, seu amoris, seu etiam concitatæ orationis, exclamat:

Serm. 143. *Quis attingit arcanum Dei, partum Virginis, rerum causas, sæculorum negotium, commercium Divinitatis & carnis, hominem, Deumq; unum?*

Quis, inquit, illud attingit? Nemo certè, nemo unus omnium. Est enim ejusmodi *Quod natura non habet, & usus nescit; ignorat ratio, mens non capit, pavet Cælum, stupet terra, creatura miratur: Quomodo* ergo illud *sermo narrabit humanus?* Enimverò noo enarrabit, nisi vel Angelico Doctus oraculo, vel altiore cum Virgine colloquio: Ex hoc & illo (interprete tamen D. Chrysologo) enarrare instituam rationem ac modum, quo in terra Virgine perfectum est Dominicæ Incarnaoonis mysterium (quod profectò est *Arcanum Dei, sæculorum negotium, commercium Divinitatis & carnis*) quod patebit vel maximè ex ipsis Angeli verbis, quæ more suo, id est, aureè explicabit D. Chrysologus. Sic igitur exorsus:

Missus est mediator Angelus, cælestis nuntius, supernus interpres.

Missus, & quidem à *Deo: Qui audit à Deo missum Deitatis refugit perscrutari secretum. Quod* enim *per Angelum Deus mandat, ille meretur scire, qui timet scire.*

Missus *Angelus ad Virginem:* At cur Angelus? *Quia semper est Angelis cognata Virginitas. In carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cælestis. Et si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere majus est, quàm habere. Esse Angelum fœlicitatis est, Virginem esse virtutis* Et quia virtutis fuit & quidem excellentissimæ, hinc ad

Serm. 142. Virginem missus *Angelus ut homo censibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam.* Hinc *agit cum MARIA Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina.* Inde etiam felici omine mutans nomen *Eva*, salutat, & ait:

Serm. 140. *Ave: Hoc est accipe gratiam, ne trepides, ne sis sollicita*
Serm. 143. *de natura. Videtis quibus Virgo est oppignerata muneribus.* Nimirum

Gratia plena: Hac est gratia, quæ dedit Cælis gloriam, terris Deum, Fidem Gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo salutem sæculis redditura. Hinc prosequitur, & ait:

Dominus tecum: Ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Ita nimirum, quæ summa bonitatis Divinæ inclinatio fuit, *Præcessit nuntium suum Deus;* inde dicitur, & est

Benedicta tu in mulieribus: Quia in quibus Eva maledicta
Serm. 140. *puniebat viscera, nunc in illis gaudet; honoratur, suspicitur MARIA benedicta. Et facta verè nunc Mater viventium per gratiam, quæ Mater ante extitit morientium per naturam.*

Serm. 143. *Verè benedicta Virgo, quæ & virginitatis possidet decus, Matris & pertulit dignitatem.*

Verè benedicta, quæ & superni conceptus meruit gratiam, & sustulit integritatis coronam.

Verè benedicta, quæ & divini germinis suscepit gloriam, & Regina totius extitit Castitatis.

Verè benedicta, quæ fuit major Cælo, fortior terra; Orbe latior; nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum qui portat Orbem, genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem. Vix hæc illi cœlestis nuntius, cùm ecce

Turbata est in sermone isto.

Turbata primùm, *quia venerat Angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis; humana proferens, Divina repromittens.* Serm. 140.

Turbata deinde, *quia in ingressu Angeli Virgo sensit Divinitatis ingressum.*

Ita nimirum, *Turbatur humani corporis templum,* Serm. 143.
& carnalis domicilii movebantur angustiæ, cùm se in Virgineo pectore tota Dei conderet magnitudo. Hinc apud se tacita

Cogitabat, qualis esset ista salutatio. Meritò cogitabat, non respondebat; *Quia cito respondere facilitatis* Serm. 140.
est humanæ, cogitare verò ponderis est maximi, & judicii permaturi: quod dum amat ac miratur Aogelus, subjicit blandum illud:

Ne timeas MARIA: Vocat MARIAM, id est, *Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deserat ser-* Serm. 142.
vitutis, quam nasci & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit & impetravit authoritas.

Ne timeas, inquit, *quia, Invenisti gratiam apud Deum.*
Et verò quid timeret? *Qui invenit gratiam, nescit* Serm. 144.
timere. Timet non qui invenit, sed qui perdit. Qui timeret illa, *quæ securitatem rerum concipit, parit gaudia sæculorum? Timor non est ubi divinum est negocium, non humanum; ubi virtutis conscientia est, non pudoris. Quid timet quæ suscepit eum, quem timent omnia quæ timentur? Quid timet, cui judex causæ est assertor, integritas testis innocentia.* Subdit deinde & oovum & stupendum illud:

Ecce concipies, & paries filium, qui ingreditur & egre- Serm. 142.
ditur, & introitus & exitus nulla vestigia relinquit: Nec mirum, *quia Divinus habitator est, non humanus; & qui conceptu suo Virginem servat, & ortu suo relinquit Virginem, non terrenus homo est, sed cælestis.*

Et vocabis nomen ejus IESUM, quod Latinè dicitur *Salvator. Meritò ergo Virginis salva sunt omnia, quæ* Serm. 144.
omnium genuit Salvatorem. In cujus *conceptu partuque crevit pudor, aucta est Castitas, integritas roborata, solidata* Serm. 142.
virginitas

Hactenus Angelus. cui Virgo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Mulier, quem virum quæris, quem tu in Paradiso perdidisti? Redde virum mulier; redde depositum Dei; redde ex te, quem perdidisti per te; prætermitte naturæ ordinem, recognosce ordinem creatoris. Ille ex te assumet & faciet virum, qui in principio te fecit & assumpsit ex viro: ne quæras virum: cesset opus hominis, quia ad reparationem hominis sufficit ars Divina:* Hinc subjicit:

Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ita nimirum *obumbrat Dei virtus, ne portatura Deum fragilitas humana succumbat.* Qui enim succumberet? Certè, *æstum nostri corporis nescit,*

quem Divinæ protegit umbra virtutis. Ista ubi audiit Virgo, subdidit modestum illud ac humile:

Ecce ancilla Domini. Quæ vocatur ab Angelo Domina, ipsa se cognoscit & confitetur ancillam; quia devotus animus insulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit. Et istud ad eximiam quandam in Virgine demissionem spectavit; hoc quod addidit, ad obedientiam.

Fiat mihi secundùm verbum tuum. Vix hæc dixerat Virgo, cùm *Verbum concipit quæ credit Verbo*; quod autem *Virgo concepit, est honor spiritus, non onus est carnis: est secretum Dei, non ministerium conjugale: est gloria Deitatis*, in qua *nulla carnis sentitur injuria. Non est consuetudo, sed signum; non est natura, sed virtus; non est ordo, sed potestas: est cœleste miraculum, ratio non humana*: Serm. 146. ad illud puella, *Sic Deum concipit, ut pacem terris, Cœlis gloriam, salutem perditis, mortuis vitam, terrenis cum cœlestibus det parentelam, & ipsius Dei cum carne commercium.* Serm. 140.

QUÆSTIO SECUNDA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Missus est Angelus Gabriel.* vers. 26.

CUR ANGELUS? ET CUR GABRIEL?

I Quæstio. Cur Angelus?



IAm inde ab æternitate in Divinjore SS. TRIADIS concilio decretum erat, ut Verbum Caro fieret: & hoc quidem è Virgine, in qua felici connubio natura humana Divinæ jungeretur. Quærendus fuit earum nuptiarum paranymphus: sed quis ille? Angelus & quidem Gabriel. Sed cur hic? Cur non è summis Sacerdotibus unus aliquis? Cur non è Propheos aut Patriarchis? Etsi è sinu terræ, Limbóve Patrum fuissent eruendi; emersissent certè redivivi in auras ex suo, suorúmque voto, ad Virginem suo de sanguine progenitam lubentes advolassent.

Et hoc legationis genus officiumque, & generi nostro datum fuisset, cujus fiebat gratiâ, & naturæ ac sanguini. At non est datum; sed reservatum Angelo: Quæ causa?

Una esse potest Dei voluntas, quæ rationum instar omnium; at quia neque hæc sine causis, & quidem gravissimis, eas hîc inquirimus.

I. Causa. Divina Providentia quæ æqua lance librat omnia, voluit eâ viâ hominem erigi, quâ olim ceciderat. Juvat utriusque meminisse temporis.

Erat in Terrestri Paradiso prima humani generis parens Eva, cùm ad eam ex erebo ascendit malus Angelus. Erat in paupere Nazareth altera, & longè quàm optima hominum Mater MARIA, cùm ecce è Cœli vertice ad illam descendit bonus Angelus; & hoc quidem cœlesti consilio, de quo sic eleganter D. Chrysologus:

Serm. 142. *Audistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit cum MARIA Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina, ut nostræ perditionis initio conveniens nostræ reparationis principium responderet.*

Ita nimirum Angelus ad procurandam humani generis salutem fit minister, quia author ad ruinam malus Angelus extiterat.

II. Causa. Accedit & alia causa, quòd cœlestes illi genii & Virginis custodes essent, & hominum omnium, ad quos proinde ex ipsa officii ratione spectabat ea legatio: ad quos enim potiùs quàm ad eos, qui Dei nutu ac voluntate mortalibus dati essent veluti ministri atque adjutores?

III. Causa. Cui causæ affinis est & altera, quod ex hominum salute Angelorum ruina esset reparanda: Erat nimirum jam inde ab Orbe condito in cœlesti Curia beatisque subselliis ingens quidam hiatus, & loca vacua propè innumera, quæ hominum animabus, ceu terrestribus quibusdam Angelis, repleri gaudebant cœlestes illi genii: quibus,

IV. Causa. Ut ad aliam rationem descendam, cùm effusum gaudium sit super uno peccatore pœnitentiam agente; quantum esse oportuit de reddito sibi ac Cœlo hominum generi? Et has tres rationes attulit Albertus Magnus; cui consenit Honorius, qui sic Angelos ad Deum loquentes oratoria facultate inducit. In c. 2. Luc. In c. 5. Cant.

Exsurge, quare obdormis Domine? Et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? Oblivisceris inopiæ nostræ, diminutionis nostræ? En inter nos tot loca vacua; sed da gloriam nomini tuo; & secundùm æternum propositum, quod mutari nequit, imple tot locis indecenter deficientem numerum nostrum.

V. Causa. Addi potest & alia ratio petita partim ex Angeli natura, partim ex Virgineæ puritatis candore, ad quam nonnisi purus spiritus mitti debuit, ut vel ex eo probaretur Virginis intemeratæ Angelica castitas.

Et hanc causam sic attigit S. Hieronymus: *Benè Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis.* Serm. de Assumpt.

II. Quæstio, Cur Gabriel? Venio ad alterum caput propositæ initiò quæstionis. erat illud: Cur ex innumera cœlestium spirituum multitudine unus adlectus Gabriel, qui Virgini nuntius advolaret?

Rationes partim ex nomine, partim ex mysterio, cujus causa venerat, eruendæ. Et quidem.

I. Ratio. Primù Gabrielis nomini congruebat ea legatio: *Gabriel* enim idem est atque *Dei fortitudo.* Testem habeo D. Hieronymum Hebraicæ linguè longè peritissimum.

Gabriel, inquit, *in lingua nostra vertitur Fortitudo Dei, vel robustus Dei: unde & eo tempore, quo erat Dominus nasciturus, & indicturus bellum dæmonibus, & triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad MARIAM*, ut vel nomine suo proderet Dei virtutem ac fortitudinem, quæ tum erat explicanda. In Dan. l. 2. c. 8.

D. Hieronymo censentit D. Gregorius: *Per Dei*, inquit, *fortitudinem nuntiandus erat qui virtutum Dominus & potens in prælio ad debellandas potestates aëreas veniebat.*

Venerabilis Beda aliam affert hujus nominis etymologiam, qua Gabriel idem est ac *Confortatio mea Deus.* Nimirum Divina virtute, ac robore confirmari, confortarique debuit is, ut eum nuntiaret, qui ut ait Hugo Carensis *ad hoc veniebat, ut dissolutum populum confortaret*, peccati maculas elueret, hominesque erroribus variis involutos, & carnis illecebris irretitos erueret, atque ad virtutem, & inde ad beatitatem transferret, quod altioris erat ac Divini roboris, non humanæ, vel Angelicæ potestatis. De interpret. nom. Hebraic. II. Ratio. In c. 1. Luc.

Misit olim Deus è Seraphinis unum aliquem; sed is Isaiæ etiam extima labia admoto carbone purgare Isay. c. 6.

vix

vix potuit: Quî purgasset genns humanum, qui corda, linguas, corpora, mentesque à peccati maculis eapurgasset?

L. 4. in Luc.

Seraphim dirigeret? inquit D. Ambrosius, *& ipsum descendit in terras, in medium populi immunda labia habentis, & unius tantum Prophetæ labia apposito carbone mundavit. Alius dies requirendus fuit, quem sequerentur omnes: qui tantus esset Dux, qui prodesset omnibus, nisi ille qui supra omnes est?*

Quòd si tantoopere dies alius, Dux alius, & alius quoque illius nuntius & præco. Nimirum is, qui vel solo nomine Dei fortitudinem, Dei consortationem præferret, id est Gabriel; de quo S. Proclus aliam nobis suggeret interpretationem; eamque consonam mysterio; quod nuntiaturus advenerat.

Orat. 1. de Laud. Virg.

Gabriel quippè idem est, ac *Deus homo. Quid quæso,* inquit, *Gabriel interpretatum sonat? Arrige aures, & disce; Deus & homo. Quia itaque ille, quem annuntiabat, Deus erat & homo. quò facilius dispensationis mysterium persuadeat, rei miraculum notatione nominis anticipat.* III Ratio.

Hæc S. Proclus, cujus interpretatio ut apta mysterio; sic & hausta ea Hebræo fonte: *Geber* enim, id est *Homo*, & *El Deus*: indeque *Gabriel Homo Deus*, ut videas quàm optimè è cœlestibus geniis propè innumeris adlectus sit unus Gabriel, qui Deum-hominem è Virgine nasciturum nuntiaret, non voce tantùm Angelica; sed & ipsa nominis interpretatione. Et ista paucis dicta sint de Archangelo Gabriele sacri illius connubii & nuptiarum illarum Paranympho.

Venio ad alias hujus mysterii circumstantias, pro quibus sit

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.* v. 26.

QVIS, ET VNDE MISSVS? QVOMODO? Quò? Quandò?

Unde, id est, ex quo Ordine?



MISSUM esse Gabrielem è Cœli Regia in aperto est; at in occulto, ex quo beatorum Spirituum ordine: sunt enim omninò novem, ex quibus infimus, qui Angeli appellatione gaudet, ad varia hominibus nuntianda videtur à Deo destinatus: at quia magnitudo mysterii, de quo in præsens est quæstio, singularem aliquam atque altiorem in nuntio dignitatem requirebat, ex altiori aliqua hierarchia assumptum placet SS. Patribus: sed ex qua? Hic est controversia, eáque adhuc sub judice.

Orat. 2. de Assumpt.

D. Joannes Damascenus Gabrielem vocat Angelorum, hoc est beatorum Spirituum *Antesignanum*; quasi in cœlesti illa militia is esset qui in terrestri antesignanus.

Hom. 3. in Evang.

D. Gregorius Pont. Max. summum Angelorum: *Summum*, inquit, *Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat*.

Serm. 3. de conv. Miss. Angeli.

Consentit Bernardinus de Busto, qui Gabrielem voluit esse ex ordine Seraphinorum, & quidem inter eos summum; ut scilicet suprema illa legatio supremum haberet è cœlestibus illis geniis Principem.

Et ne illud pronuntiatum sine ratione videatur intulisse, argumentum sumit à minori ad majus, quod esset ejusmodi.

Si de ordine Seraphim fuit is qui Isaiam ad prophetandum Incarnationem purgavit; multò magis de ejus ordine esse debuit, qui ipsam Incarnationem nuntiavit. At ille Seraphim fuit, vel ipso Isaia teste: *Volavit ad me unus de Seraphim*, inquit; Igitur etiam hic, & potiore quidem jure.

Isay. c. 6.

Cum hoc authore conspirat Marcus Vigerius Cardinalis, qui Gabrielem credit fuisse de sublimissima Hierarchia, & quidem in illa eminentissimum.

1. part. c. 3.

Ratio ipsius hæc est: *Si is qui ruina humano generi dedit initium procul dubio omnium dæmonum pessimus fuit*; igitur & ille beatorum Spirituum *optimus fuit*, qui illius reparationis nuntium attulit; ut scilicet *ruinæ instauratio responderet*: quod si optimus, igitur & eminentissimus; is enim in cœlesti sede omnibus eminet, qui optimus est.

Accedit & alia hujus Authoris ratio: quòd illius legationis effectus esset à charitate quæ parem habere non posset; igitur & nuntius qui in cœlesti Curia sibi nesciret æqualem in ea quæ ad Deum est & ad homines charitate: igitur & Seraphinorum primus.

Denique hujus legationis finis erat summa Dei gloria, quæ in Incarnationis mysterio elucebat; igitur & illius nuntius is esse debuit qui summè eam quæreret, uti facit qui inter Seraphinos est Princeps. Hæc Author suprà nominatus, de quo Lectori judicium relinquo: Erit enim fortasse qui in re incerta, & quam Scriptura non exprimit, eliget quod summum est in summo utique mysterio.

Aliis placebit communior SS. Patrum atque Doctorum sententia, quæ Gabrielem censet fuisse ex ordine Archangelorum, & quidè in eo supremum.

Ita S. Thomas Aquinas, qui hæc de illo: *Satis est credibile quod sit summus in ordine Archangelorum.* 3 part. q. 30. art. 2. ad 4.

S. Irenæus, qui *Archangelum* eum vocat; cui consensit Divus Bernardus, cujus hæc est ratiocinatio: *Putemus Angelis præesse Archangelos, qui nonnisi ob maximas & præcipuas causas mittuntur, ex quibus magnus ille Archangelus Gabriel missus legitur ad* MARIAM, *ob causam utique qua major esse non potuit.* L. 5. contra Hæres. c. 23. Lib 5. de Cons. c. 4.

Hæc S. Præsul, cui pondus adjiciet in D. Petri cathedra S. Gregorius: *Hi, inquit, qui minima nuntiant, Angeli; qui verò summa nunciant, Archangeli vocantur. Hinc est enim, quod ad* MARIAM *Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur.* Hom. 34. in Evang.

At quo, inquies, habitu? Pauci existimant quod in nativo, hoc est, spirituali; sic, ut apparitio Virgini facta non specie corporea & sensibili, sed intellectuali. Quo habitu?

Plurimi, alieno habitu, & specie humanâ, qualis est in primo adolescentiæ flore.

Ita S. Augustinus, qui pro ea qua erat eloquentia Virginem inducit Angeli habitum ita describentem:

Ignaro Ioseph sponso meo venit ad me quidam magnus Christi Paranymphus, non Patriarcha primus aut Propheta egregius; sed Gabriel ille Archangelus facie rutilans, veste coruscans, ingressu mirabili, aspectu terribili, dixitq; mihi: Ave gratia plena. Serm 18. de Temp.

Cum Augustino conspirat B. Laurentius Justinianus, qui sic de cœlesti illo nuntio: *Lætus Paranymphus effectus pro officio, exhilaturus pro gratia, pro obsequio expeditus,* In Annunt. Virg.

expeditus, insolito fulgore vestitus in humana effigie descendit ad Virginem.

Non tamen, ut à pictoribus (quibus ea licentia quæ Poëtis) effingitur alatus: nec enim Angeli pennis sustineri debent, aut deferri ut advolent, ut scitè notat Rigerius Cardinalis. *In Decachordo Corda 1. Tit. 18.*

Sanè fuit cœlesti illi genio, ut sacræ scenæ serviret, humanam assumpsisse speciem, quam oculis corporeis usurpavit Virgo non sine amabili stupore: sed an etiam mente ipsam Angeli substantiam viderit, lis est inter Doctores, in qua D. Thomas negativam partem sequitur; quia nimirum status viatoris, in quo tum erat Virgo, id non patiebatur.

Verùm alii volunt datum gratiæ & privilegio quod statui & naturæ negatum erat. Ita disertè asseruit D. Athanasius: *Sola,* inquit, *Sancta Deipara Virgo nudam essentiam Gabrielis Archangeli, ut est, contemplata est.* *L. quæst. ad Antiochum Quæst. 12.*

Consentit Albertus Magnus, qui supra naturæ vires illud ait Virgini concessum, ut & suam animam clarè intueretur, & Angelorum substantiam; sic enim:

Fuit in Virgine anima sua & spirituum per species proprias cognitio, quam habuit dispositivè per naturam, completivè per gratiam. *Super Missus c. 149.*

Ab hac probè docta Virgo & Archangeli essentiam, ut ipse est, apertis animi oculis vidit, & nomen ipsum Gabrielis intellexit, quod deinde S. Lucæ Evangelium suum scribenti aperuit.

Et hæc de prima quæstione; Quis scilicet, & unde missus? Quæ cum virgine colloquia? Ea in aperto sunt ex ipsis Evangelistæ verbis.

Quanta apud eandem mora, adhuc in occulto, sunt qui velint tota nocte; sunt qui ad novem integras horas ob incredibilem Virginis modestiam, & majestatem humana majorem, tum ob Divini Verbi jam Incarnati præsentiam: Nimirum ea rei novitas atque magnitudo Gabrielem sic attonitum tenuit, ut avelli vix posset; neque verò avulsus est, nisi nutu Dei-hominis, quem in Virginis utero conceptum atque latitantem vidit, suspexit, adoravit, & cujus deinde nutu non Cœlos statim repetiit, non ascendit ad cœlestium aulam; sed antè ad Lymbum descendit, in quo detenti tot à sæculis SS. Patres, Patriarchæ & Prophetæ, quibus exposuit jam in Virginis thalamo esse Messiam Deum-hominem, quem ipsi longè antè subobscurè, & figurarum velamine quasi tectum, prænuntiarant: Hinc gaudium, plausus, & amœna quædam illius diei, cœlestisque genii lux in obscuris istis terræ antris & Lymbi carcere sperata libertas; à quo stylum reduco ad locum, ad quem è Cœli regiâ demissus Gabriel.

Quò Missus? Is Nazareth fuit Galilææ oppidum, non alio titulo ferè nobile, quàm Virginis MARIÆ & Verbi Incarnati Domicilio, à quo illi fama, & apud mortales immortalesque nomen.

Hic Virginis ædes, in qua Angelo nunciante Christum concepit, & quam deinde S. Jacobus in Ecclesiam consecravit, tum post trecentos annos ibidem Helena Imperatrix longè sanctissima templum ædificavit quod ex omni Orbe peregrinos exciperet, ob loci reverentiam ac sanctitatem, & illustria sanè prodigia, in quibus illustrius illud, quòd eadem Virginis ædicula post annos omninò mille è Galilæa & Nazareth per Angelos in Dalmatiam translata, & inde in Italiam, Lauretumque, ubi hodie visitur & colitur magno peregrinorum concursu: quem dum miratur Erasmus Novatorum antesignanus, sic Virginem Lauretanam salutat:

Salve inclyta Regum progenies, Sacerdotum decus, Patriarcharum gloria, cœlitum triumphus, inferorum formido, Christianorum spes & solatium: Divinitati proxima es, ne illic nobis desses: Certa est fiducia tua. Pronus tuo advolvor pedibus, serva animulam hanc, quæ se tibi quanta est nuncupat. *Orat. ad Virg.*

Et hæc de loco. Venio ad diem & horam Angelicæ salutationis. Quo die?

D. Augustinus videtur innuere Conceptum in Virginis utero Dei Filium ipsa die Dominica; qua etiam deinde à mortuis resurrexit. *Serm. 18. de Nativit.*

Rupertus die Veneris: *Feria sexta,* inquit, *conceptus est Christus. Ea nimirum die, qua veteretn formavit Adam de limo terræ, novum reformare cœpit hominem Deus de vera carne Virginis* MARIÆ. *Lib. 5. de Divin. Off.*

Pronuntiatum illud hausit Rupertus ex communiori SS. Patrum sententia, quæ etiam diem mensis Incarnationis Dominicæ vult incidisse in vigesimam quintam Martii; ut scilicet Christus & formari & habitare in Virginis utero cœperit eo die, quo in mundi principio creatus Adam. Ita S. Athanasius; Et hæc de die. *Quæst. 17.*

De hora, etiam sua est inter Authores disceptatio. Bernardinus de Busto censet Angelum Virginem salutasse in primo ortu diei, seu hora prima surgentis auroræ, ut significaretur veri Solis conceptus. Quâ horâ?

Alii hora diei tertia; quia scilicet ut ea productus primus homo, sic & secundus.

Franciscus Mayron existimat mysterium Incarnationis cœptum hora vespertina, perfectum autem matutina; itaque colloquium Angeli cum Virgine productum ab hora Vespertina ad Matutinam: & inde ait inductum ab Ecclesia pium illum morem, ut & ad Salutationem Angelicam detur signum æris campani tam manè, quàm vesperi.

Communior & verior opinio hæc est, Virginem ab Angelo salutatam media nocte, & inde Divini Verbi Incarnationem perfectam etiam media nocte.

Pro hac afferuntur rationes aliæ atque aliæ: una petitur ex illo Sapientis effato: *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, Omnipotens Sermo tuus de Cœlo à regalibus sedibus venit.* *Sap. c. 18.*

Quod Oraculum Sapientis, Interpretes aliqui ad sacram Christi Nativitatem, alii ad ipsam illius Conceptionem aptari posse contendunt: quod ut illa; ita & hæc media nocte facta sit.

Accedit & alia ratio, quæ ducitur à tempore quo Virgo Mater uterum gessit; videlicet mensibus omninò novem, quibus exactis media nocte peperit: ut inde etiam conjicias media nocte concepisse; ut à Conceptione ad Nativitatem menses novem intercederent, & hora partus horæ conceptionis responderet.

Eodem quoque inclinat SS. Patrum Authoritas, & Doctorum juxta ac piorum sensus; quos inter Cassianus:

In conclavi, inquit, *erat Virgo, nec tunc cubabat; non eam excitavit à somno depressam; Vigilantem invenit, deditam lectioni, aut orationi vacantem: Nox appendebatur ex medio, nec adhuc tenella Virgo sua membra in quiete collegerat: adeò somni parca, & vigiliarum amans erat.* *Lib. 1.*

Nimirum altè imbiberat effatum illud Davidis (à quo ut genus, sic & documenta ducebat) *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* *Psalm. 1.*

Beatus, inquam, primò, quia ab illa meditatione nocturna sacrisque vigiliis virtutes propè omnes (quæ sunt veluti semina beatitatis) sibi comparat, & quasi in unum colligit.

Ut enim pulchrè D. Hieronymus: *Vigilando omnis timor excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia; mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio spiritus vulneratur.* *In Reg. monachor. Tit. de Vigiliis.*

Beatus deinde, quia ex tunc prægustare incipit cœlestes illas delicias ac voluptates, quas aliquando in æterna felicitate copiosiùs hauriet.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco:* & *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* vers. 34. & 38.

QVI IN. HIS VIRTVTVM FLORES? Quisve ex iis fructus?



SANCTUS Gregorius, cui à miraculis Thaumaturgi nomen, D. Virginem hac ipsa quam colimus die sic salutare erat solitus: *Ave gratia plena, vitis semper vigens.*

MARIA vitis. Vitis enimverò fuit B. Virgo, quæ una eademque luce, non sine cœlesti prodigio & amœnam florum viriditatem, & flores odoriferos, & fructum dedit.

Philipp. Ferrar. in vita B. Bonfilii, 1. Octobris. Cùm Religiosum ordinem recens instituisset B. Bonfilius, & in hortulo suo verno tempore vitem plantasset; non sine illustri naturæ miraculo, ipso die Annuntiationis visa primùm erumpere in folia, deinde sese explicare in flores, denique effundere in fructus & uvas longè suavissimas.

Quod illi viti; hoc & Virgini Deiparæ, quæ una Annuntiationis die & folia protulit, & flores, & fructus.

Ejus fructus. Pro foliis humilitas fuit, & insignis animi demissio, quâ se texit; pro floribus candida Virginitas, & obedientia, qua se ornavit; pro fructu Verbum Incarnatum, quod in utero, ceu fertili solo, concepit.

I. Humilitas. De hoc & illis pauca, & quidem primò de ea, quæ in Virgine fuit animi demissione, cui servivit etiam Nazarethum, oppidum humile, & propè apud mortales abjectum; de quo aliquando pronuntiavit illud Nathanael: *A Nazareth potest aliquid boni esse?*

A loco naturali. Nimirùm is solet esse Divinæ Providentiæ ludus, quæ humilia redamat, eligit abjecta; odit autem ac fugit superba tecta. Ita dum Virgini Deiparæ statuenda sedes ac domicilium, non ei Romam designavit triumphantem, non doctas Athenas, non superbam Babylonem, non sanctam Hierosolymam: sed in angulo Galileæ oppidulum Nazarethum. Hîc in humili cella latebat Virgo mortalibus atque immortalibus superior, Deoque proxima; imo mox futura Deo plena. Nimirum hunc quasi de Cœli Regia devocavit insigni & rara, qua excellebat, humilitate.

De Juditha, quæ Holofernem in suos traxit amores, hoc in solemni illius Cantico oraculum: *Cap. 16. v. 11.* *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus.*

Cur non potiùs frons explicata, perspicaces oculi, genæ niveæ modico rubore suffusæ, oris elegantia, totiusque corporis compositio ad majestatem efficta? Cur non etiam capitis honor, corporis ornatus, sacræ vestes, torques, monilia, gemmæ, ceu terrestia quædam sidera? Cur non alia sparsa toto corpore ornamenta? Cur denique præ illis omnibus sandalia?

Hoc mysterio servit & doctrinæ puriori, quæ ab insigni Virginis humilitate petitur.

Serm. 42. in Cant. *Quantò* enim *majorem se audit, tantò humiliat se in omnibus*, inquit D. Bernardus.

Audit ab Angelo lætum *Ave*, quo scilicet *maledictio Evæ in benedictionem mutatur MARIÆ; & quo benedictionis nova fluentum, totum detersit maledictionis antiquæ contagium.* *Aug. Ser. 1. de Annunt.* Et tamen ut hoc audiat, *ancillam* se dicit.

Audit, *gratia plena*, quæ *salutatio quandam bonorum infinitatem affert*, inquit D. Chrysostomus. *Ad Rom. c. 1. Hom. 1.*

Benè *gratia plena*, quæ sola meruit, ut gratiæ repleretur Authore, & in qua sola *totus gratiæ thesaurus. Plena* scilicet *sibi, superplena nobis*, inquit D. Bernardus, *ut de plenitudine ejus omnes acciperemus.* *Amb. in Luc. S. Greg. Taum. Ser. in Annunc.*

Benè *gratia plena* & *Gazophylacium utriusq; Ecclesiæ*, quia *quidquid boni nobis pauperibus dare disposuit munificentia Divina, in ipsa velut in quodam Gazophylacio congregavit*, ut notat Richardus à Sancto Laurentio. *Serm. de aqua ductu. Lib. 10. de Laud. Virg.*

A Virginea voce. Et tamen ut ea esset, *ancillam* se dicit. Audit magnificum illud, ac beatum: *Dominus tecum.*

Viris longè sanctissimis magnum est quod dicantur esse cum Domino. Ita Enoch dicitur *ambulasse cum Deo* ut subditus cum Domino: at è converso Dominus cum MARIA velut illi subjectus. *Gen. c. 5.*

Beatus populus, inquiebat David, *cujus Dominus Deus ejus: quomodo non beatissima MARIA, cujus Dominus Filius ejus?* Et tamen ut ea esset *ancillam* se dicit. *Psalm. 143. Richard. l. 1. c. 5.*

Audit deinde & augustum istud: *Benedicta tu in mulieribus. Benedicta*, inquam, *quia concepit salvo flore, portavit sine labore, peperit sine dolore, quod nulla alia.* *Richard. l. 8.*

Benedicta in mulieribus, quia mulier omnis concipiens de amore viri concipit; hæc sola de Dei amore, id est, de Spiritu Sancto concepit, ut in illam cadere posset ista Isaaci in Jacob benedictio. *Rupert. l. 1. de glor. Filii hom.*

Det tibi Deus de roro Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam. *Gen. c. 27.*

Ros quippè *Cœli, Virginitas; Pinguedo terræ, facunditas*: quæ duo una Dei Mater conjunxit, quod alia mulier omninò nulla: & hinc inter omnes benedicta. *Richard. l. 12. c. 6.*

Sed ista benedictio hactenus in ipsa Virgine hæsit, restat ut ad mortales omnes sese diffundat, & hinc etiam dicatur & sit *benedicta*: utpote, *quæ prima matris maledictionem dissolvit*, & benedictionem hæreditatis æternæ impertiit. *Guarricus Abbas.*

Ita nimirum *per mulierem infusa est maledictio terræ, & per mulierem reddita benedictio terræ.* Et tamen ut reddita sit, ut inde gloriari possit Virgo quàm maximè, ancillam se dicit, & in infimis se reponit quæ ab Angelo, imò & à Filio, audit benedicta; sic enim aliquando ad Matrem: *Benedicta sis tu charissima mater mea. Gabriel Angelus meus dixit tibi: benedicta sis tu præ mulieribus; & ego perhibeo tibi testimonium, quod tu benedicta es super omnes Angelorum choros.* *S. Brigitta, l. 1 Revel. c. 52.*

Et tamen ut ea esset, ancillam se dicit:

Ecce quæ ore & verbis ipsis expressa humilitas: vis etiam, quæ mente? Accipe vel ipso Evangelistæ testimonio.

Turbata est, inquit, *in sermone ejus*: At cur turbata? Respondet B. Albertus: *Ipsa de se non sensit nisi humilia; & ideo turbata.* *Luc. c. 1. In c. 1 Luc.*

Nimirum, ut hîc disertè B. Laurentius Justinianus, quia *consuevit humilitas semper stare sub se: ita difficile fidem accommodare iis, quæ supra eam esse censentur.*

Et ita eò loci ac temporis factum & factum benè: *Revolvebat Virgo animo singula nuncii cœlestis verba, seq;*

metiebatur in se; parvitatem suam, Dei altitudinem, profusam illius bonitatem matura consideratione pensabat, nihilque tanti oraculi dignum sibi inesse cernebat, unde magno cogitationum æstu intus urebatur; & illum excitabat insignis animi demissio.

Et hæc primus est à Virgine, ceu vite, virtutis flosculus; vis oculos flectere ad secundum? Eum efferet candida Virginitas, quam aliis atque aliis argumentis hîc prodidit.

II. Mariæ virginitas.

Primùm in eo, quòd turbata est: ita nimirum *trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri*: ut huic scenæ serviret Angelus adolescentis formam assumpserat, & hinc ab illa etiam in Angelo turbatur Virgo: Nempè *Virgini in conclavi, in silentio orationis positæ, contraria nimis est species viri*, inquiebat Albertus Magnus. (Ambros. l. 2. de Virg.) (Int. 1. Luc.)

Et hæc prima illius turbationis causa; accedit altera, eaque est eximius quidam amor Virginitatis, quæ his voculis peri videbatur:

Benedicta tu in mulieribus: Mulierum istius ævi benedictio ferè posita in prole numerosa, etiam cum dispendio virginitatis; & quia hanc Deo voverat, inde, ut notat Guilhelmus, *Obstupuit, & expavit pro cautela votivi propositi sui.*

Turbata est quod benedictam sese audisset in mulieribus, quæ benedici in virginibus semper optabat, inquit D. Bernardus. (Serm. 7. de Virg.)

Ab illa benedictione quali quali, sibi timuit Virgo: Nec enim adhuc noverat quî conciliarentur hæc duo; fœcunditas, & virginitas; mater, & virgo; ut quæ essent supra omnes naturæ leges, pacta: Et inde Angelo suggerenti: *Ecce concipies, & paries filium*; objecit statim illud: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.*

Et hæc prima sunt Virginis verba, & ea quidem in patrocinium virginitatis, cui non anima tantùm, sed & sacra quoque erat lingua: singula accuratiùs expendamus; habent enim vim magnam ad probandum illud quod in quæstione est.

Prima vocula, *Quomodo, non est dubitationis, sed admirationis*, inquit Richardus: Credidit enim Angeli verbis; sed modum quo conciperet, quo pareret filium, inquisivit, salvo virginitatis voto: quod innuit illis verbis: (Lib. 3.)

Quoniam virum non cognosco; hoc est cognoscere non possum. Quando verò votum illud emiserit, in dubio est & adhuc sub judice.

Sunt qui velint ante conjugium, uti & deinde JOSEPHUS voti Sponsæ suæ probè conscius.

Alii, cùm in Templum ascendit anno ætatis suæ tertio: alii in ipso matris utero.

Jacobus Episcopus Constantinopolitanus, in primò conceptionis instanti, quo & usu rationis donata, & ingentibus gratiæ ornamentis, ad quæ accessit dicata Deo virginitas, etiam in primo vitæ limine, & ante lucis hujus usuram; ut inde disceres quantum Virgini in amoribus virginitas, quantum illi in primis curis.

Virginis & Matris voto favit, Filius, de quo olim hæc Isaias, hæc in Cœlum jactavêre SS. Patres: *Emitte Agnū Domine, Dominatorem terræ, de petra deserti.* (Cap. 16.)

Agnus dicitur, qui virgineam terram illæsam servaret, non Leo, qui vastaret: emittitur ille *de petra deserti*, id est de Virgine, quæ in proposito virginitatis firma adinstar petræ dicere potuit quod deinde ex quadam Oratoriæ artis licentia apud Augustinum dixit.

Regnum teneo virginitatis, & Regem genui castitatis; Ingredientem & egredientem habui in palatio ventris Filium Imperatoris, & de manibus non amisi clavem regni pudoris; porta facta sum Cœli, janua facta sum Filio Dei.

Ut porrò janua fieret, ut & Virgo, & simul Mater, à cœlesti Sponso osculum petiit: *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui.* (Cant. c. 1.)

Videte miraculum, ait Philippus Abbas: *Virgo Sponsi osculum accipit, osculantis spiritum percipit; in osculo jam mater concipit, dum operante spiritu conceptum recipit.* (Lib. 8 in Cant.)

Et hæc virginitas secundus est à vite nostra flosculus, cui connectitur alius, quem præclara explicat obedientia, his expressa verbis:

III. Mariæ obedientia.

Fiat mihi secundum verbum tuum: hæc tum temporis Virgo, quæ & ista quondam Salomonis ore:

Anima mea reliquefacta est, ut dilectus locutus est: Liquefacta per incendium charitatis, parata videlicet instar metalli decurrere in omnes modulos Divinæ caritatis, ut dilectus locutus est ad me per Gabrielem, postulans me in matrem, cui me obtuli in ancillam. (Cant. c. 5.) (Richard. lib. 4.)

Ad illam porrò promptioris obedientiæ inclinationem Verbum Divinum *descendit sicut pluvia in vellus.* Vellus enimverò MARIA, quia, ut inquit D. Ambrosius, *mollis ad obsequium.* (Psal. 71.) (Serm. 15.)

Plerique mortales, dura capita, saxea corda, flecti nescia ad nutus Divinos, imò nec ad imperia: at MARIA velleris instar, mollicula, & in omnem partem duci flectique facilis, ut dicere ex vero posset quod de se quondam Propheta Regius: *Aures perfecisti mihi.* Est auris obedientiæ symbolum, utpotè ad vocem imperantis patens atque aperta: Et MARIA auris erat, & si pateris, mi Lector, auris tota. Sic eam appellavit Richardus in illa Psalmistæ verba: (Psal. 39.)

Præparationem cordis eorum audivit auris tua, ô Deus. Auris tua, inquit, *id est Beata Virgo*; non solùm quia ea mediante pauperes exaudis; sed vel maximè, quia vocem tuam continenter audit, imò & nutum, umbramque Divinæ voluntatis. (Psal. 9.)

Equum generosum, ut vulgò jactari solet, regit vel sola virgæ umbra; & Virginem rexit umbra Imperii Divini, & nutus obumbrantis Spiritus sancti.

Et hanc obedientiam in suis amat Virgo Mater; imò & solâ præsentiâ inspirat. Testis erit etiam in utero Elizabethæ Joannes, qui ad primas illius voces exiliit. *Ad vocem MARIÆ exultavit infantulus, obsecutus antequam genitus*, inquit D. Ambrosius.

Ita nimirum de Matre dici potest quod de Filio pronuntiavit ille ipse mellifluus Doctor: *Suscepit ipse obedientiam ut nobis eam transfunderet.* Ut ipse Filius, sic & ipsa Mater obedientiam apprimè coluit atque exercuit; ut eam coleremus, atque exerceremus ipsi, & quidem quàm promptissimè. (In Psal. 6.)

De iis, quos primùm Ecclesiæ, deinde Cœlo elegerat Deus, sic ait Zachariæ verbis: *Sibilabo eis, & congregabo illos*: non vocem explicabo in sonos articulatos, non adhibebo verborum tonitrua, non feroces minas admovebo, ut eos ab errore Gentilitio ad Fidei veritatem adducam, & in unum ovile congregem; sed *sibilabo* dumtaxat, & exiguo sibili sono etiam de remotissimis regionibus, etiam de extremo Orbe in Ecclesiam vocabo. (Cap. 10. v. 8.)

Ecce, inquit B. Umbertus Abbas, *voluntaria obedientia, quæ non virga vel calcaribus indiget; sed movetur sibilo dulciori.* (Cap. 8.)

Ita motus Apostolorum Princeps, qui sic ad Christum: *Ecce nos reliquimus omnia. Amica confabulatio Simonis ad IESVM; dignumque, Simon, qui cum Salvatore pleniùs proloquatur. Simon namque, obediens; IESVS, Salvator. Loquitur ergo obedientia cum salute, quia solis obedientibus æterna salus hæreditario jure debetur.* (Matth. 19.) (B. Petri Damiani.)

Ita, ut ad Virginem redeam, mota fuit & illa cùm in has voces erupit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.*

Vix hæc dixerat, cùm ecce stupendo naturæ gratiæque miraculo, Verbum in ea Caro factum, & DEUS homo: & hoc obedientiæ merito; de quo sic ad Virginem B. Andreas Mediolanensis: *Mater Sampson talem filium per abstinentiam genuit; tu talem per obedientiam suscepisti*; adeò superis, Deóque grata obedientia.

DE

DE SS. APOSTOLIS
PHILIPPO ET IACOBO.



Ivus Thomas in concionibus suis nihil de hoc festo. D. Bonaventura abit ab Evangelio, ut inhæreat illis Psalmistæ verbis, quæ omnibus Apostolis sunt communia: *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Serm. 1. Psalm. 138.

Et verè nimis honorati: *Major quippe honor impenditur Piscatori, quàm Regi; major Iacobo, quàm Alexandro; major Philippo, quàm Cyro, & Dario.*

Sed unde, inquit, petitur ille honor? Repondet à duobus:

Primò, *Ab excellentia sanctitatis, qua fulserunt in via.* Hæc indicatur illis voculis: *Amici tui Deus.*

Secundò, *Ab altitudine potestatis, qua præsunt in patria.* Ista notatur his verbis: *Nimis honorati sunt.*

Hæc S. Doctor, à quo discedo, ut veniam ad Evangelium, & de eo ex more nonnullas moveam quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.

Ad illa verba: *Non turbetur cor vestrum.* Ioan. c. 14. v. 1.

CUR HOC AD APOSTOLOS CHRISTUS?



Pusilli mortales, viles animulæ de nihilo turbantur: nimirum illis usu evenit, quod puero: cui si nuces, si pomum acidum, si cultellum, quo se lædet auferas; suspirat, ingemiscit, illacrymatur, atque infremit. Quid agas? Venia danda, quia puer est & mentis inops: At non dabitur illis, quibus ab ætate ævi maturitas, & fortè cana facies; sed non cana mens est: suspirant hi, ingemiscunt, illacrymantur atque infremunt si aut mortalia demas, caduca atque noxia bona, aut aliqua hujus vitæ incursent mala. *Bona nos turbant.*

Divitias plus æquò appetit unus aliquis, & tamen eas aut fortuna negat, aut æquitas, aut Dei Providentia; & turbatur. Ita turbatus Achab cùm ei negaretur vinea Naboth: quippè *projiciens se in lectulum avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* *Divitiæ non possessæ turbant.* *3. Reg. c. 21.*

Ecce quis æstus animi, quæ turbatio.

Divitias alius possidet & arcâ stringit; & eas eripit aut dolus, aut vis aliqua: & ecce turbatio. *Possessæ turbant.*

Ita turbatus Michas propter ablatum sibi idolum, post latrunculos cursitare, queri, clamare cœpit.

Et objicienti sibi, Quid tibi vis? Cur clamas? Respondit illicò: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & omnia; & dicitis, Quid tibi est?* *Judith. c. 18.*

Ecce idolum, ecce Dii sculptiles & aurei, & in iis omnia; & inde turbatio.

Honores ambit alius & quærit impensiùs, titulos affectat & primas cathedras, & ad eas ascendere minimè conceditur; invidia, malevolentia, casu, vi detrudi timet: & ecce rursus turbatio. *Honores turbant.*

Ita infelix Aman, bonâ fortunâ ebrius, & favore Regio elatus vel maximè; turbatus tamen, vel ex eo tantùm, quòd cùm *cuncti servi Regis, qui in foribus palatii versabantur flecterent genua, & adorarent eum;* solus tamen *Mardochæus* neque flecteret genua, neque adoraret eum: & hinc iratum fulmina, meditata cædes innocentis, erecta crux præalta Mardochæo; sed Divinâ Justitiâ ipsi Aman reservata. *Esther. c. 3.*

Nimirum, ut pulchrè Seneca superbis illis & vanæ gloriolæ cupidis, *quæ aliis videntur excelsa, ipsis prærupta sunt: itaq; exanimantur & trepidant quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maximè lubricos; tunc appetita formidant, & quæ illos graves aliis reddit, gravior ipsis felicitas incumbit.* *Epist. 95.*

Voluptates corporis amat alius, & stultè deperit: & hæ quoque si obveniant, turbant. Quod etiam observarunt Romani superstitiosæ religioni addictissimi, qui gemina Angeronæ, & Volupiæ simulacra conjungere, & utrique in eodem sacello sacra facere consueverant; ut vel inde doceret Angores, & voluptates, nomina verius quàm Numina, mutuò necessitudinis nexu conjungi, & in eadem sede requiescere; quia nulla sine angore voluptas, nulla in hac quies sine turbatione. *Voluptates turbant.* *Macrob. l. 1. Satur. c. 10.*

In istis sanè misera sors mortalium; sed & in hoc miserior, quod eos etiam conturbent mala, atque inprimis paupertas, à qua nullus dies sine nube, sine turbine. *Omnes dies pauperis mali*, inquiebat Sapiens. *Mala etiam nos turbant.* *Prov. c. 15.*

Quod de paupertate; hoc de aliis quæ vulgò dicuntur & habentur mala: sive extrinsecus adveniant; ut sunt injuriæ in fortunæ, corporis, & famæ bona, ut bella, persecutiones, cædes, & strages: sive in-

trinsecus oriantur; ut sitis, fames, morbi, mors ipsa, Et hæc omnia nos turbant; ideoque adversus ista necessum est illud Christi monitum: *Non turbetur cor vestrum.* Sed cur illud ad Apostolos? Quia his singulare esse debet, non turbari.

Apostolorum est non turbari.

Apostoli sunt *Christi pauperes.* Accepimus olim omnes Christianos vulgò nominatos fuisse pauperes: cujus appellationis meminit Minutius Felix, ubi fit de Christianorum vita.

In Octav.

I. Quia Christi pauperes.

Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra; sed gloria. Et meritò: neque enim pauperes erant ea egestate qua mendiculi nostri esse solent, quibus sæpe nimius ardor cupiditatis, & habendi sitis; sed altiore humanis omnibus animo, & præclaro bonorum inanium contemptu, æternorumque desiderio.

Et hac paupertate præ cæteris excelluerunt Apostoli, qui ut ait S. Chrysologus: *Erant censu pauperes; sed innocentiâ locupletes;* & in hac atque illa felicitatem omnem suam reponebant.

Serm. 28.

De Christianis jactavit illud D. Augustinus: *Magnæ felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo Regni in paupertate posita est.*

Serm. 26. de verbis Dom.

Quod si ea Christianorum felicitas, ea claritudo; major omninò fuit Apostolorum, quibus propriæ illæ voces: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te;* quas ut primus extulit Apostolorum Princeps; sic & alii deinde, quos inter Philippus & Jacobus.

Philippus quidem, ut ex eadem Civitate Betsaida qua Petrus & Andræas; sic & ejusdem paupertatis alumnus & cultor eximius: uti & Jacobus dictus *Oblias*, id est, *Justus*, & Domini frater, non cognatione tantùm, & quadam oris similitudine; sed vel maximè virtutum imitatione, ac præcipuè paupertatis, quam vel ex eo probavit in omni vita, quod victu tenui, aquæ potu, & vili indumento sit usus.

II. Quia humiles.

Ex hac porrò paupertate, quam non necessitas imposuit, sed voluntas assumpsit, factum ut Apostoli nec bonorum possessione affici, nec jactura turbari possent; uti neque humanis laudibus, & gloriæ appetentia: erant enim plerique omnes, ut ait Chrysologus, *Loco humiles; sed sanctitate sublimes.* Hac una contenti, auram popularem, humanas laudes, & omnem gloriæ fastum oderant.

Supra.

Et verò quidni odissent? Vanum enim est ac stultum *Linguis humanis ruinosa gaudia construere*, ut rectè D. Augustinus. Vanum est jactantiæ fastum appetere, qui *in favillam, fumumque vanescit.*

Epist. 56.

Epist. 81.

Vanum est *diarios & fugitivos honores* sequi: qui eos secuti, *trophæis triumphisque, succubuere*, ut scitè notat Cassianus. At non sic Apostoli, qui ea omnia infra se, non supra se voluerunt; & inde eorum jacturâ nunquam turbati.

Greg. Nyss. Orat. 5.

Apostoli non turbantur ullis malis.

Sed neque etiam ullis incursantibus malis, seu ea ab illis expectari possent, quorum animas studiosè sectabantur; seu ab efferà vi tyrannorum, à suppliciis, ipsaque morte, quæ etiam fortissimos quosque concutere, ac turbare solet.

Erant Apostoli quasi *Venatores animarum*; sic enim eos Jeremiæ voce appellandos censuit Deus:

Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de monte. Venatores, inquit D. Ambrosius, *qui investigant eos qui capiuntur ad vitam.*

Cap. 16. v. 16

In Psal. 118. Serm. 6.

At non investigant sine labore, sudore, sanguine. *Si enim*, ut disertè Tullius, *pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur*, & difficultates omnes, ac pericula superant: Sic & Apostoli dum animas, ceu feras venantur: Feras dico, & quidem efferas; tales enim sunt peccatores omnes, qui amabilem hominis formam exuunt, & ferinam induunt.

Tuscul. 2.

Et hic quidem *Leonis per superbiam, ille Hyenæ per crudelitatem, alius Apri per iram, alius Aspidis per inobedientiam, Vituli per lasciviam, Tauri per extollentiam, Porci per immunditiam, Ericii per asperitatem.*

Greveus Canc. Paris. Serm. 177.

Ecce quæ peccatorum facies, quæ monstra: & hæc sequi, hæc capere, hæc curare debent Apostoli ceu venatores; at labore multo, sudore multo. Et hunc & illum ex uno collige. Is erit venatorum illorum facilè Princeps Paulus: Quid ille de seipso, suisque in Evangelio disseminando laboribus:

In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in vigiliis: En longa laborum series, quam & alii Apostoli texuere. Ne omnes consecter, ii, quorum hodie festa solemni ritu agimus, in laborum illorum partem devenêre.

2. Corint. 6.

Et quidem Philippus, cui Asia obtigit excolenda; Asia dico immani luxu diffluens, quæ tot efferebat belluarum capita, quot peccatorum monstra: In hæc incurrere, hæc edomare debuit; & quidem primùm *Camelum*, ingentem carnis molem, hoc est avaros camelum referentes *per gibbositatem, id est divitiarum & avaritiæ sarcinam.*

D. Philippi labores.

Greveus supra.

Deinde & *Porcos*, hoc est immundos, qui toti in venere, & sordibus volutantur: tum etiam certare cum *Tauris*, & quasi in circulum arenámque descendere cum insolenti superbia tumidis, & hac veluti cornu ferientibus: Cum *Pardis*, & *Cameleonibus*, hoc est hypocritis & simulatoribus bellum indicere.

Denique cum *Vulpibus* & *Serpentibus* agere, hoc est, cum sacrificulis, & profanis idolorum mystis, qui callidi ut vulpes, venenosi ut serpentes.

Et hi Philippo labores: pares Jacobo, qui Jerosolymam, ac Judæam Christianis sacris imbuendam susceperat Dei sui nutu ac voluntate. Sed amabo te, mi Lector, quâ curâ? Quo animi impetu? Quantis sudoribus? Erant Judæi duræ cervicis, & indomita Cœlo capita, Deo ac superis à sæculis rebelles: hos flectere, versareque Christianas in partes immensi laboris fuit. Et verò ei se totum dedit Apostolus, & noctu diúque impendit: noctu quidem dum eas ducit insomnes, & orationi, Deoque placando ita vacat, ut & genua instar camelorum durescerent, & frons callum obduceret, quòd illa prostratus solum attereret.

D. Jacobi labores.

Ita pro grege suo laborabat bonus Pastor silenti nocte: nec minus alta luce, quà concionibus in pulpito, quà ægris in Xenodochio, quà moribundis in extremo vitæ limine, quà energumenis, ac malè possessis à dæmone, quà aliis morbis, quos è corpore pellebat, ceu ex hospitio malè usurpato.

Et hic labor impensus tum corporibus, tum animabus curandis; at longè major superanda vi tyrannorum, à qua ne minimum cōmoti, nedum turbati.

Apostoli in arcanis symbolis Regii Vatis, *Domus eburnea* nuncupantur, de quibus agens D. Hieronymus: Ebur, inquit, nisi cadatur limis, dividatur serris, ac subulis perforetur, obscurum, & horribile est: sic & Apostoli erant, antequam vocarentur, & à Spiritu sancto inhabitarentur; sed postquam vocati sunt, serris secti, ungulis rasi, scalpellis scalpti, flammis igniti, ac variis suppliciis elimati facti sunt domus Dei.

Psalm. 44.

Et ita cum Philippo & Jacobo factum, Philippus enim Hierapoli Asiæ urbe nobilissima primùm captus, & in carcerem detrusus; dein flagris acerbè cæsus; denique à talis vinctus sublimè suspensus præceps. Ad illud horrendum facinus ingemuit æther, & terra tremuit non sine stupore, timore, horrore totius populi, qui credens sibi dehiscere terram, ad Apostolum supplex venit, ut suis apud Deum precibus imminens averteret malum, quod in pœnam illati per summum nefas supplicii sibi irrogari sentiebat.

S. Philippi passio, & mors.

Hinc Apostolum vinculis solvere, mortique eripere parabat: at renuit Vir sanctus, quòd probè nôllet se per ea supplicia aptari ad domum eburneam & mansionem Dei æternam.

Quod-

S. Jacobi passio, & mors.

Quod Philippo; hoc & Jacobo à Scribis & Pharisæis. Ductus erat in pinnaculum Templi, ut inde velut è pulpito eminentiore diceret ad subjectam plebem: dixit enimverò; sed non ex illorum voto: ex veritate dixit, & JESUM generis nostri Redemptorem, ac deinde judicem pronuntiavit. Liberum illud Apostolici animi testimonium nec Pharisæi nec Scribæ tulêre; exclamarunt illicò: *O Justus quoque erravit*; deio è pinnaculo præcipitem dedêre; tum lapidibus & saxorum grandine obruêre; denique unus aliquis cæteris ferocior ingenti fullonis fuste sacrum caput contrivit, & viam aperuit qua ingens è corpore exiret anima, & Cœlum intraret; cui dum proximus esset Apostolus in ipso mortis limine in easdem propè cum Magistro voces erupit: *Domine ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Ecce ut in ipsa morte, quæ tamen terribilium terribilissimum, turbatus non est Christi discipulus, retinens illius quod aliquando ad se Magister JESUS: *Non turbetur cor vestrum.*

Et sanè jure meritissimo hæc ad Discipulos Christus, qui præsago spiritu vocéque multa illis prædixerat, quæ vel mœrorem incuterent, vel timorem, mentémque, si modo constans non esset, de sede sua dejicerent:

Primò enim hæc ad omnes: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos; plorabitis, & flebitis vos. Venit hora, in qua omnis, qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et hæc ab hominibus mala; istud à dæmone: *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Deinde ista ad unum aliquem ex illis *Vnus vestrûm me traditurus est.* Luc. c. 10. Joan. c. 16. Luc. c. 22.

Quæ perfidia ut summè insolens; ita summè timenda: maximè cùm necdum Oraculo Primæ Veritatis innotuisset in quem ea cadere deberet.

Accessêre & alia futurorum præsagia: Petro quidem quod alius eum cingeret, oneraret vinculis, & duceret quò minimè vellet; ad Crucem scilicet & fatale lignum: & ita de aliis, quæ singuli dum à magistro excipiunt, opportunum fuit & illud monitum: *Non turbetur cor vestrum.* Opportunum & nobis, quos Dominus JESUS ea viâ, quâ Discipulos suos in Cœlum ducit; viâ scilicet tribulationis, & impendentium hîc malorum, quibus leniendis de remedio ipsis Christi verbis providendum.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Creditis in Deum? & in me credite.*

CVR HIC FIDEM COMMENDAT CHRISTVS Magister Optimus.



VARIÆ succurrunt eæque non levis momenti rationes, ob quas Apostolis vel maximè necessaria Dei fides, vel malorum vindicis, vel bonorum remuneratoris.

I. Ratio. Prima, quia facti sunt velut *Navis institoris de longè portans panem suum*; Panem, inquam, & pabulum Divini Verbi, quod inter Idololatras, velut altum ac procellosum mare, exportandum, non sine metu procellarum, non sine naufragii & salutis periculo, ad quod avertendum opus est Fide: De hujus præsidio inter exundantes Idololatriæ procellas sic olim altiore stylo Tertullianus: *Inter hos scopulos & sinus, inter hæc vada & freta velificatu Spiritu Dei Fides navigat; tuta, si casta; secura, si attonita.* L. de Idolol. c. 24.

Scopulos vocat duros & incultos Idololatrarum mores; sinus, errores varios & implexos; vada & freta, sæculi hujus delicias ac blandimenta, in quibus facilè hæreat animus, nisi Spiritu Dei agatur ac naviget: & hoc duce fide, quæ tuta erit, si cauta, hoc est pio timori juncta; secura, si attonita, id est si stupens ac tremens ad judicia Dei tamquam ad tumentes super se fluctus.

Huic, quæ est in Deum fidei, jungi vult alteram, quæ est in Christum Servatorem optimum, ut scilicet ea probè imbuti alios etiam imbuant, ipsosque idololatras, qui ligna lapides, sidera, animantia, creaturasque puras pro diis habuerant, errore posito, in Deum unum creaturarum Authorem crederent, ejusque, quem in terras demisit, Filium agnoscerent, quamvis immani affixum ligno, & probrosa in speciem morte.

De hac Fide sic Tertullianus: *Quoniam homo non erubuerat, lapidem & lignum adorans; eadem constantia non confusus de Christo pro impudentia Idololatria satis Deo faceret per impudentiam Fidei.* Lib. 4. cōtra Mar. c. 21.

Nimirum idololatria quondam futilia ac propudiosa Numina proposuerat, & rudem metalli massam non sine pudore impudenter adorarat; huic impudentiæ errorique sanè erubescendo Deo satisfacere debuerat per arcanam quamdam velut impudentiam fidei; qua scilicet crederet etiam ea, quæ pudenda videbantur: videlicet Deum Incarnatum, natum in stabulo, extremaque paupertie; & post vitam in ea actam, infami tandem affixum ligno, & pudenda, ut videri poterat, morte in eo defunctum.

Et hæc quæ pudenda apparent oculis mortalium, vera Fides per sanctam quandam impudentiam agnoscit, nec indigna Deo confitetur: & hoc quidem Apostolis prædicantibus.

Et hinc mihi ducitur secunda ratio. Captivum abducebatur genus omne mortalium; captivum, inquam, vel in profanis Idolorum fanis, vel in obscuro carnis antro, & vitiorum omnium voragine; unde cæca illi nox incumbebat, nox ignorantiæ & vitiorum: ab hac & illa liberari Apostolici laboris fuit, ac Fidei, cujus symbolum aliquod habes in Abrahamo. II. Ratio.

Debellatis Pentapoleos regibus Lothus cum tota familia captivus ab Assyrio victore abducebatur; quod ubi intellexit Abraham, pro ea, qua erat in eum charitate, animique magnitudine, numeravit expeditos vernaculos trecentos decem, & octo; & in hostem ex improviso, intempestaque nocte irruit, *reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum.* Gen. c. 14.

Historiæ seriem audis & tenes mi Lector; audi & tene quod sub ea latet mysterium. Abraham credentium pater est, & Fidei ope atque subsidio Lothum à captivitate liberat. Ita nimirum *à captivitate vitiorum liberat Fides rationem & intellectum quasi fratrem & substantiam fratris*, ut piè meditatur Anselmus Laudunensis. Ibidem.

Intellectus & ratio quasi germani fratres captivi ducebantur: hinc à malo dæmone vinculis erroris implicati; inde carnis illecebris, ceu manicis quibusdam & compedibus: & his & illis liberantur à Fide, ab Apostolis Philippo & Jacobo, tamquam Abraham altero, à quo infideles vindicantur in libertatem filiorum Dei: & hoc beneficio Fidei, quam ideo illis in primo Apostolicæ vocationis limine commendatam voluit Servator optimus: & inde petitur

III. Ratio. Tertia ratio: Erant Apostoli peregrinantium more modoque per universum Orbem dispergendi, ad quod oportuno illis opus erat viatico; & hoc

In Catena. erat illis Fides. *Fœlix utiq; viaticum*, inquit Lipomanus.

Gen. c. 28. Isaacus Jacobum emisit in Mesopotamiam: *Vade*, inquit, *in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel Patris Matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem.*

At quomodo è domo opulenta in longam peregrinationem sine viatico? An in hoc defecit vel paternus, vel maternus amor? An qui in aliis prodigus, in hoc avarus? An viatico fraudatum voluit indulgens mater, quæ cum olim primogenitura, etiam pio dolo, & ingenioso amoris invento, dona-

Ibidem. tum voluit? Minimè gentium; sed *bona ei viatica* dedit, inquit Chrysostomus: Quæ illa quæris? Audies Fidem fuisse, quæ uti illi; sic & deinde Tobiæ juniori in sua etiam peregrinatione; sic & Apostolis; sic & bonis mentibus, quæ Fide velut viatico sustentantur, ac nutriuntur: Deo utique pleni, sicuti & Fide: pro qua magis ac magis probanda

IV. Ratio. Descendo ad quartam rationem, quæ Apostolos in campum educet velut generosos invictosq; Christianæ militiæ duces, quibus Fides fit pro stipendio.

Lib. 4. de Gubern. Salvianus Massiliensis Præsul aiebat, *Homines Christianos stipendia Fidei à Deo capere*; ex quo si petas, quæ sint illa, respondebit, esse Christianarum virtutum opulentam supellectilem, & ingentes bonorum operum divitias. Excelsa quippe in Deum Fides, in arduis fortitudinem, in adversis patientiam, in prosperis temperantiam, in dubiis obscurisque prudentiam affert velut oportuna Fidei Christianæ stipendia; quibus excitatus Christi miles discat & agere & pati fortia, & obvium dare ferro caput, vitamque, Dei ac religionis causâ fundere. Et ita fuderunt Apostoli, quibus Christus Fidem dederat ac virtutes pro stipendio, imò & fomite præcelsarum cogitationum, ac moliminum: Et inde

Petitur quinta ratio. D. Paulino Fides dicitur, *Fomes bonorum operum*: ut enim fomes ignem fovet ac nutrit, qui deinde in magnum evadit incendium; sic & Fides ubi in animam admissa fuerit, ignem in ea fovet Divini amoris, quo flammis accrescens suis & foras erumpit, & obvia quæque incendit, atque exurit felici sanè ac beato incendio. V. Ratio.

Et ita in Apostolis factum, & factum benè. Exemplum habes in Philippo, exemplum in Jacobo, qui ubi Fidem illam hauserunt, & ex illa cœlestis amoris flammas, eas longè latèque sparserunt.

Exemplum habes in Paulo Gentium Apostolo: Ibat ille Damascum versùs plenus minarum ac cædis in Discipulos Domini; cùm ecce derepentè circumfulgit eum lux de Cœlo, & hæc è nube audita vox: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ad quam Saulus: Act. c. 9.
Quis es Domine? Et hic: *Ego sum IESVS, quem tu persequeris.* Hic oculis captus, at non mente; corpore cæcus, at animo perspicax. Hoc nimirum Fidem hausit; à qua quid deinde, ex illius verbis accipe.

Domine, inquit, *quid me vis facere?* En ut ad omnia promptus, ut expeditus in obsequium Fidei; nihil operosum, arduum nihil; in ferrum, in ignes, in mortem ibit. Urgebat nimirum quæ intus latebat Fides, tanquam *fomes bonorum operum*, ut proinde meritò dixerit Clemens Alexandrinus:

Fides est brevis & compendiosa eorum, quæ urgent, cogitatio. 7. Strom. c. 1.

Compendiosa, inquit, quia in ea veluti compendio quodam continentur ea, quæ ab aliis virtutibus sparsim suggeruntur.

Ingerit fortitudo magnanimum illud, Spernenda pericula, spernendam etiam per vulnera mortem: & hoc ipsum Fides suggerit.

Suggerit patientia, Injurias, probra, calumnias contemnendas esse, & eo loco habendas, quo habuit ipse Christus; qui sustinuit Crucem confusione contempta: Et hoc idem suggerit Fides.

Impellit Caritas & animorum zelus, ut eas per avia, per invia quærat Apostolicus venator: Et illud quoque proponit *Fides, brevis utique & compendiosa eorum, quæ urgent, cogitatio*, quam proinde hic Apostolis inprimis commendatam voluit Christus.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* v. 2.

QVÆ SINT ILLÆ MANSIONES? Et cur hic earum meminerit CHRISTUS?

Quæ mansiones?



BI Discipulorum animos altiore fide erexit CHRISTUS, tum spe nova excitat; & hoc quidem objecta specie mansionum, quæ Beatis paratæ sunt in domo Æterni Patris.

I. Sententia. Quæ sint illæ quæris? Nonnullis placet alia atque alia Sanctorum habitacula; & hoc quidem, partim ex isto Christi oraculo, partim ex objecta cuidam militi Paradisi imagine: hujus anima corpore libera, ac soluta spectavit veluti prata virentia

L. 4 Dialog. c. 36. miræ amœnitatis, in quibus *albatorum hominum conventicula*, atque ut ait D. Gregorius, *Mansiones diversorum singulæ, magnitudine lucis plenæ.* Albati illi, cœlites sunt & beati, qui *dealbaverunt stolas suas*, id est animas, *in sanguine Agni.* His ex D. Gregorii mente suæ in Empyreo mansiones, sua palatia, qualia scilicet decent magnos Cœli Principes; sed adhuc illud sub lite est & dubio: magis probatur aliis quod extra litem & dubium.

Mansiones illas multas, esse varios in Cœlo beatitudinis & gloriæ gradus atque ordines, sic ut suus cuique in Cœlis locus, sua sit beatitudo, sua gloria; & quidem dispar pro dispare merito. Et hoc Fidei dogma, quod redarguit Joviniani hæresim atque errorem, qui ut pares censebat esse in terris virtutes; ita paria in Cœlis præmia: cujus dogmatis falsitas vel ex hoc Christi oraculo arguitur atque damnatur; ut enim disertè D. Augustinus: *Mansionem pro suo quisque accepturus est merito.* Et quamvis *denarius* videatur *æqualis*, id est, *vita æterna, quod æternitatem*; erit tamen inæqualis, quia *diversa meritorum dignitates.* II. Sententia.

Venio

Cur propositæ mansiones illæ? Venio ad aliud caput propositæ initio quæstionis; Cur scilicet cælestium mansionum hic meminerit Salvator Optimus? Aliæ atque aliæ succurrunt rationes.

I. Ratio. Serm. 2. de verb. Isaya. Fuit olim hoc D. Bernardi votum: *Utinam nihil vidisset unquam oculus meus, si illa (quod avertat Deus) frustrandus est visione*; utique beata, qua privantur plerique mortalium, quia unà cum oculis affectum demittunt ad ea, quæ in terris turpiter oblectant, turpius retinent, turpissimè perdunt: quibus evenit in æternitate, quod olim Loth in tempore.

Gen. c. 13. Hic *elevatis oculis vidit omnem circa regionem Iordanis*, nempè Sodomam, & Gomorram: & tam hujus, quàm illius amœnitate ita captus est, ut eam sibi sedem delegerit; sed malo suo: dum enim flores legit, incidit in vepres; dum quærit irrigua, incendia invenit: ita nimirum cum oculis præceps quoque ruit affectus. Ne porrò sic in Apostolis rueret, ne caperentur illi amœnitate rerum terrenarum, alius erigi vult ad cœlestes; ut harum aspectu, desiderio, ac spe illas prætenrent.

Hom. 8. de Pænit. Ita præterire docuit Orator aureus in ea, quam censuit esse maximam oculorum affectuumque, illecebra. Sic enim olim è pulpito ad populum:

Tu verò cùm mulierem videris formosam, splendentem oculis, ornatam stola, libidine titillantem, desiderantem visum, respice desuper stantem coronam, quo tale spectaculum prateres. Quod D. Chrysostomus de hoc spectaculo; hoc ego de aliis pronuntiatum velim.

In oculos affectusque incurrit argenti candor, auri fulgor, gemmarum lux & pretium, & si quæ aliæ vel è terræ visceribus, vel è maris abysso eruuntur opes: *Respice desuper stantem coronam, quo tale spectaculum prateres.*

Voluptatem allicit, amorem sibi conciliat, & rapit oculos, Regum purpura, diademata, fasces, imperia: *Respice desuper stantem coronam, quo tale spectaculum prateres.*

Ad se vocat voluptas blanda, mollicula caro, mensæ opiparæ, tripudia, lecti, aliave, seu gulæ, seu sensuum oblectamenta: *Respice desuper stantem coronam, quo tale spectaculum prateres.*

Et verò quidni prætereas? Cœlestis quippè corona vel oculis hausta fidelibus, vel animo memori, ac spe certa, omnes hujus sæculi coronas vincit; sint laureæ, sint aureæ, sint gemmeæ, parum interest; has omnes una vincit, imò & leve facit quidquid pro illa acquirenda superandum.

II. Ratio. Recurrant animo quadraginta Martyres, martia pectora, invicti Christi pugiles, qui Licinio Imperatore, Agricolao Præside ad Sebastem Armeniæ urbem extrema quæque, ipsamque mortem generosè passi: Primùm enim in horribilem carcerem detrusi, deinde ora lapidibus contusa, denique hyemis tempore, aurâ perfrigida, nudi sub nudo jove pernoctare jussi, ut frigore congelati necarentur. Tormentum immane, crudele spectaculum! at illud levi pede, generoso animo prætereunt, vel uno coronæ pendentis aspectu. His enim una ad Deum erat oratio:

Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item Domine corona donemur.

Nec irrita fuêre vota: cùm enim ex illis unus tormentorum vi ac frigoris acerbitate victus defecisset, & in proximum balneum tepefactum desiluisset: Janitor, qui tum fortè vigilabat, cùm vidisset lapsos è Cœlos Angelos coronas triginta novem militibus distribuere; sic ipse secum: *Quadraginta hi sunt; quadragesimi corona ubi est?*

Hæc dum animo, dum voce jactat, videt ex illis unum abisse frigore victum, & detractis illicò vestibus, excitatis custodibus, & se Christianum profitetur, & martyribus adjungit, donandus utique quadragesima corona.

Ecce ut etiam hic valet illud D. Chrysostomi: *Respice desuper stantem coronam, quo tale spectaculum prateres.* Spectaculum, inquam, triste, acerbum, horribile: quod præterit, qui illud pede levi pertransit ac superat. Ita pertransiit, ita superavit noster hic janitor, vel uno coronæ imminentis aspectu.

Ita pertranseunt, ita superant alii, qui *dum aspiciunt pramium, nec labores timent, nec pericula perhorrescunt*, inquit S. Cromatius Aquilensis Præsul. Con. 1. in c. 5. Mat.

Attendunt nimirum illud Pauli: *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostra supra modum in sublimitate æternum gloria pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, qua videntur, sed qua non videntur.* 2 Cor. 4.

At quomodo, inquies, levis? Quomodo momentanea? *Ænigma est quod dicitur*, ait Chrysostomus. Quomodo enim levis tribulatio? Quomodo leves cruciatus, equulei, catastæ, cruces, ignes, rotæ? Quomodo momentaneæ tribulationes, quæ ad annos durant, quæ ævum occupant, quæ non finiuntur nisi cum vita, & quidem extorta per extrema supplicia? Hom. 8. de Pænit.

Respondebit Gentium Doctor, leves sunt & momentaneæ, *non contemplantibus, qua videntur; sed qua non videntur*: Si quis oculo corporis eas spectet, omninò graves, & quàm longissimæ videbuntur: at si oculo mentis, hoc est fidei, quæ cœlestia spectat & invisibilia; leves, & momentaneæ. Has enim & videri & esse facit præmii magnitudo, cujus causa id evenit Martyribus & bonis mentibus quod olim Jacobo.

Servivit ille labore multo, sudore multo Laban Syro: servivit, inquam, annis omninò quatuordecim ob dilectam Rachelem: & hi *videbantur illi pauci dies ob amoris magnitudinem*; vel ut ait D. Gregorius Nazianzenus, *quia rei expetita fruebatur aspectu*. Gen. c. 28. Orat. in Mar.

Sic & Sancti, magnæ illæ mentes, & cœlestis beatitudinis candidati, vel hujus solius conspectu levia ducunt omnia & momentanea: quia nimitum, ut inquit D. Chrysostomus, *Deus illis ostendit bravium, & sic desudantes solatur.* Supra.

Ita solatus est Apostolos, ad quos sic olim: *In domo Patris mei mansiones multa sunt*; quasi diceret, extorres, exules, & à patriis pulsi sedibus vagi eritis, à sacris & aris ad metalla damnati; sed etiam in his vel eò vos solamini, quòd *in domo Patris mei mansiones multa sunt*. In ergastula & tetros carceres ibitis, sine luce, sine Sole hoc aspectabili: at ex iis mentis oculos erigite, & spectate, quod *in domo Patris mei mansiones multa sunt*; & eæ quidem amœna, ac cœlesti luce perfusæ.

Sic, ô Philippe, in vincula trahêris & carceres, flagris cædêris ac loris, ac denique à talis vinctus in sublime pendebis præceps: at etiam ex his Cœlos suspice; & vide quòd *in domo Patris mei mansiones multa sint*.

Sic & tu, ô Jacobe, è Templi pinnaculo mittêris in præceps, tum lapidibus & saxis, ceu grandine petêris; tum immani fuste percussus cum cerebro animam effundes: at in hoc quoque attende, quòd *in domo Patris mei mansiones multa sint*, & quod in eas abit anima hoc corpore, ceu carcere, soluta. Et hæc Apostolis injecta spes, & Sanctis omnibus,

DE

DE SACRA AC SOLEMNI CHRISTI ASCENSIONE.



HOc ipso die, qui CHRISTO in Cœlis ascendenti sacer ac solemnis erat, D. Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo sese visendos dederunt è Cœli Regia delapsi in terras Cherubini ac Seraphini, & cœlesti quadam voce atque urbanitate invitarunt ut ad Superos ascenderet & ipse, unáque cum ipsis totáque cœlestium Geniorum curia festum assumpti in Cœlos Salvatoris celebraret.

Surius 19. Maii.

Videri poterat ea invitatio & tempori accomoda, & pio Præsuli grata. Et certè re etiam ipsa talis erat; & qui eam usurpasset auribus, credidisset omninò futurum ut annueret S. Præsul. At secùs accidit; nam & Cherubinis & Seraphinis impensè gratias egit; & excusationis locò addidit unum illud; quòd sacra Ascensionis luce & verba ad populum de more facere deberet, & edocere quæ via ad Cœlum esset; neque Pastori decorum fore, ut oves deserat, ut Divini Verbi pabulum subtrahat. Ubi porrò dederit illud, tum opportunam magis ad Superos Deumque viam affuturam.

Excusationem admisère cœlestes nuntii, & moram aliquam in terris concessère; sed brevem: addiderunt enim ut in diem Sabbatum proximè sequentem expeditus esset ad iter in Domum beatæ Æternitatis: quod & factum est quàm optimè; nam & illo ipso Sabbato cum mortalibus esse desiit Dunstanus, & immortalibus est additus.

Si nobis eadem à Superis gratia, idem favor offerretur; nemo (ut equidem opinor) nemo esset unus omnium, qui non illicò annueret, non deponeret hanc mortalem sarcinam, nôn terris diceret æternùm vale, non tali nuntio lætum Ave. Eæ quippè sunt in illa beatitate, in Dei domo illecebræ, quæ moras omnes abrumpant, & hinc, quàm citissimè licebit, avocent.

Et certè avocassent etiam Dunstanum, nisi in terris ipsis & Dei gloria, & animarum bonum tantisper retinuisset. Dum etiam illud nos retinet, animo saltem, piisque desideriis in Cœlos ascendamus: Utque sic ascendamus, pauca subjiciam tum è SS. Patribus, Angelicóque ac Seraphico Doctore; tum ex ipso Evangelii textu, & Dominicæ Ascensionis circumstantiis; tum denique ex illius causis ac rationibus, quas, sacri Interpretes & Doctores jam Cœlis additi, mihi suggesserint. Eas oculo & favore dignaberis, benevole Lector.

EX D. THOMA.

Act. c. 1. AD Apostolos sic olim Angelus: *Quid admiramini aspicientes in cœlum?* Erant enim Apostoli:

Serm. in festo Ascens. Primò, *Stupentes* de Ascensione Domini in ea gloria ac virtute: Et sanè quidni stuperent, cùm & ipsi cœlestes Genii stupentes exclament: *Quis est iste, qui ascendit?* *Isai. c. 43.*

Secundò, *Dolentes* de discessione Domini, Magistri, Consolatoris, Patris optimi.

Tertiò, *Timentes* de mundi persecutione; audieraut enim illud, altéque admiserant: *In mundo pressuram habebitis.* *Ioan. 16.*

Quartò, *Confidentes*, de promissione: *Vado ad Patrem, & venio ad vos*; per Spiritus sancti missionem.

Addit deinde modum Ascensionis: 1. Videntibus Apostolis. 2. Media nube, quæ illum excepit. 3. Elevatis manibus. 4. Comitantibus Angelis.

Sic & veniet, sic descendet aliquando: 1. Videntibus tam justis, quàm injustis. 2. In nube, ceu throno gloriæ ac majestatis. 3. Elevatis manibus ad percutiendum peccatores. 4. Astantibus Angelis, ceu Divinæ Justitiæ ministris, qui insignia præferent Passionis. Et hæc ex D. Thoma.

EX

EX D. BONAVENTURA.

DIvus Bonaventura de hac sacra Christi Ascendentis solemnitate, quatuor omninò conciones posteris reliquit; easque è diverso argumento, diversoque themate petit.

Iob. c. 39. Primam ex illo Prophetæ Iob: *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum?*

Aquila est CHRISTUS:

Serm. 1. Primò, *Propter sanctissimam Communionem*; ut enim
Iob. c. 39. *pulli aquilæ lambunt sanguinem: sic lambũt fideles sanguinem*
Matth. c. 26. *de calice.* hos ita invitante Christo: *Bibite ex hoc omnes.*

Psalm. 102 Secundò, *Propter gloriosissimam Resurrectionem*; de hac ita præsago spiritu Propheta Regius: *Renovabitur ut Aquilæ juventus tua.* Ita renovatus est Christus:, ita renovabuntur aliquando Fideles, dum antiquas miseriarum plumas projicient, & agilitatis dote novas induent. Ita renovantur & hic bonæ mentes, dum instar Aquilæ uncum rostri, id est, detractiones, mendacia, perjuria ad duram pœnitentiæ petram allidunt ac decutiunt.

Tertiò, *Propter subtilissimam Ascensionem*; in hac elevatur Christus super omnes Angelorum choros, & nidum, id est sedem, habet ad dexteram Majestatis in Excelsis; ad quæ etiam nos invitat, *sicut Aquila*
Deuter. c. 32. *provocans pullos suos.* Discant *pulli altè volare pennis virtutum:* Quæ sint illæ quæris? *Alæ quibus volandum est, sunt charitas Dei, & proximi*, inquit D. Augustinus.

His subnixa mens bona primùm evadit insidias draconis septem capita habentis, id est dæmonis septem capitalibus vitiis armati: sic evasit mulier illa,
Apoc. c. 12. cui *datæ sunt duæ alæ Aquilæ magnæ*; deinde & alta cœlorum conscendit æterna donandus beatitate.

Quartò, *Propter limpidissimam Cognitionem*; Ut enim
Supra. Aquila acutissimè videt: *De longè oculi ejus prospiciunt*, inquit Iobus: sic & Christus: *Omnia* quippè *nuda,*
Heb. c. 4. *& aperta sunt oculis ejus.* In tenebris es & profunda nocte, videt te; in angulo lates, videt te; intus aliquid evolvis secreta & tacita cogitatione, videt te: Væ tibi si malum videt.

Apoc. c. 8. *Audivi*, inquiebat Christi scriba, *vocem Aquilæ volantis per medium cæli, dicentis magna voce, Væ. Væ*, inquam, *pro peccato cordis; Væ pro peccato oris; Væ pro peccato operis; Væ in mortis extremo; Væ in judicio, Væ in inferno.* Et hæc paucis è concione prima.

Secunda, hoc sibi thema proposuit: *Hic IESVS*
Act. c. 1. *qui assumptus est à vobis in Cælum*; quod ut explicet, ait eo modo venturum è Cœlo Christum, quo in
Serm. 2. Cœlum ivit.

Psal. 40. Primò enim ivit *in voce tubæ: Ascendit Deus in jubilo,*
Ad Thess. c. 4. inquit Psaltes: sic & veniet: *In tuba Dei descendet de Cælo. Tubâ utimur & in bellis, & in festis*: sic & in judicio, quia electis solemnitas æterna; reprobis bellum æternum indicitur.

Secundò, *In nube ivit. Nubes* quippè *eum suscepit*:
Actor. c. 1. ita ad judicium revertetur in nube. *Videbunt* enim *Filium hominis venientem in nubibus cæli*: quia *ut nubes protegit ab æstu Solis; sic & bonos ab ardore judicii obumbrat: ita boni in obumbratione, mali erunt in ardore.* quippè *Dominus in judicio proteget bonos, & uret malos.*

Tertiò; Ivit *in comitatu turbæ. Currus Dei ascendentis*, id est Angelorum exercitus, *decem millibus multiplex*,
Psal. 67. inquiebat Vates: *Currus*, inquam, *non necessitatis, sed*
Ep. Iudæ. *dignitatis; sic & veniet in Sanctis millibus facere judicium.*

Quartò, Ivit *data priùs benedictione. Elevatis* quippè *manibus benedixit eis*: sic & veniet ad judicium cum benedictione. *Matth. c. 25.*

Hinc blandum illud: *Venite benedicti Patris mei.* Erit illis optimè *super quos levabit dexteram ad benedicendum*; at pessimè his *super quos elevabit sinistram ad percutiendum* Et ista breviter de secunda concione.

In tertia hoc assumpsit thema: *Homo quidam nobilis*, id est Christus; nobilis in Virginitate parientis, *Luc. c. 19.* nobilis in Divinitate nascentis: *Abiit in regionem longinquam*; patriæ videlicet cœlestis: *Accipere sibi Regnum*; Regnum gloriæ ac beatitatis, quod omnes aliquando de manu ejus accipiant: *Et reverti*; scilicet ad Judicium.

Abiit ergo: primò, *Ad Regnum accipiendum.* *Serm. 3.*

Secundò, *Ad hospitium disponendum.* Hinc illud ad Discipulos: *Vado parare vobis locum*; & verò paravit, quia *placavit Patris offensam, mundavit nostram conscientiam, & aperuit Cæli januam.*

Tertiò, Abiit *ad Spiritum Sanctum emittendum.*

Inde etiam istud: *Si non abiero, Paraclitus non veniet* *Ioan. c. 16.* *ad vos*; ac si diceret: *Nisi dederitis quod amatis, non habebitis quod desideratis; date, & dabitur vobis.*

Gratum quoddam commercium inter cælum & terram existit celebratum; ut illis daretur Caro Christi, istis consolatio Spiritus Sancti: esset in terra Spiritus, & Caro in Cælis.

Quartò denique Abiit *ad desiderium accendendum.* *Cap. 5.* Hinc illud Canticorum ad Sponsam: *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum.* Abiit in Cœlum ut ardentiùs quæreretur in terra. Ita nimirum occultat se Deus amoris æstu ac consilio, ut ardentiùs quæratur: Et hæc de tertia concione, brevi compendio.

Quarta, explicat illud Psalmistæ: *Ascendit Deus* *Psalm. 46.* *in jubilatione*; docetque, Scriptura teste, alios atque alios ascendere.

Primò, *Ascendit Deus*; & hoc quidem: 1. *In* *Serm. 4.*
Passione, de qua sic ipse: *Ascendam in palmam*, id est, *Cant. c. 7.*
Crucem. 2. *In Resurrectione. Ascendit super occasum*, *Psal. 67.*
id est super mortem. 3. *In Ascensione. Ascendit super* *Psal. 17.*
Cherubim.

Secundò, *Ascendit Angelus.* Ita Iacob vidit Angelos *Gen. c. 28.* Dei ascendentes per scalam. Nimirum *Angeli ascendunt, ea, quæ nostra sunt, ad Deum offerentes, descendunt autem, ea, quæ Dei sunt, ad nos afferentes.*

Tertiò, *Ascendit homo*, & anima sancta, de qua admirabundi exclamant cœlestes Genii: *Quæ est ista* *Cant. c. 8.* *quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* Ascendit, inquam, vel *scala*, cujus *duo ligna sunt amor Dei & proximi; gradus cæteræ virtutes*: vel *curru* igneo Divini amoris, instar alterius Eliæ, qui in curru igneo ascendit; De *4. Reg. c. 2.* illo sic quæsivit olim Psalmista: *Quis ascendet in montem Domini?* Respondet: *Innocens manibus*: Ecce *prima rota. Et mundo corde*: Ecce *secunda. Qui non accepit in vano animam suam*: Ecce *tertia. Nec juravit in dolo proximo suo*: Ecce *quarta.*

Quartò, *Ascendit diabolus*, qui hæc olim jactavit insolentiùs: *In Cælum conscendam.* Sic ascendunt etiam *Isai. c. 14.* impii: *Ascendunt*, inquam, *usque ad Cælos* per ambitionem in mundo; *& descendunt usque ad abyssos* per damnationem in inferno. Et hæc D. Bonaventura.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA.

Ad illa verba: *Et Dominus quidem IESVS postquam locutus est eis, assumptus est in Cœlum, & sedet à dextris* DEI. Marc. cap. 16. verſ. 19.

QVÆ POTISSIMÆ SINT DOMINICÆ Aſcenſionis Circumſtantiæ?



VIsum eſt ab his initium dandum huic ſacræ diſceptationi, quia in iis multa ſunt, quæ ad hiſtoriæ fidem faciunt, & Lectori benevolo grata accident.

In circumſtantiis autem cenſeri poſſunt ac debent.

Primùm dies & hora; tum etiam locus; tum modus ac ratio Aſcenſionis; tum denique illius ſeu comites, ſeu etiam teſtes.

I. Circumſtā-tia Dies. Ad diem quod attinet, D. Chryſoſtomus cenſuit fuiſſe Sabbatum. In eam opinionem ducitur ex illo loco D. Lucæ, quo ait Apoſtolos in die Aſcenſionis reverſos ex Oliveti monte, qui eſt juxta Jeruſalem, *Sabbati habens iter.* (Act. c. 1.) Vult eò loci Evangeliſtam meminiſſe Sabbati, ut innueret eo die Chriſtum in Cœlos aſcendiſſe.

Verùm, bonâ tanti Præſulis veniâ, non ea de cauſa Sabbati mentionem fecit; ſed alia prorſus: ut ſcilicet indicaret quantùm ipſe mons Oliveti Jeroſolymis diſtaret; itinere ſcilicet Sabbati, hoc eſt brevi, & eo, quod ipſo die Sabbati Judæis inſtituere licitum erat.

Igitur ut à D. Chryſoſtomo diſcedamus, & ad alios propè omnes accedamus, dicimus diem Dominicæ Aſcenſionis fuiſſe feriam quintam, qui vulgò, & apud profanos dies Jovis appellatur.

Fuit hic multis nominibus ac beneficiis celebris. In hoc quippè Sacro-ſanctam Euchariſtiam inſtituit, ut nobiſcum maneret in ſæcula ad uſque ultimam eorum periodum: in hoc etiam à nobis diſceſſit, ut terras, ceu exilii locum, relinqueret, & Cœlum, ceu patrias ſedes, reviſeret: & quia hoc myſterio conſecrata dies Jovis, hinc etiam in primitiva Eccleſia ſolemnis fuit ac feſtiva; ut ſicuti Dominica Reſurrectioni celebrandæ ſerviebat; ſic & Aſcenſioni, ſacro ritu ac quiete feria quinta deſerviret: Tenuit ea cultus ratio ad multos annos: (Durand. in Ration. l. 4. c. 6.) At quia lapſu temporis acceſſêre multi alii feſtivi dies, Eccleſiæ, ceu bonæ Matris, conſilio ſublata feriæ quintæ feſtiva ſolemnitas: non tamen à fidelium mentibus ejus diei grata memoria. Et hæc de die.

II. Hora. Hora fuit meridiana: Quæ enim potiùs? Primus Adam ſub meridiem è Paradiſo Terreſtri ejectus, viam poſteris omnibus excluſit: Secundus Adam Chriſtus etiam ſub meridiem cœleſtem Paradiſum, & Empyrei Cœli regiam ingreſſus, & viam hominibus monſtravit, & aditum aperuit.

Sol erat Chriſtus aſpectabili hoc Sole lucidior, qui proinde ſicuti hic in meridiè altiùs aſcendit, lucet clariùs, ardet & inflammat vehementiùs: ſic & ille è ſummo Cœlorum vertice mortalium mentibus illapſus, eas & luce perfudit meliore, & igne ſuccendit diviniore.

Et hoc ipſum eſt quod & longè ante ſagaci mente prævidit Propheta Regius, ac prædixit, cùm ait: (Pſal. 54. v. 19.) *Veſperè, & manè, & meridie narrabo, & annuntiabo.*

Veſperè, inquam, hoc eſt in Cruce ſub occaſum vitæ, Salvatoris enarrabo patientiam. *Manè*, id eſt in Reſurrectione annuntiabo vitam reſurgentis; & *Meridiè* gloriam prædicabo aſcendentis: Et iſta paucis de hora.

III. Locus. Alia circumſtantia eſt locus, & is quidem mons Oliveti multis nominibus celebris: Primùm enim à Chriſto orationis causâ frequentari ſolitus: Deinde in agonia ejus ſanguineo ſudore perfuſus: Tum ejus in cœlos Aſcenſione ſacratus: Tum etiam in quo Antichriſto moriente ſatan caſurus: (Rabanus.) Tum denique in quem extremo Judicii die reverſurus ultimam in mortales omnes dicturus ſententiam: quem dum timidi ac trementes expectamus, adoremus eum *in loco ubi ſteterunt pedes ejus*, (Pſal. 131.) ubi ſacra duro lapidi impreſſit veſtigia, vel ad perennem tanti myſterii memoriam, vel ad fidelium excitandam devotionem; (D. Hieron.) ut iiſdem ſcilicet inſiſtentes Chriſti veſtigiis, hoc eſt ſeduli virtutum illius æmulatores, in cœlos & ipſi aliquando conſcendant: Et iſta de loco.

IV. Nubes. Pauca ſubjiciamus de nube, quæ aſcendentem excepit: Verane nubes?

D. Ambroſius Lorino interprete, videtur velle per eam nubem intelligi Patrem Æternum, qui occurſu quodam pietatis, aſcendentem Filium gremio (in Actor. c. 1 v. 9. in fine.) molliore complexus ſit; & nubis nomine, refrigerium quo ejus foverit vulnera Paſſionis, & obumbraverit virtute Divinitatis. Nimirum ea ratio eſt Divinæ Providentiæ, ut quos poſt exceptas injurias, toleratos labores, ipſamque per vulnera mortem, perducit ad requiem, eos quoque protegat nubis umbraculo.

Ita quondam filios Iſraël ab Ægypto liberatos nubis columnâ protexit. (Exod. c. 13.)

Et ita Filium longè amantiſſimum poſt immania probra, poſt ſudores, dolores, vulnera, mortemque ipſam excepit amica, amœna, cœleſti nube, id eſt refrigerio beatitatis.

Sed hæc ut aliquo ſenſu vera ſint; minus tamen conſona litteræ & ipſis Scripturæ verbis.

Cajetanus aliò calamum ducit: licèt enim & ipſe ſentiat non fuiſſe nubem; ait tamen fuiſſe ſplendorem aliquem è glorioſo Chriſti corpore ejaculatum, & circumquaque diffuſum; qui oculis quidem nubem referret ſolaribus radiis illuſtrem, ac perfuſam; ex vero tamen nubes non eſſet.

Contra pugnant Interpretes alii, & ipſa Scripturæ ſacræ authoritas, quæ veram nubem fuiſſe convincere videtur.

At cur, inquies, nubes? Reſpondent paſſim Doctores, ut index eſſet Divinæ Majeſtatis: Ut enim diſertè Aretas: *Semper nubes miniſtra eſt Divini in rebus, illuq; familiaris eſt.*

Ita cùm in montem aſcendit Moyſes, & cum Deo ſuo ad familiare colloquium per dies omninò quadraginta admiſſus eſt: *Operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus.* (Exod. c. 24.)

Ita

Num. c. 9. Ita *die, qua erectum est tabernaculum operuit illud nubes;* Erat hæc non tantùm indea latentis in eo Divinæ Majestatis; verùm etiam docebat quando erigenda tentoria ad quietem, quando deponenda ad iter instituendum. Si enim staret supra tabernaculum nubes, innuebat eodem in loco consistendum, figendáque ibidem tentoria; at si tabernaculum reliquisset, & tentoria refigenda, & via erat incunda. Ecce ut Divini Imperii nubes erat quasi administra.

Ita denique (ne omnia consecter) de throno
Eccl. c. 24. suo pronuntiavit aliquando Dominus: *Thronus meus in columna nubis.*

Sic & Christo ea nubes quasi thronus fuit, aut quasi regale vehiculum, aut sella quædam gestatoria, non quod ascendenti adminiculo esset (hoc enim non egebat) sed splendori atque ornamento.

An autem ea nubes ex aërea regione delapsa sit in terras ad usque pedes Salvatoris, eísque quodammodo substrata, ut vult Abulensis.

An verò remotiorem à terra exceperit, eumque paulatim mortalibus oculis subduxerit, adhuc est in controversia: in qua postremum magis placet, quia Scripturæ sacræ conformius; hac enim teste: *Nubes*
Act. c. 1. *suscepit eum ab oculis eorum.*

Ita nimirum sensim attolli visus est JESUS, usque dum altiùs in aëream regionem elatus, Discipulorum oculis ereptus est, & tum incredibili celeritate in Cœlos evasit, eosque pervasit ac penetravit; aut Divinitatis virtute, aut dote subtilitatis quæ corpori jam glorioso conveniebat.

Incredibili dico celeritate, ob incredibile intervallum, quod terram inter, atque Empyreum intercedit.

Si enim verum est quod Salmerone teste scribit Alpharabius Arabs Astrogus, eam esse distantiam à terra ad octavam Cœli sphœram, ut homo iret faciens via octo annorum millibus eam superaret; quo sæculorum lapsu eam superabit, quæ est à terra ad Empyreum usque? Hoc enim vel maximè distat, & à Firmamento, & ab octava Cœli sphœra. Et tamen & hanc, & illa celerrimè brevissimóque tempore pervasit Christus, adeóque velocitate planè inexplicabili.

V. Comitatus. Venio ad testes & comites Dominicæ Ascensionis. Illi ad montem usque Oliveti; hi etiam in Cœli Regiam sunt secuti.

Finito prandio, quod veteres hora sexta, seu meridiana sumebant, Hierosolymis suos eduxit Servator optimus, non Apostolos tantùm; sed &
Act. 1. v. 15. Discipulos longè plurimos: Fuerunt autem Scriptura teste ferè centum viginti. Hos omnes alto jam Sole & pleno die per mediam Civitatem eduxit, nullo vel obstrepente ex habitatoribus; sed Divino quodam stupore defixis, aut ne cernentibus quidem; ut placet D. Bernardino: ut enim seipse miraculo, & vi altiore Judæorum oculis subtraxit Christus, sic ut invisibilis per medium illorum iret; ita & se & Discipulos suos omnes eò loci ac temporis invisibiles reddere potuit, ut Ascensionis suæ testes tantùm haberet præordinatos à Deo.

Et hi quidem fuêre testes, quos terra dedit, & adhuc retinuit: alios autem vel inferi dedêre, vel superi. Inferi quidem innumeras propè animas, quas per tot retrò sæcula vel Lymbus clauserat, vel Purgatorium retinuerat noxis suis expiandas: Superi verò Angelicas copias patentibus Cœlis emissas in occursum ascendentis Christi.

Si enim id officii & honoris cœlestes illi Genii Christo nascenti etiam in stabulo reddidêre, quidni & potiori jure ad Cœlos unde venerat ascendenti?

An verò beati illius Spiritus vel in assumpto in scenam illam corpore, vel alio modo in Apostolorum ac Discipulorum oculos venerint, quæri potest, & verisimilius affirmari.

His stipatus, triumphantis in morem ascendit super omnes cœlos, vel æthereos, ut nonnulli volunt, vel absolutè super omnes, adeóque etiam Empyreum, ut alii contendunt; est enim in hoc aliqua opinionum inter se pugna. Ephes. c. 4.

Sunt qui credunt ascendisse quidem super omnes Cœlos æthereos Astrologis vulgò cognitos, & ex illis in Empyrei Regiam, & summo illius loco quasi thronum collocasse: intra illud tamen, non suprà, aut extrà: absurdum enim censent gloriosum Christi Corpus in illo inani & vacuo, hoc est in nihilo ponere. VI. Terminus ad quem.

Alii ex hoc D. Pauli loco censent Christum etiam supra Empyreum ascendisse, illique eminere, adeóque esse in illo inani & vacuo vel toto corpore, vel potissima illius parte, ita scilicet ut pedibus suis insistat convexæ superficiei Cœli Empyrei, & reliquo corpore supereemineat. Ita D. Anselmus, Chrysostomus, Thomas; quos sequitur Paludanus, Caietanus, Suarez; ut scilicet sit super omnia, & tanquam Universi Dominus, ac Judex emineat Universo, & super illud etiam in spatiis illis vacuis & imaginariis gloriam suam ac Dominium ostendat. Et hoc, aiunt, dandum fuisse insigni illius demissioni, ut scilicet, qui infra terram descendit; super omnes cœlos, adeóque super omnia ascendat.

Superest ut pauca subjiciamus de situ gloriosi Corporis Christi. Quis nimirum sit ille: Stétne, an sedeat? An modò stet, modò sedeat? Tam hoc, quàm illud expressit Scriptura. VII. Situs Corporis Christi in Cœlo.

Stantem enim vidit S. Stephanus: Sic enim in agone suo inter saxa, vulnera, mortisque confinia: *Video IESVM stantem à dextris virtutis DEI.* Act. c. 7. v. 6.

Sedentem autem prædicavit D. Paulus, qui sic de illo: *Sedet ad dexteram Majestatis in Excelsis.* Ad Heb. c. 8. v. 25.

D. Ambrosius, ut huic quæstioni faciat satis, ait hæc dici: *Vt modò ejus Omnipotentia, modò misericordia describatur. Nam utique pro potestate Regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ita Iudex est Christus cùm residet, Advocatus cùm assurgit; Iudex planè Iudæis, Advocatus Christianis.* Sic ergo in Cœlo *stat Christus apud Patrem, cùm Christianorum, licèt peccantium, causas exorat; ibidem residet cum Patre, cùm Pharisæorum persequentium peccata condemnat. Ibi stat ut suscipiat Stephani Martyris spiritum; ibi residet ut condemnet Iudæ proditoris admissum.* Serm. 60. de fest. Pent.

Hæc D. Ambrosius, in cujus opinione neque propriè stat Christus, neque etiam propriè sedet; sed tam hoc, quàm illud ei affingitur ab effectu aliquo, in quem sese explicat aut miseratio, aut justitia.

Verùm, bonâ tanti Præsulis gratiâ, aliquis in Cœlo situs dandus est glorioso Christi Corpori, uti & beatis aliis aliquando dabitur. Quis ergo ille? Sessiò, an statio? Sessio certè homini competere videtur ob aliquam defatigationem: at statio valentis est ac beati. Igitur potiùs stare dicendus erit Christus quàm sedere. Cur ergo sedere dicitur? Cur deinde ad Patris dexteram? Certè Patri Æterno, utpote spiritui purissimo, neque dextra est, neque sinistra.

Anthropomorphitis hæreticis, qui Deum corporeum fingebant facilis erat explicatio: Tum enim & dextera illi & sinistra; atque ad illam Filius, ad hanc Spiritus Sanctus considere potuit, & Pater eos inter, medius. At Christianis, quibus ex veræ Fidei luce Pater Æternus purè spiritus est, quomodo dextera; & si dextera non est, quomodo ad eam sedere Filius? Hic est nodus quæstionis, quem solvent Sancti Patres. Ubi primùm cum illis supposuero, sedere hîc non propriè accipi: nam hæc exilis esset Christi dignitas, & potiùs in Cœlo stare videtur, quàm sedere. Statio quippè situs est firmitatis, adeóque beatitatis. Igitur illa vocula, sedere, metaphoricè accipienda: At quomodo? In hoc Divi Patres in alias

atque alias funduntur explicationes, quas paucis Lectori benevolo subjiciam.

D. Augustinus de Fide & Symbolo, D. Chrysostomus Homilia prima in symbolum, docent, Christum sedere ad dexteram, idem esse ac habitare in gloria cœlesti: At in hac etiam habitant Beati, adeoque etiam ita sedent ad dexteram Patris. At Christo plus aliquid concedendum.

D. Athanasius contra Arianos putat, sedere, hîc significare æqualem Majestatem Filii cum Patre, scilicet divinam: & hoc quidem ut verissimum sit; tamen quæstioni, quæ est de Christo homine, & cui ut homini tribuitur ea sessio, non satisfacit. Ut igitur planè satisfaciat:

Nota Hebræis dexteram symbolum esse: 1. Virtutis ac potentiæ. 2. Firmitatis ac constantiæ: Hinc dexterâ res apprehendimus. 3. Veritatis, ac fidei: Hujus enim quasi ministra est dextera, & inde veteres per dexteram jurabant; & hæc Hebræis dicebatur *Iamin* à racide *Aman*, huc est, firmare, stabilire, fidelem esse. His ita ex Hebræo more, gentiumque ritu constitutis, illud statuo:

Christum sedere ad dexteram Patris, idem esse ac socium, ac participem: 1. Virtutis, & Omnipotentiæ paternæ. 2. Firmitatis, stabilitatis, æternitatis ejusdem. 3. Veritatis, æquitatis, & fidei. 4. Majestatis ac gloriæ. Christus enim, quà Deus, par est Patri; quà homo, proximus: imò per communicationem idiomatum, ratione Unionis hypostaticæ, omnia attributa, quæ tribuuntur Verbo, tribuuntur & Christo homini.

Igitur ut paucis omnia complectar, ea sessio humanæ naturæ Christi significat: 1. Excellentiam ejus super omnem excellentiam creatam. 2. Summam ejus beatitatem ac gloriam, eique connaturalem vi Unionis hypostaticæ. 3. Summum Dominium ac potestatem, tam ad operandum, quàm imperandum omnibus creaturis, quàm denique ad judicandum de omnibus omninò hominibus.

Et hæc paucis dicta sint de circumstantiis Dominicæ Ascensionis; quibus addo aliqua prodigia, quæ deinceps annis longè consequentibus visa, inter quæ primum illud, quod noctè Ascensioni Dominicæ prævia splenderent faces, quibus universus Oliveti mons lucere, & propemodum ardere videretur; cui succedebat etiam quot annis alterum, videlicet ingens, ac validus venti tum Orientis è cœlo afflatus, qui eo impete in astantes ingruebat, ut omnes humi prosterneret; vel ad loci reverentiam, vel ad diei, qui colebatur, religionem; à qua descendo ad potissimas ejusdem Ascensionis causas, & rationes, pro quibus sit *Beda de Locis sanctis, c. 7.*

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Et Dominus quidem IESVS assumptus est in Cœlum.* vers. 19.

CVR ASSVMPTVS, ET NON RAPTVS? Et quæ causæ illius Assumptionis?



Cur assumptus? SCRIPTURA sacra non ludit in verbis sicut homines solent: non temerè has aut illas voces effundit; sed destinato Cœli consilio, ratione certa, & præfixo sibi scopo, ut etiam ex una vocula Superum leges, & ipsius Omnipotentis decreta, primásque Veritates sub oculos ponat.

Rationes. Et ita hic poni voluit, ubi Christum assumptum dixit, & non raptum: quod acutè notavit D. Ambrosius, cùm discrimen notavit Eliam inter & Christum:

Lib. 7. in Luc. *Ille*, inquit, *rapitur; hic regreditur: ille per turbinem rapitur; iste rapinam non arbitratus est esse se æqualem Deo.*

Elias præter ordinem cursumque naturæ in Paradisum raptus, & turbine quidem, quasi rupto & turbato rerum ordine: at non sic Christus. Nec enim raptò quodammodo Cœlum obtinere, & parem cum æterno Patre digoitatem possidere voluit;

I. Ut doceret quæ ad Cœlos via. sed jure quasi suo, merito suo, labore, sudore, sanguine: his enim quasi gradibus in Cœlum ascendit.

Patriarcha Jacob, typus & figura Christi, vidit olim in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens Cœlum, & evigilans de somno

Gen. c. 28. pavensque exclamavit: *Terribilis est locus iste.* At cur terribilis? Cur metuendus? Subdit illicò, quia *non est hic aliud nisi domus Dei, & porta Cœli.* Ecce formidinis, ecce terroris illius ratio, quia ad Cœli portam non itur nisi per gradus, multo sudore, multo sanguine perfusos; non itur nisi per vulnera & mille mortes: & hinc timor, & error etiam in Jacobo & præcelsis mentibus.

Lib. de fuga in persec. c. 1. *Scala, quam somniat Iacob, ascensum ad superiora demonstrant*, loquit Tertullianus.

Ascensum dico; sed non nisi per gradus: per hos sibi eundum ad gloriam vidit Servator optimus in illo excessu mentis, æstuque orationis, in qua audita hæ voces: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.*

Eò quippè loci ac temporis ante oculos ponebatur scala, cujus gradus probra, calumniæ, enormia accusationum capita, vincula, flagra, spinæ, clavi, crux, lancea, cæteraque instrumenta crudelis lanienæ: hinc evigilanti à somno extatique orationis, terribilis apparuit locus iste; sed non aliud, quàm porta Cœli, quàm aditus ad gloriam & beatitatem: hinc illud annuentis animæ: *Non mea, sed tua voluntas fiat.*

Quod si Servatori ea ad Cœlos scala fuit; & aliis quoque sit necesse. *Si enim oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam;* nonnè & Christianos pati oportebit ut intrent in gloriam alienam? Pati sanè oportebit; & hoc docent latæ Cœlo leges, & sæculorum usu experientiáque firmatæ; hoc & illæ Sanctorum voces testes hujus veritatis.

Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Sit ille *Ioannes Baptista*, quem diligebat JESUS; sit *Petrus, qui claves accepit Regni Cælorum*; sit alius è Discipulis, sit è Martyribus, sit è beata cœlitum corona; necesse est pronuntiet illud: *Transivimus per ignem & aquam, & inde in refrigerium*, ad quod non itur nisi per labores, sudores, dolores, mortem. *Ambrof. ser. 20. in Ps. 118.*

Nimirum gloriam ac beatitatem in sublimi posuit Deus, ut ad eam non ascendatur nisi per patientiæ scalas: & ita ascenderunt beati omnes, qui, ut ait Salvianus, *Ad cœlestis Regia januam gradibus suarum* *Lib. 3. de Gub. Dei.*

pœnarum

pœnarum ascendentes, scalas sibi quodammodo de equuleis catastisq; fecerunt.

Atque ex his prima scala, qua in Cœlum ascendimus: altera est, quam & ipsi erigere possumus ex vitiis passionibúsque nostris, si eas sub pedibus ponamus; ad quod nos ita hortatur D. Augustinus:

Serm. 176. de Temp. *Ipso affectu pariter & profectu ascendamus post Dominum, etiam per vitia & passiones nostras. Si utique unusquisq; nostrûm subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradam constituit quo possit superiora conscendere. Elevabunt nos si fuerint infra nos: de vitiis nostris scalam facimus, si vitia ipsa calcamus.*

II. *Ut animo cum illo ascéderemus.* Et hinc descendo ad causam alteram Dominicæ Assumptionis primæ satis affinem; ea est ut mortales omnes etiam in terra positos in Cœlum elevet; si non corpore, saltem animo, affectuque: in quo facit quod generosior Aquila, quæ super pullos suos volitans, eos ad volandum excitat. Beatus ille qui instar pulli Aquilini sese cùm Christo à terra elevabit; infelix, qui serpentis more genioque terris adhærescet.

Gen. c. 3. Hæc olim Dei in serpentem maledictio: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes.* Væ misello homini, in quem illa cadit serpentis maledictio, qui super pectus suum graditur, humi reptat, terram velut dulcissimum cibum comedit, Cœli obliviscitur, cœlestesque escas fastidit.

Similis ille Caino, cujus genium ex nomine nosces: *Gen. c. 4.* *Caïn* enim idem est ac *possessio*, quia possessionibus terrenis totus inhiavit: Quippè *vir agricola.* vel ut habent Hebræa, *Gomed, Adama, servus terræ*; & inde primus ædificavit civitatem, quam vocavit *Henoch*, id est, *dedicatum*, quòd se totum terræ dedicasset, terrenisque curis mancipasset: quod & faciunt terreni luteique mortales Caino similes.

Secùs omninò homines cœlestes, qui instar *Abelis*, quod *vanitatem* sonat, humana omnia ut vana despiciunt: Cœli amatores sunt, in terra peregrini.

Lib. 2. ep. 5. Is fuit D. Gregorius Pont. Max. qui hæc ingenuè & verè de seipso: *Conabar quotidie extra mundum fieri nihil in hoc mundo appetens, nihil pertimescens: videbar mihi in quodam rerum vertice stare; ita ut illud ferè in me impletum crederem, Sustollam te super altitudines terræ.* *Isai. c. 58.*

Is fuit D. Martinus Turonensis Præsul, qui morti *Surius in ejus vita.* jam proximus hæc ad discipulos: *Sinite ut Cœlum potiùs quàm terram aspiciam*: Nimirum adverso à terrenis vultu ad cœlestia se totum convertebat, & jam oculo signabat viam, quà ad Superos liber animus evolaret.

Is denique, ne omnes consecter, fuit B. Arsenius, qui in cinere & cilicio moriens. Cœlique regiam oculo ac manu ostentans, ita verbulo ad discipulos: *Ibi Ubi*; id est, Ibi sitis cogitatione affectuque, ubi Deus, ubi JESUS, ubi Beatitas: Etsi corpore clausus adhuc in terra sit animus; at amore, desidé- *Henriquez in Liliis Cist. Dist. 3. c. 16.* rio, voto in Cœlos evolet, ibique etiam hîc vivens ac spirans sedem sibi figat, stationem designet: hoc enim urget in Cœlum ascendens Dominus, quem utinam eo oculo aspiceremus, quo aliquando *B. Iuliana.* Ipsa Ascensionis anniversariâ luce, vidit illa Christum in cœlos ascendentem ea qua olim gloria, ac splendore beatitatis, & inde tanto exarsit amoris æstu, ut ipsum propè pectus, cordis sedes, quasi illius minimè retinens, disrumpi videretur. Insuper etiam audita cum Christo loqui, non linguâ, sed corde. Nimirum & sua cordi vox est: sed vox amoris, vox incensæ in Deum caritatis; quâ utinam & loqueremur ipsi, nec inani tantùm vocis sono, quo olim loqui auditæ Virgines stultæ; quibus in alta mortis nocte hæc una ad cœlestem Sponsum vox fuit: *Domine, Domine aperi nobis.* Ad quam illico responsum frigidum, ac durum illud: *Nescio vos.* Nec enim solet Sponsus audire vocem oris, nisi simul appellat vox cordis, vox animi, vox amoris, ut porro tandem appellat, invitat qui è terris in cœlos evadit Dominus: qui etiam aliud urget, imò & liberaliter donat; ut nimirum etiam reipsa cum illo cœlos conscendamus: uti dedit pueris duobus, eorumque didascalo, viro in paucis religioso, cujus meminisse juvabit, vel ad commendationem divinæ bonitatis, atque indulgentiæ, vel ad puerilis simplicitatis, obsequiique, quod Christo impenditur, perennem memoriam, atque invitamentum.

In oppido sanctæ Irenæ innocentes pueri duo, *Nierembergius, l. 1. de Miraculis, c. 13.* quos è Dominici familia primum litterarum rudimentis instruebat Religiosus, *Benedictus* nomine, vir omnino religiosus, solebant jentacula sua quotidiana in templo ipso familiarissimè invicem communicare. Juxta erat ara, in qua inter ulnas Virginis Deiparæ puerulus JESUS extabat eleganti simulacro. Illum pueri invitabant, mira, ac ingenua simplicitate, ut commessationis particeps unà esse vellet; Mirum dictu, visuque, mox adfuit, & comesse visus est JESUS, quod & aliquoties deinde contigit, donec pueri rem totam institutori suo narrarunt, & simul puerili simplicitate, atque innocentia questi sunt, semper solitos se jentacula sua cum eo partiri, nihil autem vicissim apponi à conviva toties, & tam benevolè invitato. Quibus ille, agite inquit, atque inter jentandum sermone nato, uti fit, dicite, consentaneum videri, ut ipse vos, & Magistrum vestrum etiam ad cœnam invitet in domum Æterni Patris. Paruerunt pueri, innocentes animulæ, quibus illico JESUS: Exacto, inquit, triduo apud me vobiscepulum erit. Renuntiant id Magistro, & is animadvertens diem Ascensionis post triduum instare, intellexit sibi, ac pueris eo die migrandum in cœlum esse. Spe illa imbutus celebrat eo die Sacrum, pueri de more ministrant, postéaque genibus flexis ante aram, sublatisque oculis, ac manibus in cœlum, omnes tres placidissimè expirarunt, invitati utique ad cœnam Agni, à quâ beandi, etiam deinceps miraculis in terra claruerunt; ne cui dubium esset in cœlis clarere luce sempiterna.

III. *Ut etiam corpore.*

Silvester Petra sancta Taumasia, Tom. 3. c. 12.

IV. *Ut Cœlum clausum aperiret.* Sed & alterum præstat; Viam ad Superos aperit, Cœli claustra reserat, ut in illa aliquando penetret humanum genus.

Jam retrò lapsa erant tot sæcula, tot mœsti Soles & Lunæ, tot annorum myriades; & è mortalibus nemo unus omnium super astra ascenderat: Quid primùm faceret Dei Sapientia? Quid deinde?

Primùm, *Inclinavit Cælos, & descendit*, cùm *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* *Psal. 17. Ioan. c. 1.*

Deinde eosdem elevavit, cùm sublimis è terra ascendit. Hinc illæ cœlestium geniorum voces: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales.* *Psal. 23.*

Ita Angeli triumphantis Æterni manubias intuentes, quasi eum quem emiserant Cœli portæ capere non possent, majorem viam quærebant aliquam revertenti: adeo nihil exinanitus amiserat. Nimirum debuit novo victori novum iter parari, quia non unus homo, sed totus in omnium Redemptore mundus intrabat, ut scitè advertit D. Am- *Lib. 4. de Fide, c. 1.* brosius, ex quo hæc pauca in rem præsentem notari velim: *Totus in omnium Redemptore mundus intrabat.*

Ingens erat, immane, infinitúmque peccati debitum, quo Divinæ Justitiæ obstrictus erat mundus: Ecce Cœlos subit Redemptor & lytrum defert, offertque Æterno Patri pretium redemptionis nostræ, quo ex æquo fiat satis: & inde cum Redemptore totus mundus Cœlos intrat; intrat, inquam, adepto jam jure, qua Cœli civis factus & incola, qui hactenus exul atque extorris.

Mundus erat veluti vastum quoddam corpus, cujus caput Christus: dum verò caput Cœlos intrat; & intrare dicendum corpus universum, in suo scilicet capite: & hinc ampliora aperiuntur Cœli spatia, & laxantur portæ æternales.

Victor erat Christus, cujus copiæ Ecclesia, Fideles omnes: dum ille Cœlos subit; & hi quoque subire dicendi sunt, in suo scilicet duce ac victore. Et hinc, ut notat D. Hieronymus.

Epist. 17. *Pulchrè levari jubentur Cœli portæ, & in sublime erigi: siquidem, juxta dispensationem carnis, & mysterium & victoriam Crucis, major regreditur ad Cœlos quam venerat.*

Venerat enim infans, & vir regreditur: mortalis venerat ac passibilis; immortalis redit, atque impassibilis: abjectus venerat ac pauperculus; dives redit, atque opulentus spoliis inferorum. Et hinc meritò elevantur portæ æternales, ut & victorem admittant, & copias victrices quas è Lymbo terræque sinu in Cœlos educit, educturus deinde in futuras longè ætates ad usque extrema mundi confinia.

IV. Ut apud Patrem Advocatum ageret. Ideo enim in Superos evadit, ut apud Æternum Patrem pro illis Mediatorem agat, atque Advocatum.

De ejus Virgine Matre Cœlis postmodùm addita pronunnavit aliquando D. Bernardus.

Serm. 1. de Assumpt. *Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater misericordiæ suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia tractabit.*

Quæ ille deinde de Matre; hæc ego potiori jure de Filio, quem Advocatum præmisit peregrinatio nostra.

Hujusce veritatis testem habeo Joannem, qui Christi scriba fuit & à secretis; hæc ille quondam ad Christianos.

Epist. 1. c. 2. *Filioli hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed etsi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem IESVM CHRISTVM Iustum.*

Magna nobis, magna peccatori cum Cœlo lis est: Actor, diabolus; rea, conscientia; Pater Æternus, Iudex; Tribunal, formidabile; sententia semel lata, irrevocabilis, pro qua declinanda plurimum interest quis Advocatum agat. Aget enimverò JESUS CHRISTUS; utque ageret de propinquo Cœli Regiam adivit & Patris Æterni curiam.

In illum locum. *Ibi*, inquit peccatori Augustinus, *habes Advocatum, noli timere ut perdas causam confessionis tuæ. Si enim in hac vita commisit se homo disertæ linguæ, & non timet; committis te Verbo, & periturus es? Clama, Advocatum habemus apud Patrem, qui tot ora habet quot vulnera, quibus causæ tuæ patrocinetur.*

Hæc S. Doctor nervosa, ut solet, ac solerti eloquentia, è quia ista annotabis, quæ ad rem nostram faciunt.

Primùm, quòd Verbum sit, & æternum quidem; quod ideò verbo, & quidem efficacissimè, causam nostram agit: si enim in humano foro multum facit Advocati eloquentia ut judicem moveat, flectatque suas in partes; quantò magis in Divino?

Secundò, quòd Filius sit, qui ad Patrem Orator venit, & semper redit exorator; quòd peccatori, & reo spem addit ac fiduciam, & timorem minuit.

Serm. in Nat. Deip. *Ad Patrem*, inquit D. Bernardus, *verebaris accedere; solo vocis ejus auditu territus fugiebas. IESVM tibi dedit Mediatorem; Quid non apud talem Patrem talis Filius obtineat? Exaudietur utique pro sua reverentia.*

Quidni enim exaudiatur à Patre Filius. Surius in eius vita 26. Feb. Constantinopolim venerat olim S. Porphyrius Gazæ Episcopus, ut ab Imperatore Arcadio peteret impetraretque dirui & solo æquari profana Idolorum fana: res erat magni moliminis, & periculosæ plenum opus aleæ; in qua ingeniosa necessitas id consilii Episcopo suggessit. Natus erat Cæsari Theodosius infans qui fortè iis diebus è sacro Baptismatis fonte ad palatium reportabatur; purpuræ puellulo substratæ libellum supplicem imposuit, veluti ab illo Arcadio offerendum: ea pii Præsulis industria, & nati quasi libellum offerentis specie recreatus Arcadius, eum voti sui compotem fecit, ac benignè dimisit.

Quod si hæc Theodosio Arcadius, si ista illius cunis, si filio tantùm specie-tenus oranti, imò ne oranti quidem indulsit Pater; quid non indulgebit Filio Æternus Pater, qui non ore tantùm, non puerilibus lamentis, non lacrymulis orat; sed rebus jam tum præclarè gestis; sed exantlatis laboribus; sed fuso copioso sudore & sanguine, & decoris, quà in manibus, quà in pedibus, quà in latere, vulneribus, quæ etiam in Cœlos extulit, & corpori altè impressa retinere voluit, ut apud Æternum Patrem accedens Orator *tot ora haberet quot vulnera*.

Poterat enimverò *Dominus IESVS, ea virtute qua surrexit, clavorum & lanceæ penitus extirpare atque explanare vestigia; sed servanda duxit oculis paternis velut nostræ causæ patrocinia*, ut disertè advertit Rupertus Abbas, & ante illum S. Ambrosius melleâ ut aliàs solet eloquentiâ, qua liquidò ostendit Servatorem nostrum per omnia membra sua causæ nostræ patrocinari: Lib. 4. in Ioan.

Ipse, inquit, *Christus ore suo felle & aceto potato, os nostrum est, per quod Patri loquimur, atque iram ejus placamus: corde suo, quod lanceæ transfixum est, cor nostrum est, per quod Patrem amamus: oculi ejus sanguineis lacrymis fluentes, oculi nostri sunt, per quos Patrem videmus: manus ejus clavis confossæ, manus nostræ sunt, per quas nos Patri offerimus: pedes ejus vulnerati, pedes nostri sunt, per quos ut filii prodigi redimus ad patrem ut totus Salvator quantus est, & quidquid in eo est, patrocinetur.* Lib. 1. de Isaac & anima, c. 8.

Qui humanis in litibus in forum veniunt Oratores linguam tantùm explicant, ut eâ clientis sui aut rei causam agant, vitam tueantur ac protegant: at verò Christus Oratorum facilè Princeps cùm in Cœli Regiam ascendit, cùm sedit ad Patris dexteram, non linguam tantùm expedivit; sed & membra reliqua, & corpus impendit universum, ut reo homini veniam impetraret, ac gratiam. Et hæc cæteras inter potissima causa fuit illius in Cœlum Ascensionis.

V. Manifestatio Divinitatis. Venio ad alteram causam, quæ Salvatorem ipsum propriùs attingit: ejus gloriæ servit. Latuerat ille annis omninò triginta tribus, eoque amplius; latuerat, inquam Divinitas humanitati quasi insepulta, adeoque ut via à quoquam agnosceretur: ut enim Sol ille aspectabilis densæ nubis objectu radios suos retundit ac veluti retinet, revocatque ad fontem luminis; sic & Dei Filius carne, ceu superinducto velo, tectus latentem sub eo occultârat Divinitatem, quam tandem aliquando aperuit, ostenditque etiam oculis mortalium, cœlis redditus ac beatiari.

Et hoc est votum, quod adhuc mortalis emiserat, dum sic ad Æternum Patrem: *Clarifica me Pater claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te*; Iohn. c. 17. cùm scilicet quasi è tuo sinu per æternam generationem prodii Deus de Deo, Lumen de Lumine.

Votum audiit Æternus Pater, atque exaudiit, & è terris in Cœlos revocavit: *Vt gloriam Divinitatis, quam Deus apud Deum habuerat, cum tota Nativitatis corporeæ substantia possideret* inquit Gaudentius.

Ita factum, & factum benè: quod sic eleganter describit D. Augustinus: *Christus terram levavit in Cœlum: recepit se intra velamina Divina cum carne Majestas: didicit Cœlum portare hominem: sub pedibus Christi famulantia æthera jacuerunt.* Serm. 5. de Ascens.

Unnam & aliquando sub pedibus Christianorum: Jacebunt enimverò; si tamen iis priùs terra & terrena omnia sub pedibus; si cœlum in capite, hoc est in cogitatione; desideriis, primisque curis.

QUÆ-

IN FESTO
S. IOANNIS BAPTISTÆ.

E magni Baptistæ encomiis multa sacræ Paginæ, multa sparsêre Sancti Patres, quæ ferè omnia in unum veluti fasciculum collegit D. Chrysologus, dum sic de illo aureâ fandi copiâ:

Serm. 167.

Ioannes virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina: Ioannes major homine, par Angelis, Legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præco judicis, Præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis.

Hæc Præsul Ravennas, à quo discedo, & de more pauca subjicio.

EX D. THOMA.

Serm. in Evang.

ATtendit illam Evangelistæ intertogationem: *Quis putas puer iste erit?* Et tespondet: *Speciosus, gratiosus, gloriosus.*

Primò, *Speciosus*, propter Virginitatis candorem, Martyrii ruborem, & miram quandam cum Christo similitudinem.

Secundò, *Gratiosus*, propter eximiam sanctitatem & gratiam, quam uberem hausit à Spiritu Sancto, etiam ex ipso Matris utero.

Tertiò, *Gloriosus*, propter dignitatem: venit enim ut Propheta, ut Angelus, ut Vox Verbi, Domini Præcursor, & Testis etiam oculatus

Hæc ubi fusiùs explicuit Angelicus Doctor, tum ad extremum conficit illud: Si quis eum Ioanne ad gloriam aspirat æternitatis, sit ille *puer*, id est, *purus* Purus corde, purus ore, purus manu.

EX D. BONAVENTURA.

Cap. 49.

DIvus Bonaventura argumentum primæ concionis desumit ex illo Isaiæ: *Dedi te in lucem gentium.*

Et inde D. Ioannem Baptistam componit cum luce, quæ inter qualitates sensibiles est longè nobilissima.

Serm. 2.

Primò, enim est *impassiva*, id est, *nulli passioni supposita*, nullius peregrinæ qualitatis susceptiva: Et inde corpora cœlestia, quæ ex luce formata sunt, impassibilia sunt, atque incorruptibilia, ut ait Philosophus: quod naturæ beneficium luci adscriptum debent, ac referunt.

Joannes lux ex 5. capitibus.

Et talis in Ecclesia, ceu Cœlo novo, fuit Ioannes: *Lux fuit & mentis & carnis integritate impassiva*; Virgo fuit *tam mente, quàm carne. Lux fuit incorrupta, pura, immaculata.*

Utque esset, antra deserti teneris sub annis petiit, ne levi saltem maculare vitam famine posset: imò etiam lux fuit cùm è deserti latebris in Solem & publicum prodiit: ut enim lux etiam si per sordes transeat, nullas contrahit maculas: sic nec contraxit IOANNES, etsi Iudæos inter ac Pharisæos, ceu lutum & sordes, transiret medius; etsi cum illis ageret viveretque familiariùs, lux tamen semper fuit *incorrupta*, atque *impassibilis.*

Secundò, *Lux est debilium confortativa*; quod ex eo patet, quòd ut notat Philosophus, in ascensu Solis ad Meridiem in animalium corporibus confortentur & crescant vires; uti è contrà in descensu ad occasum decrescunt & resolvuntur in somnum: Quod etiam in ægris clariùs apparet; quibus Sol Oriens vires addit, & animos, quos Occidens detrahit: Et hoc in IOANNEM cadit quàm optimè.

Lux quippè fuit *confortativa*, dum omnes ad sinceram pœnitentiam, quà bonis exemplis, quà etiam verbis animavit, debilesque ac suis vitiis prostratos erexit in spem vitæ melioris; imò & beatitatis.

Tertiò, *Lux est directiva visus*, quem etiam mirè recreat & pascit. Inde illud Ecclesiastici: *Dulce lumen, & delectabile est oculis.* *Cap. 11.*

Et ita lux fuit IOANNES, qui & visum, hoc est intellectum, & pedes, id est affectus, direxit docuitque quæ ineunda ad salutem ac Beatitatem via.

Ita promiscuam populi turbam ad largiores eleëmosynas, Publicanos ad Iustitiam, milites ad misericordiam duxit, omnes ad Domini viam.

Hinc illud è pulpito tonare frequentiùs; *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.*

Quartò *Lux est arguitiva per rerum occultarum manifestationem.* Ubi alta nox, ubi densæ tenebræ; ibi omnia in occulto: at ubi lux, ubi Sol; ibi in aperto sunt universa: & hoc beneficium lucis; nec absimile IOANNIS, qui lux fuit: & quidem *arguitiva.*

Multa erant Pharisæorum crimina, multa & Sadducæorum, quæ cùm laterent in occulto, in aperto posuit IOANNES, detexitque quæ latebant, adinstar sidereæ lucis, dum sic ad illos: *Progenies viperarum quis monstravit vobis fugere à ventura ira?* *Matth. c. 3.*

Infandum erat & longè turpissimum Herodis adulterium, quod & arguit IOANNES, & quàm turpe esset, quàm indecorum Regi, palam ostendit instar solaris luminis, quod sordes & lutum discernit, & sub oculos ponit.

Quintò, *Lux est inflammativa, sive calefactiva*; maximè ubi illius radii directè incidunt in caput nostrum

ftrum, in corpus opacum, à quo tepercuòuntur, nec ulterius effundi patiuntur; fic in æftate à Sole, qui capiti noftro directè imminet, fummus eft calor; non autem in hyeme, quia in hac obliquè, & ex latere cadunt folares radii, ultraque tranfeunt.

Et lux fuit IOANNES: imò *lucerna ardens, & lucens; ardens in affectu, lucens in opere; ardens ad feipfum, lucens ad proximum*: non abfimilis Heliæ, qui *furrexit ficut ignis, & verbum ejus ficut facula ardebat*.

Eccl. 48.

Et fic luxit, fic arfit IOANNES; fibi arfit, aliis luxit: imò omnibus luxit, & arfit: omnibus dico, qui ejus lucem directè excipere, ac retinere voluerunt, & fic in fe quodammodo repercutere, ac multiplicare; non autem iis, qui excipere tantùm & ultrà tranfmittere.

Venio ad fecundæ concionis argumentum; hoc Seraphicus Doctor cepit ex nomine, quod primùm ab Angelo impofitum: *Vocabis nomen ejus IOANNES.*

Deinde à Matre, quæ Zachariæ nomen refpuens: *Nequaquam*, inquiebat, *fed vocabitur IOANNES.*

Denique à Patre, qui *poftulans pugillarem, fcripfit dicens, IOANNES eft nomen ejus.*

Ex hoc autem illius magnitudinem metitur, atque oftendit; idque ex quadruplici capite:

Joannes magnus quadrupliciter.

Primò, *Ex parte abundantiffimæ gratiæ*, quam prodit vel ipfum folum nomen: *IOANNES* enim *Gratiam* fonat, vel ut ait D. Bonaventùra, *Virum magnæ Gratiæ.* Hanc accepit etiam in parentis utero, hanc auxit in vita, hanc perfecit in morte: In quo mortales cæteros fuperavit: *Nos* enim *in peccatis concipimur, in peccatis nafcimur, in peccatis nutrimur, & in peccatis fæpius nominamur.* Ut meritò cum Innocentio Summo Pontifice gemere poffimus, eò quod *noftra conceptio culpa, nativitas pœna, & vita mors ipfa fit.*

Secundò, *Ex parte humilis confcientiæ*, per quam *vilia de fe fenfit, vilia de fe prædicavit, vilia de fe quærentibus refpondit*: vide quæ de illo Evangelifta.

Tertiò, *Ex parte aufteræ pœnitentiæ*: hujus porrò aufteritatem deducit ex tribus; videlicet, *Loco*, deferto, fterili & inhabitabili: *Veftimento*, è pilis camelorum, & zona pellicea: *Cibo*, locuftis, & fylveftri melle.

Quartò, *Ex parte zeli Iuftitiæ*, pro quo animam fuam pofuit: caput enim amifit & vitam, quia Herodem de uxore fratris arguit.

Vidifti, amice Lector, quì magnus fuerit JOANNES, & quì etiam Magnus effe poffis, ac debeas.

JOANNES erat nomine & re etiam ipfa, id eft, Juftus, & Deo gratus: ut is quoque fis enitere: Chriftianus es; is fis opere qui nomine.

JOANNES humilis & parvus in oculis fuis, ideóque magnus: & tu is fis, de te fenti & loquere humiliter.

JOANNES etfi expers omnis culpæ, aufterus tamen in feipfum; & tu peccatis plenus pœnitere & pati renuis? Et tamen *fecundùm menfuram culpæ, debet effe menfura pœnitentiæ.*

JOANNES pro Iuftitia, pro Deo mori certus; & tu timidule mortem fugis: dúmque fugis, magnus effe renuis.

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Erit magnus coram Domino.* Lucæ cap. 1. verf. 15.

QVÆ FALSA, QVÆ VERA MAGNITVDO?

Triplicitet quis Magnus.

I ex hominum calculo & fuffragiis definienda fit magnitudo, video aliam atque aliam fore, ex qua aliter atque aliter magnus quis dici poterit, non tamen ex vero effe.

I. In feipfo.

Primò enim *Magnus* quis effe poteft in feipfo, magnus in oculis fuis, vana fuiipfius æftimatione. Ita magnus olim Pharifæus ille, qui faftu infolentiore hæc olim ftans in Templo jactare: *Non fum ficut cæteri hominum.* Ecce ut abjectè de aliis, altè de fe fenòt & loquitur: Magnus nimirum in fe ipfo; at reipfa parvus, & Chrifto tefte minimus, nec dignus, quem Cœlum afpiciat: ut enim verè D. Gregorius: *Quanto magis fe elevat, tantò magis cadit. & tantò eft inferior, quantò major fibi videtur.*

Luc. c.18.

Lib. 3. Paftor. c. 3.

Et contrà quantò fibi minor, tantò Deo major.

Hujus & illius exemplum habes in Saûle, qui primo parvulus fuit in oculis fuis, ideoque in DEI confpectu, gratia, favoreque magnus: Deinde fibi magnus, at DEO minimus; qui fic ad illum: *Nonnè cùm parvulus effes in oculis tuis caput te conftitui in tribubus Ifrael*: ac fi apertè diceret, inquit D. Gregorius:

Magnus mihi fuifti, quia defpectus tibi; fed nunc quia magnus tibi es, factus es defpectus mihi. Hæc ubi dixit S. Præful, tum generatim pronuntiat illud: *Tantò fit quifque vilior Deo, quanto pretiofior fibi: & tanto pretiofior Deo, quantò fibi vilior.*

Iuc. 28. Iob.

Hujus exemplum leges in Davide qui ita abjectè de fe fentire & loqui folebat, ut præ Saûle *Canem fe mortuum, & pulicem unum appellaret*: & quia, fic appellavit, parvus in fe, magnus Cœlo fuit, & throno donatus ac regno; ejecto fcilicet Saûle.

1. Reg. c. 24.

Et ita quoque hic erectus JOANNES; abjecit fefe ad Chrifti pedes: *Non fum dignus*, inquiebat *ut folvam ejus corrigiam calceamenti*: at Chriftus fuper caput erexit; & *manum, quæ fe indignam calceamentis effe ducebat, à pedum obfequio ad caput fuum fublevavit, dum tremendum Cœlo caput Baptifmi aquis perfudit*, inquit D. Chryfoftomus.

Hom. 3. in Matth.

Secundò, Magnus quis effe poteft *coram hominibus.* Ita apud Romanos olim Pompeius, apud Afiaticos magnus Alexander: At neque hic, neque ille ex vero magnus, neque quis ex eo unquam magnus erit, quòd apud homines magnus.

II. Magnus coram hominibus.

Primò enim hi fallere poffunt, & falli.

Deinde magnitudinem ponere ubi verè non eft; videlicet in opibus, divitiis, honore, potentia rebusque apud homines præclarè geftis: Ita Pompeium & Alexandrum magnos effecerunt reportatæ de hominibus victoriæ.

Tum in ingenio, doctrina, aliisque naturæ dotibus ftatui poteft magnitudo: fic ab eloquentia magnus Demofthenes, magnus Cicero: à Philofophia magnus Plato, magnus Ariftoteles.

Denique magnitudo reponi poteft in gratia & virtute, quæ tamen in te non fit; fed tantùm in hominum opinione: fic magni dicuntur hypocritæ, & non funt.

Non ita Magnus JOANNES: nec enim hominum calculo magnus; fed Divino Oraculo, à quo petita funt illius præconia.

Primùm

Cap. 40. Primùm ab Isaya, qui ex eo, populo solatium fecit etiam post longa sæcula, quod *vox clamantis in deserto* aliquando tandem audienda: Vox, inquam, Messiæ prænuntia, id est JOANNES.

Cap. 3. Deinde à Malachia, à quo dictus est Angelus: *Ecce ego*, ait Dominus, *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum suum Dominator*, id est Messias.

Luc. c. 6. Tum ab Archangelo Gabriele, qui hæc olim in Infantuli necdum concepti laudes: *Hic erit magnus coram Domino.*

Tum etiam ab optimo parente Zacharia, qui hæc Spiritus Sancti afflatu: *Tu puer Propheta altissimi vocaberis.*

Luc. c. 7. Denique ab ipsomet Servatore, Verbo Incarnato, prima Veritate; cujus calculo, *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista.*

Ecce ut magnus JOANNES: non hominum calculo; sed Vatum, sed Dei Oraculis: Magnus etiam à Gratia ac Virtute.

Serm. 91. *Angelico praconio IOANNIS profertur gloria, virtus insonat*, inquit D. Chrysologus.

Virtus, inquam, in qua unica vera est magnitudo.

Magnum Pompeium, magnum Alexandrum apud pusillos mortales effecêre reportatæ de hominibus victoriæ; at JOANNEM apud Immortales, Deumque ipsum, Magnum reddidêre relatæ de Mundo, de Carne, de Diabolo victoriæ, partique de his & illis triumphi: de his sic ore melleo D. Ambrosius:

In Luc. *IOANNES non fines alicujus propagavit Imperii, non triumphos aliquos bellici certaminis adoreis praoptavit; sed quod est ampliùs, in deserto prædicans, delicias hominum corporumq; lasciviam magna animi virtute depressit.*

III. Magnus coram Deo. Tertiò Magnus quis esse potest *Coram Domino*; & hic verè Magnus.

Primùm, quia indubiè habet ea omnia in quibus reposita est vera magnitudo.

Deinde, quia ejus judicio, qui nec falli potest, nec fallere: non falli, quia prima Veritas; non etiam fallere, quia summa Bonitas.

Hac ratione Magnus fuit JOANNES, de quo hoc Scripturæ elogium. *Erit Magnus coram Domino*; De quo fusiùs quæstione sequenti.

QUÆSTIO SECUNDA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Erit magnus coram Domino.* vers. 15.

VNDE PETENDA DIVI IOANNIS MAGNITVDO?



B ipso vitæ limine usque ad extrema brevis ævi confinia.

I. Magnus in Conceptione. Primò enim Magnus JOANNES, vel ex eo, quòd è sterili matre, & patre provectioris ætatis conceptus, ac genitus: de hoc ita aureè D. Chrysologus:

In Zacharia & Elizabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, adolescit quidquid est humani ordinis & negotii conjugalis, ut Divino munere, non partu, ex hominibus Angelus nasceretur.

Serm. 91. Ita nimirum, eodem Oratore Chrysologo: *Sterilitas fugit, Fides concipit, parit Castitas, nascitur major homine, par Angelis, tuba Cæli, Præco Christi.*

Serm. 36. de Sanctis. Sic concipi decebat Messiæ prænuntium ac Præcursorem: ut sicut *Christus natura obstupescente per Virginem; ita IOANNES desperata generatione per sterilem nasceretur*, inquit D. Augustinus.

II. Magnus in utero. Secundò Magnus in utero, vel ex eo, quòd vita meliore, id est Gratia donatus, & Spiritu Sancto repletus: De illo sic D. Gregorius:

In cap. 2. Iobi. *Erat in utero Matris Lucerna Dei; sed nec ardens, nec lucens: Divinus advenit ignis, luce illam gratia inflammavit, lucentémque fecit & ardentem; Igne enim Spiritus Sancti incensa, ardere cœpit & lucere.*

Serm. de Bapt. Ita *nimirum novus ille ignis, qui recens elapsus è Cælo per os Gabrielis in aurem Virginis intraverat, per Matris aurem introivit ad parvulum, ut ab ea hora Spiritus Sanctus, vas electionis sua impleret, & lucernam Christo Domino pararet*, inquit D. Bernardus.

Serm. 91. In quo verè magnus, mirabilis, & longè felicissimus JOANNES; ut qui *antè pervenit ad cœlum, quàm terram tangeret; antè cœpit vivere Deo, quàm sibi*, ut eleganter D. Chrysologus.

Cæteri mortalium parvuli, nudi abjiciuntur in terram; nudi, inquam, à gratia, ceu nuptiali veste: At hac in utero tectus ornatusque JOANNES.

Cæteri priùs damnati quàm nati: at JOANNES Cœlo priùs renatus, quàm terris natus.

Cæteri omnes in Occidente Originalis peccati: ille in Oriente gratiæ Divinioris.

At unde, inquies, is è Cœlo favor? Certè à Solis, id est Christi, appulsu, à quo & rationis & Fidei lumen accepit etiam in utero.

Iustinian. Serm. de Ioan. Bapt. *Grande prorsus hoc extitit Divina miserationis indicium, ut infans ventris constrictus ergastulo suum agnosceret Dominum, tenellis lataretur in membris, Solémque videret in nubilo.*

Solem, inquam Christum, quem Divina revelatione in nubilo, hoc est in utero, cognovit; Fide scilicet certa, Fide Divina.

Ita JOANNI ex ipso parentis utero apertus oculus: primùm *Natura*, qui *Ratio* dicitur; deinde *Gratia*, qui est *Fidei* & bonæ mentis *oculus*.

III. Magnus in Nativitate. Tertiò, Magnus in Nativitate, quam scilicet multis prodigiis illustrem voluit DEUS, & Ecclesia deinde festivo die celebrem.

Prodigio simile est illud, quòd ei necdum nato nomen ab Angelo sit impositum, & quidem JOANNIS: Quod enim potiùs? Qui enim *non virtute natura, sed dono Gratia conceptus fuerat, non debebat vocari Zacharias à patre; sed IOANNES à dono Gratia*, inquit D. Bonaventura.

Luc. c. 1.

Et hoc ipsum Angelo revelante didicit Elizabeth, & DEO monente Zacharias, qui sua incredulitate vocem primùm amisit, deinde à filio recepit.

Ita nimirum qui Verbi vox erat, parenti amissam vocem reddidit, non sine cœlesti miraculo: cui proximus fuit alius à Cœlo favor, quòd à Virgine DEO jam plena, DEI Matre, primùm exceptus Virgo enim JOANNIS nativitati præsens fuit, & *prima eum de terra levavit*, ut notat Divus Antoninus.

2. Part. sum. tit. 15. c. 4.

Hebræo more ritúque infantes ab utero in terram, ceu communem matrem excidere & abjici solebant: sic & abjectus JOANNES, quem *Domina levavit è terra: Parvulus autem quasi intelligens aspiciebat,*

Cap. 5 Vitæ Christi. *& cùm eum Matri porrigere vellet, ad eam caput vertebat, & in ea solùm delectabatur*, inquit Divus Bonaventura.

Ita nimirum qui Verbum in utero agnovit, Fide credidit, & supplex adoravit; eadem Fide agnoscebat, credebat ac venerabatur Matrem, nec ab ea nisi ægrè avelli se patiebatur: ejus quippe gremio sese immergebat totum, ut Dei Matri & Filio proximior esset.

IV. Magnus in pueritia. Quarto, Magnus JOANNES in pueritia: de hac sic olim Abbas Guarricus: *IOANNIS rudimenta primævæ ætatis, gravitatem sapientiæ vicere senilis.*

Sapientiæ senilis laus prima, Mundum fugere, & uni sibi Deoque vacare: & hoc fecit JOANNES; de quo sic Petrus Damianus Cardinalis.

Mira rerum conversio, hominem vix mundum ingressum Mundi fugere gloriam, & sæculi cupiditates non solùm oblivisci, sed & nescire, perpetuumq; cum Divinitate stabilire consortium.

Hac una contentus, Mundi pompas & gaudia, sæculi vanitates & ludibria despiciebat, & ad unum Messiam, cujus Præcursor venerat, aspiciebat: Nimirum ut pluchrè D. Hieronymus.

Dialog. adv. Luciferianos. *Oculis expectantibus Christum nihil aliud est dignatus aspicere.*

Secunda senilis Sapientiæ laus hæc esto, etiam tenellum corpus domare jejuniis, & victus asperitate macerare ac vincere: & ita edomuit, maceravit, vicit JOANNES, cui cibus locustæ & mel sylvestre; vestis aspera è pilis camelorum; potus aqua pura; cubile, nuda humus: ut meritò illius vitam *unicum ac perpetuum Iejunium* appellarit D. Basilius; Et Petrus Damianus, *continuum martyrium. Severos artus*, inquit, *& sacratiori spiritu superfusos continui quassabat longitudo martyrii.*

Tertia senilis Sapientiæ laus, eaque longè maxima, est, in carne vivere quasi carnis sis expers: & ita vixit JOANNES, de quo hæc Author operis imperfecti: *IOANNES specie homo, gratia Angelus, quia nihil carnis erat in eo nisi visio sola.* Et inde

V. Magnus in adolescẽtia. Quintò, Magnus JOANNES in adolescentia: hanc magnam facit posita sub pedibus concupiscentia, fracti carnis impetus, & in hac, ea quæ etiam in Angelis est puritas, imò & longè Superior:

Serm. 127. *Angelum enim esse, felicitatis; Virginem verò, virtutis*, ut scitè D. Chrysologus.

At D. JOANNES Virgo fuit; atque esset in vitam omnem, Virginitatem voto firmavit: & quia in hac vita ita excelluit, ut Antecessoribus suis pro miraculo, & posteris esse posset pro exemplo, à D. Chrysologo dictus

Serm. 143. *Virginitatis speculum, Pudicitiæ titulus, Castitatis exemplum.* A Theoduro Studita, *Lilium Castitatis & Rosa spiritalis fragrantia.*

Speculum quidem, ad quod mentis oculo intuentes Virgines omnes examinarent internam animæ, hoc est conscientiæ, faciem; speciosáne esset illa, an deformis; pura, an maculosa?

Titulus, in quo legerent, quæ ineunda esset ad Castitatem via.

Exemplum, quod imitari non pigeret etiam tenellæ ætati.

Lilium denique & *Rosa spiritalis fragrantia*, cujus nitore odoreque caperentur omnes.

Cant. c. 2. Verùm ut Salomoni, cœlestis Sponsa *Lilium* fuit inter spinas: sic & JOANNES *Lilium* fuit; sed etiam inter spinas: Quæ sint illæ quæris? Sunt pœnitentiæ durities atque asperitas, egregium sanè adversus petulantis carnis illecebras sepimentum: Ut hoc sibi liberius & securius figeret, avia deserti petiit, probè conscius quòd ab hominum consuetudine longè semotis Castitatis Lilium & Rosa felicissimè cresceret, quæ sæpè inter homines, atque præcipuè inter fœminas emarcescit.

IOANNES Baptista, inquit D. Hieronymus, *nec Matris affectu, nec Patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret Castitatis. Vivebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum nil aliud dignabatur aspicere. Vestis aspera, zona pellicea, cibus locustæ, melque sylvestre: omnia virtuti & continentiæ præparata.* Epist. ad Rusticum.

Nimirum qui pœnitentiæ est apparatus; idem & Continentiæ, & Angelicæ Puritati, à qua nonnulli, Aggæi c. 3. teste D. Hieronymo, JOANNEM Angelum Incarnatum credidêre: falsi tamen sunt. Non natura Angelus fuit; sed gratia: nam in carne præter carnem vivere, Angelica est vita.

Venio ad JOANNIS prædicationem, à qua VI. Magnus in ætate virili. etiam magnus fuit, primùm à doctrina, quam non ab homine didicit; sed cælitùs hausit: nam illi solitudo Academia fuit, Magister Spiritus Sanctus.

IOANNES in spiritu tamquam Angelus eruditur, inquit D. Bernardus: *Nec illum prædicatio; sed inspiratio docuit.* Ab hac & illa, *lucerna fuit ardens & lucens.* Serm. de Bapt.

Ardens quidem triplici ardore, inquit D. Bernardus; *In seipso, vehementi austeritate conversationis; erga Christum, intimo quodam & pleno fervore devotionis; erga peccantes proximos, constantia libera Increpationis.*

Lucens etiam *triplici splendore: exemplo, digito, verbo; Opere seipsum, Christum indice, nosmetipsos nobis sermone declarans: seipsum ad imitationem; Christum, ceu luminare magnum, quod latebat, ad peccatorum remissionem; & ipsas quoque tenebras nostras ad correptionem.*

Ecce triplicem hujus spiritalis lucernæ ardorem atque splendorem, à quo JOANNES ex vero Magnus.

Magnus, qui seipsum posteris omnibus exemplum dedit; Magnus, qui Salvatorem mundi digito monstravit, & primus omnium & Regem & Regnum Cœlorum in aperto posuit; quod antea in occulto & in tenebris erat.

Primus novi Testamenti fundamenta posuit, velut *Horizon* quidam Legis veteris & novæ.

Terminus Legis, & initium Evangelii, ut ait Divus Thomas. 3. P. Qu. 38. art. 1.

Evangelii sacra janua, metaq; Legis, ut D. Paulinus. De S. Felice

Legis & Gratiæ fibula, ut D. Chrysologus. Serm. 91.

Præteritæ dispensationis limes, Mediatorem non aliqua umbra futuri, sed digito demonstrans, ut notat D. Augustinus. Contra Ep. Pelagii l. 3. c. 4.

Ecce ex quot capitibus in prædicatione & vita VII. Magnus in morte. Magnus; audi quàm Magnus in morte.

Si priscis omnibus dulce & decorum fuit pro patria mori: decorum magis pro Lege veritatis, pro Castitate, pro Justitia: Et ita mortuus JOANNES, & ideò *Sanctus, ideò Martyr*, inquit D. Augustinus. In Psal. 140.

De gloriosa illa morte sic elatè D. Chrysologus: Serm. 173. *Transfertur ista morte vita Martyris, non aufertur: morte magis claruit, qui ob hoc mortuus est ut viveret in æternum: Ecce tu Herodes jaces in morte, IOANNES vivit occisus.*

Ita nimirum, ut D. Ambrosii verbis utar: *Ardentem lucentemq; lucernam libido extinxit, vocem in deserto clamantem silere fecit, O scelus tartareum! Quid extinxit, dixi, & silere fecit? Non est extincta lucerna: Imò nunc majorem Cœlo & terræ splendorem præbet; Imò nunc etiam toto Orbe clamat*, & clamabit in ævum omne. *Licèt* enim *dormierit vox ejus; vivit, nec carcer Herodis adulteri, IOANNIS caput continere potuit quin per omnem Mundum enarret gloriam Dei*, ut doctè Rupertus. Serm. 3. Ioan. c. 1.

Caput, inquam, quod ornatur in Cœlis triplici VIII. Magnus in Cœlo. Aureola: *Virginitatis, Martyrii, Doctoratus.*

Ab his Magnus in Cœlo JOANNES; imò Sanctorum maximus.

Præcellit cunctis IOANNES, eminet universis, & quisquis ex muliere (scilicet non Virgine) inferior est IOANNE, inquit Ambrosius. Serm. 94.

Et *quisquis IOANNE plus est; non tantùm homo, sed Deus est*, inquit D. Augustinus. Serm. 4. de Bapt.

Nimirum,

Nimirum, ut doctè S. Maximus, *Hic est, qui judicio cælestis sententia cunctis mortalibus antefertur dicente Domino: Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista.*

Ex quo Dei hominis Oraculo, aliisque SS. Patrum sententiis, colligit Gerson, Dominum in Cœli Regia Matrem suam super omnes & hominum & Angelorum choros collocasse; & huic proximum Sanctum JOANNEM Baptistam, loco scilicet, thronóque Luciferi.

****

IN FESTO
SS. PETRI ET PAULI.



VIDEO Sanctos Patres hoc die Apostolis sacro ac solemni alia atque alia similitudine quondam usos pro argumento concionis ac laudis.

S. Dionysius PETRUM & PAULUM Apostolorum Principes, *Columnas mundi* nominavit. *In Epist. ad Timoth.*

D. Chrysostomus *Columnas Ecclesiæ* censuit appellandas. *Hom. 32. in Ep. ad Rom.*

Et jure sanè meritissimo: quod enim in porticu templi Salomonis columnæ binæ; hoc in Ecclesia PETRUS & PAULUS. In illo columna una dicta *Iachin*, *3. Reg. c. 7.* id est tegimen; altera *Boos*, hoc est fortitudo: illa PETRI symbolum; hæc PAULI fuit.

Quod etiam Israeli *Columna nubis & ignis*; hoc Christianis PETRUS & PAULUS: ille columna nubis, quæ Iudæos texit; hic autem columna ignis, quæ Gentiles amœna Fidei luce illustravit. Et hæc prima similitudo.

Altera est Doctoris Angelici, qui SS. Apostolos PETRUM & PAULUM componit cum Sole & Luna duobus mundi oculis.

Nimirum quod Universi Conditor Deus fecisse visus est in prima illius molitione, cùm in cœlo posuit *duo luminaria magna*, hoc & in Ecclesia mundi Reparator fecit, cùm in hac PETRUM, ceu Solem & luminare majus, constituit; & PAULUM, ceu Lunam & luminare minus: de quibus more nostro

EX D. THOMA.

Cap. 3. EXpendit illa Ioëlis verba: *Sol vertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.*

Et hæc quidem exponi vult de SS. Apostolis; sic ut per Solem PETRUS, & per Lunam PAULUS intelligatur.

Et quidem Sol est PETRUS:

Primò, Quia ut Sol est *fons splendoris*; sic & PETRUS fons luminis, in altissima scilicet quam de *Matth. c. 16.* Christo habuit cognitione, à qua dictus etiam *Beatus es Simon Bariona*: Dictus & *Petrus*, id est *cognoscens.*

Secundò, Ut Sol est *fornax ardoris*; ita & PETRUS *fornax ardoris in amore.* Testes illæ voces: *Domine* *Ioan. ult.* *tu scis, quia amo te.* Inde dictus *Simon*, id est *obediens*, quod amantis est.

Tertiò, Ut Sol est *causa generationis*; sic & PETRUS generationis spiritualis *in prædicatione.* Hinc illi *Luc. c. 5.* Christus: *Ex hoc eris homines capiens.* Et inde etiam dictus *Cephas*, id est caput Ecclesiæ. De hoc & istud *Cap. 43.* Ecclesiastici jactari potest: *Sol in aspectu, annuntians in exitu.*

Porrò *Sol ille versus in tenebras*, & quidem tripliciter: 1. *Culpæ in abnegatione.* 2. *Mæstitiæ in ploratione.* 3. *Pœnæ in passione* & morte.

Venit deinde ad PAULUM: & hic inquit *dicitur Luna*, propter tria:

Primò, quia *lux noctis*; *erroris tenebras illuminando.* Inde sic ad Romanos: *Abjicite opera tenebrarum.* *Cap. 13.*

Secundò, *Fons roris*; *gratiam prædicando. Gratiâ* enim *estis salvati*, inquiebat. *Ephes. c. 2.*

Tertiò, *Causa frigidationis*; *Virginitatem commendando.* Hinc ait: *De virginibus consilium do.* *1. Cor. c. 7.*

Ut aliis, sic & sibi Luna fuit: 1. Lux noctis, *In se tenebras culpæ atque erroris expellendo.* 2. Fons roris, *Gratiam Dei suscipiendo.* 3. Causæ frigidationis, *Virginitatem, vel Castitatem conservando.*

Hæc porrò Luna versa est *in sanguinem*; & quidem triplicem: 1. *Homicidii in Stephani lapidatione.* 2. *In sua flagellatione. Ter enim virgis cæsus.* 3. *In capitis abscissione.* *2. Cor. c. 11.*

EX D. BONAVENTURA.

Serm. de SS. Petro & Paulo. SEraphicus Doctor in illa CHRISTI ad Discipulos verba: *Vos qui secuti estis me*; hominum genus dividit in tres Classes:

Prima, Est eorum, *qui sequuntur carnem & carnis delectabilia*: hi toti sunt in cibo & potu, & ab his in luto fœdæ voluptatis; *Similes porcis, qui primò ventrem cibo opplent, & statim post cibum in luto se ponunt, nec ori à luto parcunt.*

Prov. c. 7. Talis est Luxuriosus & juvenculus, qui meretriculam sequitur, *quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, ignorans quod trahatur ad vincula, vel quasi avis, quæ festinat ad laqueum.*

Eccl. c. 34. Secunda, illorum est, *qui sequuntur mundum; avari* scilicet, & *cupidi*: & hi similes sunt illi qui *apprehendit umbram, & sequitur ventum* irrito labore, & deploranda vanitate: Quæ enim major vanitas, quàm umbra fugiente velle repleri, & vento vanissimo satiari? Et hæc tamen faciunt avari & cupidi, qui mundana, id est umbram & ventum, sequuntur.

Horum duorum sors longè infelicissima, quia & qui carnem sequuntur, & qui mundum; sequuntur etiam diabolum: quod *tale est, quale si agnus sequeretur lupum, porcus ursum, gallus vulpem, lepus canem.*

Tertia & longè quàm optima Classis, est eorum, qui Christum sequuntur, Agnum mansuetissimum, Doctorem prudentissimum, Regem potentissimum, & Patrem dulcissimum.

Et tales fuerunt Apostoli, & Apostolorum Principes PETRUS & PAULUS, qui *rebus omnibus nudi, fame sitique confecti, verberibus attriti, carceribus macerati, injuriis plurimis provocati, tandem sequentes Christum adjudicati sunt morti.*

Potuit hic, potuit & ille ex veritate Christo dicere, *Secuti sumus te.*

Vestigia tua secutus est pes meus; vestigia Humilitatis profundissimæ, Paupertatis altissimæ, Charitatis ardentissimæ, & Patientiæ constantissimæ.

Charitatem PETRI testatur illud ad Christum: *Animam meam pono pro te.* Ioan. c. 13.

PAULI verò istud: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Ad Philip. 1.

Ex hac porrò Charitate, quæ Patientiæ comes est & germana soror, potuit hic, potuit & ille Christo dicere quod olim Ethai ad David:

Vivit Dominus, & vivit dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. 2. Reg. c. 15.

Sic & cum Christo in vita fuit PAULUS, cui scilicet vivere Christus: sic & in morte, cui pro eodem mori lucrum. Sic & PETRUS in vita, cui solemne illud: *Tu scis Domine, quia amo te*: sic & in morte, cui & in lingua, in manu illud: *Animam meam pono pro te.*

Et verò posuit tam hic, quàm ille: ille quidem ferro caput; hic autem cruci totum corpus dedit.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET THEOLOGICA.
Ad illa verba: *Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, Alii Ieremiam, aut unum ex Prophetis.*
Matth. cap. 16. vers. 14.

CUR ID DE CHRISTO OPINARENTUR IUDÆI?



IUDÆOS inter alia atque alia de Christo opinio fuit, & pugnantes inter se sensus.

I. Opinio. Nonnulli, qui Pythagoricam transanimationem approbabant, existimabantque hominum animas corpore solutas in alia atque alia corpora transmigrare; in meliora quidem, si prior vita ex virtutis lege transacta; in viliora autem, si ex vitio & in sordibus malè perdita: Hi, inquam, opinabantur, in Christi Corpus immissam animam vel Ioannis Baptistæ, qui recens mortuus, & capite minutus; vivebat tamen apud vulgus insigni famâ sanctitatis: vel Eliæ, qui inter antiquos à zeli ardore nominatus: vel Jeremiæ, cujus Prophetiæ ac lamenta passim omnium manibus terebantur, & minacia illa *Væ, Væ*, ceu totidem tonitrua, quæ subinde etiam à Christi voce resonabant: vel denique unius è Prophetis antiquioribus, quorum vitæ ac rebus gestis & ipsa Christi vita, conciones ad populum, miracula, resque supra naturæ ordinem modúmque gestæ, consentaneæ illis videbantur: & hinc credebant in eo quodammodo revivifcere, atque operari, aut Joannem Baptistam, aut Eliam, aut Jeremiam, aut unum aliquem ex Prophetis antiquioribus.

II. Opinio. Alii quibus ridicula atque insulsa videbatur ea animarum transmigratio, cùm opera Christi essent consona Eliæ, Jeremiæ, Joanni & ejusdem notæ ac famæ viris, censebant ex vero illorum unum à mortuis surrexisse, adeóque non tam JESUM loqui, miraculaque facere, quàm aut Eliam, aut Jeremiam, aut Joannem vitæ jam redditum: sicque apud illos JESUS aut reipsa Elias fuit, aut Jeremias, aut Joannes, unus ex Prophetis, etsi nomine mutato JESUS esse ac videri vellet, & Josephi ac Mariæ Filius.

III. Opinio. Putarunt alii JESUM esse Joannem Baptistam. Hujus opinionis fuisse visus Herodes, qui hæc de Christo: *Hic est Ioannes, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes*, hoc est miracula, *operantur in illo.* Marc. c. 16. v. 14.

Nimirum Christus Joanni persimilis videbatur ætate, prædicatione & vitæ sanctitate; & quia recens hujus memoria, injustaque cædes erat in oculis, & ipsa quoque resurrectio etiam accelerata facilius credebatur.

IV. Opinio. Censuerunt alii Christum Eliam esse; neque ita censerent, faciebat primò par hujus & illius zelus & ardor: deinde quod ideò ex hominum conspectu ereptus Elias, ut aliquando redderetur; & re etiam ipsa in Christo redditum existimabant: Quam in opinionem ducebat illa Eliæ expectatio etiam Divino Oraculo adpromissa: Sic enim ad illos Deus ore Malachiæ: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam.* Cap. 4. v. 5.

V. Opinio. Denique crediderunt aliqui Christum esse Jeremiam à mortuis redivivum, tum quia Prophetas inter maximè nominatus à vitæ sanctitate; tum quia illustre speculum Patientiæ ac Caritatis, quæ duæ virtutes supra alias in Christo elucebant; tum denique quia opinabantur (etsi falsò) cum Elia rediturum ad suas conciones, & minacia rebellibus animis fulmina, quæ vivus adhuc sæpè sæpiùs jecerat.

Et hæc fuit inter illos opinionum inter se pugna ex eo orta, quòd Fidei luce destituti cæcorum instar huc & illuc errabundi, ignotoque tramite jactarentur: tantum interest humanis mentibus quæ lux affulgeat; humana, an Divina: illa erroribus obnoxia; hæc uni veritati affixa.

Et hanc tenuêre omninò pauci, qui Christum

ex vero

ex verò Messiam credidêre, quos inter PETRUS ut in Collegio Apostolorum, sic & in Fide facilè Princeps.

Hic agnosces, mi Lector, singulare Fidei beneficium, quod Dei misericordiâ paucis concessum, & justo ejusdem judicio negatum quàmplurimis.

Fidei beneficium.

Ideò illi ad Christum accessêre, non corporis, sed animi gressu: hi verò non accessêre. Causam si roges, hæc est: Quia illos traxit Æternus Pater; hos verò non traxit: *Nemo* autem, ut olim Christus, *potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* *Ioan. c. 6.*

At quomodo, inquies, trahit? Respondet D. Augustinus:

Serm. de verbis Dom.

Ista violentia cordi fit, non carni: Quid ergo miraris? Crede, & venis; ama, & traheris: Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam: dulcis est, suavis est; ipsa suavitas te trahit. Nonnè ovis trahitur cùm esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligitur: sic & tu veni ad Christum; noli longa itinera meditari: ubi credis, ibi venis.

At cur non omnes credunt; ii saltem in quorum oculos Christus, & patrata ab illo miracula, quorum aures perculit ejus vox, frequensque concio? Cur, inquam, non credunt illi, & credendo ad Christum non veniunt.

In oculis, in manibus est illud Christi Oraculum, Quia Pater Æternus eos non traxit: quod ut in aperto sit, pauca ex ipsis Theologiæ principiis putavi hîc annotanda: & quidem

Primum, vocationem ad Fidem & Gratiam primam fieri sine nostris meritis: cùm enim Gratia sit principium meriti, & principium meriti non possit cadere sub meritum; consequens est neque Fidem, neque primam Gratiam sub meritum cadere posse: igitur gratis conferri debet ex pura, puta Dei miseratione; & de illa intelligi credo illud Apostoli: *Non est volentis, neque currentis; sed miserentis Dei.*

Alterum est, quòd adultis omnibus detur à Deo Gratia sufficiens, qua si benè uti velint, converti possunt & salvi esse: Et ita actum cum Judæis, in quorum oculos venit Christus ejusque miracula, in quorum aures descendêre habitæ ab illo conciones: quibus veluti oblatis è Cœlo mediis usi si fuissent; & ad Christum venissent, & ad Fidem, & ad Gratiam, & Cœlo propitio etiam ad Gloriam.

Tertium, quod etiam notatum velim, est, non omnibus concedi Gratiam efficacem ac congruam, & ita non omnes à Patre Æterno trahi: Qui sic trahuntur, in hoc agnoscant singulare Divinæ miserationis beneficium: qui ita non trahuntur, vel sibi ascribant (qui Gratia sufficienti non sunt usi; quà si benè usi fuissent, ad efficacem & congruam venissent) vel Divinæ Justitiæ, quæ in hujus privatione pœnam invenit atque infligit; vel denique Supremo Dei Dominio ac voluntati, quæ bona sua distribuit, & quibus, & quando vult, & quantum vult; & hoc sine ulla injustitia, sine ulla cujusquam injuria: Et hinc

Descendo ad quartum: Divinæ vocationis ac Gratiæ ingens esse beneficium; ex hoc præcipuè, quòd gratuitum: ut enim eleganter D. Cyprianus: *Epist. 2. ad Donatum.* *Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus est; sed gratuitum de Deo munus.*

De quo tamen ne despetes, ô quisquis es in hac aura mortalis, subjicit ille ipse S. Pater ac Martyr: *Facile est*: ut enim *Sol sponte radiat, dies illuminat, fons irrigat, imber rorat; ita se Spiritus Sanctus cœlestis infundit*

Suspicis & amas Orientem Solem, ut spontè radiat, ut lucet, ut ardet: ab his radiis, luce, ardore, si te subtrahis, si umbras quæris, si abyssum aut obscuram specum, si obicem ponis; tibi imputa, non Soli: Ita, ô peccator, si non radiat à vocatione, non lucet à Gratia, non ardet à Charitate Sol ille cœlestis; tibi ascribe, non Soli: ignem enim venit ille mittere in terras; & quid vult, nisi ut accendatur?

Si te dies amœnus Fidei Divinæ non illuminat; tuum istud sæpè sæpiùs vitium est, qui peccati noctem amas & quæris.

Si te fons non irrigat, fons, inquam, perennis Supernæ miserationis ac beneficentiæ; tua culpa, qui ab animi obduratione silice siccior es & marmore durior.

Si denique suavi ac molli illapsu Gratiæ imber non influit, non irrorat; tibi imputa, qui arescere malis ac sterilescere, quàm pluviæ cœlestis beneficio madescere & in bonorum operum fructus effundi.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* vers. 16.

AN HOC PRO SE? AN ETIAM PRO Condiscipulis PETRUS*? Et quæ in ea professione vis? Quæ documenta? Quæ præmia?*

EXISTIMANT plerique, uti deinde PETRUS Apostolorum caput fuit, ita hic quodammodo eorum os fuisse; sicut ejus ore loqui omnes, omnes Christum ut Dei Filium agnoscere ac solemniter profiteri. Ita cæteros inter D. Hieronymus:

PETRUS, inquit, *ex persona omnium Apostolorum profitetur, Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Alii tamen, bonâ veniâ tanti Doctoris, censent pro se tantùm, & ex suo sensu locutum PETRUM.

D. Petri confessio.

Ita S. Hilarius, Abulensis, Maldonatus, & alii Scripturæ sacræ Interpretes. Quod

Primùm probari videtur aliorum omnium silentio & muta quadam hæsitatione ac stupore: cùm enim ad omnium aures animosque appulisset ea Christi interrogatio, *Vos autem quem me esse dicitis*, *Vers. 15.* tacere omnes, hærere, stupere, quia in eorum animos necdum plenè illapsa Fidei lux quæ tum PETRO affulsit.

Deinde PETRUS necdum aliorum caput ac Princeps à Christo constitutus; cur igitur aliorum nomine respondeat ipse? Cur eorum os ac lingua censeri debeat, qui cæteris tum nihil præstet?

Denique cùm ei uni, Christo judice ac remuneratore, decreta sit hæc prærogativa, palma ac corona tam liberæ, tam altæ confessionis: *Beatus es* *Vers. 17.* *Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in Cœlis est: & ego dico tibi, quia tu* *Vers. 18.* *es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* quidni eum unum pro se locutum, ac suo solius nomine dicamus? Quod tamen & alios quoque

etiam

etiam loqui ac dicere eo loco ac tempore decuisset: At neque tum illis ea gratia, ea lux aspirarat quæ PETRO; & hinc uni huic laus illa ac confessio singularis; uti & illius, præmium ac Cœlo decreta merces: ad quam priusquam descendam, paucis examinanda

Ejus vis. vis ingenuæ istius confessionis: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Ea patebit tum ex Græco textu, tum ex ipsis vocibus:

Tu es Christus, Græcè, ὁ χριστὸς, *ille Christus*; in quo emphasis quædam est singularis.

Ille, inquam, Christus Adæ, Abrahæ, Moysi, Davidi ante tot sæcula promissus.

Ille Christus, id est, unctus, unctione Gratiæ Hypostaticæ Unionis cum Verbo; & hac unctus ut Pontifex, ut se in sacrificium offerendo, mundum sibi ac Deo Patri reconciliaret; unctus ut Prophera, qui Cœli arcana revelaret, & futura longè antè prospiceret atque enuntiaret; unctus ut Rex & Cœli ac terræ Dominus: Ecce quæ vis in illa professione: *Tu es Christus.*

Nec minor in hoc: *Filius Dei vivi*; Græcè ὁ υἱὸς, *ille Filius*, non gratia atque adoptione, ut cæteri Sanctorum; sed natura ac Divinitate, à qua & habet vitam primam, increatam, Divinam, Beatam, eandem cum Patre, & à quo quidquid vivit; vitam habet, ut à causa prima & fonte omnis vitæ: Quæ omnia ut mente concepit PETRUS; sic & libera voce profitetur: Nimirum, ut disertè S. Leo.

Serm. de Transfigur. *Per revelationem Summi Patris corporea superans, & humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, & confessus est gloriam Deitatis.*

Ab hac porrò confessione duo discet quisquis & nomine & re etiam ipsa est Christianus.

Primum quid intemerata Fidei veritas exposcat: nimirum in aperto esse, in oculis, in Sole ac luce.

L. adv. Valentin. c. 3. Ut enim disertè Tertullianus: *Nihil veritas erubescit, nisi solummodò abscondi.*

Fidei veritas, inquit Rupertus, *non amat angulos; non in occulto, sed palam omni modo loqui desiderat*; Loqui, inquam, & altissimè quidem.

Et ita deinde ad Joannis aures appulit ea veritatis, ea Fidei vox adinstar clangentis tubæ; sic enim ille in excessu suo:

Apoc. c. 1. v. 10. *Audivi*, inquiebat, *post me vocem magnam, tanquam tubæ dicentis: Quod vides, scribe in libro.*

Vox magna, & adinstar tubæ, vox veritatis; quæ, ne silenti sono statim evanescat, eam jubetur etiam oculis legere, deinde chartæ committere ad posterorum memoriam: Hinc illi Angelus.

Quod vides scribe; ne scilicet ullo unquam sæculo abscondatur *veritas*, quæ *nihil erubescit, nisi abscondi.*

Et hoc primum ediscat Christianus: alterum, quòd illa fidei voce ac confessione se prodere debeat, & ostendere extrinsecus, & in omnium auribus, quis intrinsecus & in animo sit; ut enim pulchrè Tertullianus adversus Gnosticos: *Mentis status in fronte consistit.*

Frontem natura in altissimo locavit, ut in omnium oculos incurreret, & cùm incurrisset, mentis animique status in ea legeretur: & religionem, quæ intrinsecus latet, in frontem ascendere Dei gratia voluit, ut statim in ea legatur Christianus.

Hunc Tertullianus componit cum columba, quæ loca amat editiora; uti è contrà serpens, qualis hæreticus, humilia. Hoc enim discrimen est inter Catholicos, & hæreticos: hi quia pleni artibus mendacii ac fallacia, lucem fugiunt, & latebras quærunt, quibus tegantur: illi contrà, Solem amant, & videri audique gestiunt.

Abscondat, inquit, *se serpens quantum potest, totamq; prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur; per anfractus seriem suam evolvat, tortuosè procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostræ columbæ domus simplex, etiam in editis semper & apertis, & ad lucem.* Adv. Valent. c. 3.

Ita in editis fuit PETRUS, dum in illa Fidei confessione etiam ad latentem in Christo Deitatem ascendit; in apertis fuit, dum ita clarè professus est: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Ita in editis, in apertis fuêre quotquot in PETRI Fide, in Romana Ecclesia probè docti: liberè illi Religionem professi, non voce tantùm; sed & manu, sed & sanguine, sed & vita: quo in genere, ne antiquiora secter, æternâ memoriâ dignæ fuerunt illæ Willelmi Bavariæ Ducis pauculæ voces, sed multo Fidei, amorisque Divini succo plenæ. *Pro hac omnia*: quæ verba Ecclesiæ symbolo, quod pro argumento habuit, circumponere solebat. Nimirum prò Fide & vocem & animum & opes & amplissimas ditiones & vitam ipsam profundere paratus: *Pro hac* quippè, *omnia.* Ejus exempla. P. Rho. l. 3. c. 1.

Cujus etiam animi fuit invictissimus Imperator Ferdinandus II. qui ut testatum omnibus faceret, quo in Fidem esset animo, clara voce hæc jactare solebat; Malle se nudo pede profugum cum parente ac sororibus apud exteros exulatum ire, quàm pati quicquam detrimenti Religioni inferri.

Sed descendamus ad ultimum propositæ quæstionis caput; Quæ tantæ Fidei merces: eam extulit Servator Optimus, cùm illicò subjecit: Ejus merces

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. Vers. 18. Vers. 19.

Sex dumtaxat voculas ediderat PETRUS, & ecce quæ Christo judice ac remuneratore decreta merces: de qua fusiùs quæstionibus sequentibus.

QUÆSTIO TERTIA

THOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* vers. 18.

QUÆ SIT ILLA PETRA?

Et quæ in eam incurrerint?

Petrus est Petra.



Ix ab ore PETRI exciderat ingenua illa ac libera confessio: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; cùm à Christo audit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et hæc illi prima fuit merces & præmium boni operis.

Ab hoc ei mutatur nomen non sine bono omine: priùs enim dictus est *Simon Bariona*: *Simon*, id est *obediens*, & *Bar-iona*, id est *filius columbæ*. Et meritò: quia ut priùs in Magistrum Spiritus Sanctus specie columbæ

columbæ devolârat ; ita & hic in Simonem Divina revelatione descenderat.

Et inde dicitur *Beatus*, ob novam scilicet Fidei confessionem, quam non à carne ac sanguine, id est non à natura hauserat; sed à Gratia : Fides enim est donum Dei inspirantis & revelantis, & initium omnis gratiæ & gloriæ, imò inchoata quædam beatitudo viæ; uti deinde perfecta visio, beatitudo

[*Ioan. c. 17. v. 3.*]

Patriæ; ita de illa attestante Christo: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM.*

[I. Probatur ex Concilio Ephes.]

Ab hac PETRUS à Synodo Ephesina dicitur Beatissimus :

Ter Beatissimus PETRVS, qui & Petra & rectæ Fidei fundamentum.

Ab hac etiam fideles ita Summo Pontifici : *Beatissime Pater.*

[II. Ex Hieronymo.]

Ab hac denique D. Hieronymus sic olim ad Damasum Papam : *Ego beatitudini tuæ, hoc est, Cathedræ Petri consocior.*

Hanc porrò beatitudinem & PETRUS & Petri Cathedra accepit ex illo Christi Oraculo : *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Contrà illam incurrit Calvinus & Novatores, qui ut PETRO & Pontificibus longa serie secuturis & authoritatem & Primatum detrahant, illa Salvatoris verba sic explicant :

Tu es Petrus, & super hanc Petram, id est super me

[*1. Cor. c. 10.*]

ipsum, *qui sum Petra : Petra* enim *erat Christus.*

[*Tract. 27. in Ioan.*]

Et hanc explicationem avidè ex Augustino arripuit Calvinus, utpotè consonam suo genio: verùm ut eo loco illam protulerit Augustinus; alio tamen genuinam expositionem SS. Patrum admittit. Et Petrum etiam hîc Petram à Christo dici, & verò etiam esse confitetur; sic enim in Sermone de Cathedra Petri.

[III. Ex Augustino.]

Pro soliditate devotionis Ecclesiarum Petra dicitur; sicut ait Dominus, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Petra enim dicitur, eò quod primus nationibus Fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq; contineat. Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur : Sicut ait Apostolus, Bibebant de spiritali consequente eos Petra; Petra autem erat Christus. Rectè consortium meretur nominis, qui consortium & operis. Hæc S. Doctor, qui idipsum alio loco sic confirmat.

[*Serm. 16. de Sanctis.*]

Dignus est qui ædificandis Dei populis petrus esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum.

Deinde cùm loco prius citato pronomen, *hanc*, sit demonstrativum, nullum alium demonstrare eo loco ac tempore potuit nisi PETRUM, cujus hic fiebat mentio, & quem alloquebatur Christus.

Accedit & alia ratio, eaque omninò convincit. Si Christus Latina lingua esset usus, & ita extulisset illud: *Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, nullum dubio locum reliquisset: at non

[IV. Ex lingua Syriaca.]

reliquit in Syriaca qua tum locutus; in hac enim dixit: *Tu es Kepha, & super hanc Kepham*, id est, *Tu es Prira, & super hanc Petram.*

At, inquies, Latinus textus sic vertit: *Tu es Petrus*, Non abnuo; at elegantiæ causa factum pronuntio: cùm enim in Græco, ex quo Latina versio, πέτρος & πέτρα idem sint, & significent Petram, Latinus Interpres maluit vertere *Petrus*, quod est masculinum & quasi viri nomen, quàm Petra quod est fœmininum.

[Petra successores Petri.]

At hæc versio nihil derogare debet aut veritati, aut mysterio, aut illius Oraculi authoritati, quæ inde PETRO, ejusque Successoribus accessit.

De his ita magnificè D. Bernardus ad Eugenium Pontificem :

Quis es? inquit, *Sacerdos magnus, Summus Pontifex; Tu Princeps Episcoporum; Tu hæres Apostolorum; Tu Primatu Abel, Gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Authoritate Moses, Iudicatu Samuël, potestate Petrus, Vnctione Christus.*

[I. Probatur ex D. Bernardo.]

Hæc piè & eleganter S. Præsul, è quo illud ad institutum nostrum annotari velim.

Tu potestate Petrus; ut intelligas etiam in Successores emanasse PETRI Potestatem ac Primatum. Quod & agnoverunt qui primis sæculis vixêre SS. Patres, qui Ecclesiam super PETRUM & Petri Cathedram ædificatam prædicaverunt : quos inter ne alios consecter (quod longum foret) D. Hieronymus, qui consulens Damasum in difficili & implexa tum temporis quæstiune, An scilicet in SS. TRINITATE tres dicendæ essent Hypostases, an una tantùm, sic ei loquitur :

[*Epist. 57.*]

Cum Successore Piscatoris & discipulo Crucis loquor, ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior : super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio.

[II. Ex D. Hieronymo.]

Scio, inquit D. Hieronymus, qui tertio sæculo vixit, & adhuc illibatam intemeratámque Fidem (ut ipsi fatentur hæretici) ab Apostolis & Successoribus illorum accepit; & tamen Novatores nostri, nec sciunt, nec scire etiam volunt, nec illi petræ superædificari.

At, inquies, etiam D. Augustinus eodem sæculo vixit, & illa Christi verba, *super hanc petram*, non

[Explicatur D. Augustinus.]

de Petro, sed de Christo intellexit: Quasi dixisset, *Tu es Petrus, & super me petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Ut hic solvatur nodus : Primùm respondebo, id ab illo sic explicatum ex ignoratione linguæ Hebraicæ & Syriacæ, ex qua Petrum credidit aliud esse à Petra; verùm, ut ostendi Syriacâ linguâ, Petrus & Petra idem sunt.

Deinde alio loco in reipsa Petrum esse Petram, super quam ædificata est Ecclesia, ingenuè confessus; quod ad institutum nostrum satis.

Denique etiam agnovit aliorum SS. Patrum interpretationem esse probabilem : & certè veram, ac certam agnovisset, si, ut dixi, Syriacæ linguæ vim & significationem tenuisset.

Sed ne longiùs : Vidimus quis Christi gratia ac beneficio fuerit PETRVS; quis deinde ex seipse attendamus.

[*Matth. c. 26. v. 69. Vers. 70.*]

Incurrit in illum ancilla ostiaria, & ait : *Et tu cum IESV Nazareno eras : at ille negavit coram omnibus, dicens, Nescio quid dicis.*

[*Ioan. c. 18.*]

Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum contremuit, inquit D. Augustinus; ad sibilnm, ad vocem ancillæ, ac deinde etiam ministrorum, dum unà cum illis sese calefaceret : Ita nimirum, ô PETRE,

[Quid à se Petrus?]

ad *ignem Caïphæ ignem extingues Christi. non te calefaciet, sed comburet flamma, & consortium impiorum.*

Rationem si voles, hanc effert D. Ambrosius : *Ad carbones Petrus stabat, qui algebat affectu*; Algebat, inquam, ante Spiritus Sancti illapsum, qui deinde eo totus arsit.

Hinc vides, ut rectè notat Cyrillus, *Quales ante Christi adventum fuerint Apostoli, & quales postquam ex alto virtute induti.* Priùs relicto eo fugerunt omnes;

[*Beda in c. 14. Marc.*]

Promptiores scilicet *ad fugæ præsidium, quam ad fiduciam patiendi cum Christo*; at postea ubi meliore succensi flamma, ubi in gratia firmari cœlestis Paracleti præsidiis; ante Reges & Præsides stetêre immobiles, equuleis, catastis, fêrro, crucibus, & ipsa morte superiores.

Tantum scilicet Deo præside potest homo proficere, tantum sibi relictus deficere; ut ex eo discas uni Deo fidendum, diffidendum sibi.

[Quid ab occasionibus?]

Dein etiam evitandas occasiones peccati : has quia vitavit Joannes, in Magistri Fide Gratiáque stetit : quia non vitavit PETRVS, ideo cecidit.

[*Serm. 78.*]

Mirum, inquit D. Chrysologus, *cùm comprehenderetur Dominus, Ioannes abjecit sindonem, & Petrus inventus est nudus : quia Ioannem texit fuga, Petrum negatio*

sic

ſic nudavit; Nudavit, inquam, animo, non corpore; Gratia, non veſte.

Ita nimirum *Petrus, quia fugere noluit, abnegavit; Ioannes ne abnegaret, aufugit.* Et tu hujus exemplo, mi Lector, fuga, teque occaſionibus & periculo eripe.

QUÆSTIO QUARTA

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba : *Tibi dabo Claves Regni Cælorum.* verſ. 19.

QVÆ SINT ILLÆ CLAVES?

Lib. 4. Inſtit. c. 6. ALVINVS & ejus aſſeclæ per datas PETRO Claves, primò volunt ſignificari poteſtatem prædicandi; verùm clavibus aperiuntur oſtia, non ora. Deinde remiſſionem peccatorum iis, qui credunt Evangelio eam promittenti: ſed & hoc falſum, quia ſoli Fidei non datur ea remiſſio, ut alibi oſtendi: & verò Claves inſigne ſunt Regum & regentium, non Doctorum ac docentium.

Petri Claves quæ? Igitur, ut ad rem propiùs, id ſtatuo: Per Claves PETRO conceſſas indicari ſummam illius Poteſtatem, tum ordinis, tum juriſdictionis in totam Eccleſiam: de qua priuſquam aliquid paucis attingamus, dico alias atque alias PETRO datas eſſe Claves.

Pronuntiarunt Antiqui, & verè, Deo Creatori ſervatas eſſe has Claves; ſcilicet humani cordis, ac ſecretorum, vitæ ac mortis: Verùm & hæ PETRO communes, quæ aliàs uni Deo propriæ ac ſingulares. Et quidem.

I. Claves cordis. Primò, *Claves humani cordis, ac ſecretorum,* Teſtes volo Ananiam & Saphiram: Vendiderat ille agrum certo pretio, cujus partem quartam cùm afferret deponerétque ad pedes Apoſtolorum; tum illi PETRVS:

Act. c. 5. v. 3. *Anania cur tentavit ſatanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?* Ne verbum dixerat Ananias, ex quo vel ſatanæ tentatio, vel mendacium, vel fraus meditata agnoſci poſſet: hæc omnia latebant in animo, & alto cordis ſecreto arcanoque tegebantur: at hoc & illud, pro ea qua erat Apoſtolicæ mentis intelligentia, pervidit penetravitque PETRVS; cui ſcilicet humani cordis à Deo datæ

II. Claves vitæ ac mortis. Claves, & hinc etiam vitæ ac mortis: & has & illas ſuo malo ſenſêre Ananias & Saphira: cùm enim ſic ad illum PETRVS:

Verſ. 4. *Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus Spiritui Sancto & nobis?* Ad illa Apoſtoli verba, ceu fulmine percuſſus, illicò vitam amiſit & mortem invenit.

Verſ. 5. *Audiens Ananias hæc verba, cecidit & expiravit.* Neque melior Saphiræ uxoris illius ſors fuit: cùm enim ad eam dixiſſet PETRVS:

Verſ. 8. *Dic mihi mulier, ſi tanti agrum vendidiſtis?* Et illa ſubjunxiſſet etiam, *Tanti*; tum ſic ad illam: *Quid*

Verſ. 9. *utique vobis convenit tentare Spiritum Domini; Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te.* En exprobratio facta mendaci animæ, en minæ, en verborum jacula, quibus icta infelix mulier

Verſ. 10. *confeſtim cecidit ante pedes ejus; & expiravit.*

Vides hinc, amice Lector, uti datæ PETRO claves Mortis. Attende quomodo etiam, Vitæ, ad quam vel ſola voce excitabat, revocabatque altè à morte ſopitos.

Act. c. 9. v. 36. Teſtis fuit *in Ioppe diſcipula nomine Tabitha,* quam mortuam & in Cœnaculo jacentem invenit PETRVS: *Ponens genua oravit, & converſus ad corpus*

Verſ. 40. *dixit Tabitha ſurge.* Mirum viſu dictuque! ad duas voculas à ſilenti morte, à profunda inferorum ſpecu excita anima in corpus rediit: *Illa* quippè *aperuit oculos, & viſo Petro reſedit: dans autem illi manum*

Verſ. 41. *erexit eam; & cùm vocaſſet Sanctos ac viduas, aſſignavit eam vivam.*

Ecce vitæ claves: excipe quomodo etiam valetudinis ac firmitatis; Hæ datæ ſunt non PETRO III. Claves ſanitatis.

tantum, ſed quod mireris, etiam ipſius umbræ, in quam ſi venirent ægri, *liberarentur ab infirmitatibus ſuis.*

Infirmitates & morbi quaſi quidam mortis prodromi ſunt & anteambulones: in eos poteſtatem habuit umbra PETRI; in quo ſanè mira vis & Thaumaturgia: ſi corpori ſolido, ſi manui, ſi voci ea conceſſa foret; foret & pro ingenti miraculo: at umbræ (quæ inane corporis ſimulacrum, quæ merâ lucis privatio, quæ nihil eſt) id Cœlo propitio datum eſt: enimverò pro ſingulari & à ſæculis inaudito prodigio. Ad portam Templi ſpecioſam reſederat olim claudus ex utero matris ſuæ, qui ut *Act. c. 3.*

PETRVM vidit, ratus ſibi beneficum fore (ſpirabat enim in ejus vultu, atque oculis, in afflictos miſeratio) eleëmoſynam ab illo ſupplex petiit. Cui PETRVS: *Reſpice in nos.* *Verſ. 4.*

Reſpexit ille ſperans ſe aliquid accepturum ab eo: & verò etiam accepit; non aurum, ut rebatur, aut argentum (exigua enim ſunt iſta, & nullius apud Apoſtolos pretii) at ſanitatem, at greſſum: Sic enim ad illum Apoſtolorum Princeps.

Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do: In nomine IESV CHRISTI Nazareni ſurge, & ambula. *Verſ. 6.*

Meritò, inquit, *quod habeo hoc tibi do*: habebat nimirum poteſtatem faciendi miracula, & quidem permanentem adinſtar habitus: Habebat DEI potentiam in manu ſua, & per eam erat quaſi Omnipotens, & ut cum Gregorio Nazianzeno loquar, *Calamitoſo erat quaſi Deus.*

Dabat quod habebat in manu ſua; ſanitatem, greſſum, membrorumque firmitatem, & veluti quadam miraculorum clavi oſtium aperiebat ad perfectam conſummatamque valetudinem, & eos, qui erant quaſi in aditu mortis, revocabat ad vitam.

Ita hunc ex nativitate claudum revocavit: protinus enim ad PETRI aſpectum vocemque, *conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ,* & ſurrexit, & ambulavit, & exiliit totus non ſine aſtantium ſtupore atque extaſi. Diceres in oculis, in manu PETRI fuiſſe ſanitatis claves: Imò & in voce, quæ ut in aliis ſonus ſit, & quidem inanis; in PETRO vim habuit miraculoſam.

Hanc expertus homo quidam nomine Æneas, *ab annis octo jacens in grabato paralyticus, cui ait Petrus: Ænea, ſanat te Dominus IESVS CHRISTVS: Surge & ſterne tibi: & continuò ſurrexit.*

En amabiles, en ſtupendæ Petri Claves; Claves miraculorum, quas manu verſavit in terris, verſat & modò etiam in Cœlis: quo in genere memoria calamoque dignum illud quod refert Alredus Angliæ Scriptor:

Miſellus homo utroque pede malè contractus, ita ſibi & pedibus redditus: à S. PETRO miſſus eſt ad Eduardum

Eduardum Angliæ Regem, ut ei hæc suo nomine diceret, curatum iri se, si Eduardus eum suis humeris impositum ad Templum S. PETRI à se extructum perferret. Paruit Rex pius, & mendiculum illum in regios humeros sublatum extulit ad sacram D. PETRI ædem, & illicò gressum recepit.

Ecce sanitatis Claves, quas etiamnum, in Cœli regia retinet Apostolus: nec illas tantùm, sed & gratiarum, donorumque cœlestium; cujus probè conscii Apostoli eùm audissent *quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem, ut orarent pro ipsis, & acciperent Spiritum Sanctum.*

IV. Claves gratiarum.

Ita porrò factum est, & factum benè: Primùm enim pro illis orarunt, tum imposuerunt manus super illos, & acceperunt Spiritum Sanctum, etiam signo visibili atque externo quod primò in tria millia, deinde etiam in alia quinque illapsum.

Nimirum PETRO, ceu Christi Vicario, erat aliqua veluti participatio potestatis ejusdem Christi, quam *Excellentiæ* appellabant, vi cujus etiam sine Sacramento, Sacramenti conferret Gratiam, vel certè Spiritum Sanctum impetraret, qui etiam extrinsecus se prodebat, gratiis gratis datis; quales sunt donum linguarum, Prophetiæ, aliaque ejusmodi: quæ dum suspicit, ambitque insolentiùs Simon, Petro & Joanni pecuniam obtulit copiosam, dicens: *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.*

Vers. 19.

Audax omninò & impium facinus, infida mens quæ Spiritum Sanctum & cœlestia dona pecuniolæ pretio emi posse credidit: quod ut retunderet PETRUS: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunià possideri.*

Vers. 20.

Imprecatio est, & maledictio prævidentis Divinam de Simone sententiam & reprobationem: non autem vindictæ studentis, ut rectè annotat Beda: Ex quo etiam id conficio, Petri Claves aperuisse arcana æternæ prædestinationis ac reprobationis, quæ vel maximè abdita sunt in Divina mente, & ab humanis, imò & Angelicis Intelligentiis abscondita.

V. Claves divinorum secretorum.

Venio ad Claves Regni Cœlorum, quæ PETRO cesserunt in præmium ac pretium ingenuæ illius confessionis, quâ, sic ad Magistrum discipulus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Jactavit olim D. Ambrosius, & jure quidem meritissimo, Davidem tribus syllabis PEC-CA-VI, & delictorum veniam, & Numinis gratiam, & inde etiam Regnum Cœlorum impetrasse: at ego paucas illas voculas: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; plus apud Deum & ponderis, & momenti habuisse pronuntio.

Ab his enim PETRUS non solùm Ecclesiæ, quæ in hac mortali regione Regnum Cœlorum est, Claves accepit; sed & Curiæ Cœlestis ac Beatitatis: easque non sibi uni (ut olim David) sed & Fidelibus omnibus in ævum omne, dum eas Claves etiam transmisit ad posteros: quod Divinæ cujusdam fuit potestatis.

VI. Claves regni Cœlorum.

E cruce quondam, ceu è fatali pulpito, oravit ac peroravit latro, & Paradisum à Salvatore pientissimo impetravit brevi; sed nervosa hac oratione: *Domine memento mei dum veneris in Regnum tuum.* Dixit, & è patibulo cœleste Regnum obtinuit: At sibi tantùm: Petrus verò & sibi & aliis ejusdem regni Claves accepit; & hoc unica Fidei professione; tanti apud Christum ponderis ea fuit.

Luc. c. 23.

Valentinus junior, quem regebat Justina mater Ariana, petiit olim sibi tradi Claves Basilicæ Mediolanensis, cui libera voce D. Ambrosius: *Nec mihi*, inquiebat, *fas est tradere, nec tibi accipere*: cùmque obtruderet illud, *Imperatori licere omnia, ipsius esse universa*; subjecit invicti animi Præsul: *Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia: publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.*

Lib. 2. ep. 13.

Ejusdem animi ac constantiæ fuit Hosius Episcopus Cordubensis Concilii Nicæni Præses, qui Imperatori Constantio Ariano, Claves Ecclesiæ postulanti intrepidè respondit, Claves Urbium Imperatori deberi, Ecclesiæ verò soli Pontifici: *Tibi Deus* inquiebat, *imperium commisit; nobis quæ Ecclesiæ sunt credidit*: Et hoc quidem à S. PETRO, ceu capite, in Successores est derivatum; huic enim dictum à Christo: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum.* At quæ illæ Claves? Quæ sint illæ Claves?

Primò *Claves*, sive *Potestas ordinis*, quem PETRUS à Christo accepit, alii deinde Discipuli à PETRO: PETRUS enim à CHRISTO immediatè ordinatus, ut plerique censent; cæteri Coapostoli à PETRO ordines accepêre, ut ab eo tanquam à capite in alia sacri corporis membra ea facultas derivaretur, & Romana Ecclesia omnium esset Mater, à qua scilicet aliæ consecrationem, ac dignitatem accepissent. I. Potestas ordinis. Lorin. in Acta c. 13. v. 6.

Hæ porrò Claves, hæc potestas ordinis est in verum Christi Corpus, quod sacro-sanctis Verbis sub speciebus panis ac vini Sacerdos constituit, in manibus suis sistit, & quocumque voluerit circumgestat.

Ab hac Sacerdotes dicuntur sanctissimi, & luminosi *Throni*, sedesque augustæ Numinis, qui Regem pacificum in Orbem rursus invehunt, atque circumvehunt.

Ita eos glorioso nomine appellandos judicavit Concilium Toletanum, cùm censeret *indignum esse, ut qui Throni Dei vocantur* levi motione, travè turbarentur. 2. Cor. c. 5.

Sunt etiam & aliæ *Claves*, sive *Potestas jurisdictionis*: Has Christus, cujus hæreditas gentes sunt, & terminis terræ possessio, PETRO, ceu suo in terris Vicario, concessit, unaque in totius Mundi & Ecclesiæ possessionem immisit: Quippè *Clavibus traditis possessionem quoque tradi*, certum est Jurisconsultorum axioma. II. Potestas jurisdictionis.

Neque tantùm hujus mundi inferioris, sed & superioris quoque Claves, simulque quodammodo dispositionem tradidit, ut cui vellet ille, aperiret; clauderet cui liberet.

Hinc S. PETRUM Ecclesiæ Principem, & *Cœli judicem* appellavit D. Hilarius: & in jure ac legibus *arbitrium cœleste habere* dicitur. Hinc illud D. Chrysostomi: *Quamvis Petrus, homo fit mortalis, cœlesti tamen pollet potestate.* In Psal. 131. Cap. de Summ. Trin. l. 2.

Eliakim veteris Testamenti Pontifici Maximo dixit olim Deus: *Dabo Clavem domus David*, id est Principatum Synagogæ, *super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Isai. c. 22.

Hæc olim Numen Pontifici Hebræo: Majora Christus Pontifici Christiano D. Petro, cui illud: In Cœlo.

Tibi dabo Claves Regni Cælorum; quod dum attendit ac suspicit D. Hilarius, exclamat:

O beatus Cœli janitor cujus arbitrio Claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata authoritas sit in Cœlo.

Et verò præjudicatam esse probant quæ subjicit ipse Servator: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.*

Duo sunt vincula, quibus teneri potest peccator & in terra & sub terra; culpæ scilicet ac pœnæ.

Vincula culpæ ligat in terris PETRUS, ligant & Petri Successores, dum non solvunt Sacramentali absolutione: & tum etiam ligantur in Cœlis. Ubi è contrario, dum eadem in terris solvit PETRUS dum absolvit; solvit quoque & absolvit Deus in Cœlis: In quo & Divina quodammodo PETRI potestas, & admiranda Dei in PETRUM, ejusque Successores indulgentia; utpotè quorum potestas in Cœlos etiam evadat.

In terra. Vincula pœnæ dissolvit vel in terra dum vivis & adhuc in hac aura mortali spirantibus Indulgentias benignè largitur ex Christi Sanctorumque pœnis velut è cœlesti Thesauro petitas: velequam sub terra; In Purgatorio. puta in Purgatorio, ubi defunctis pares Indulgentias concedit, sive per modum solutionis ac suffragii, sive, ut nonnullis placet, per modum juridicæ absolutionis, eos à pœnis absolvendo; sive denique cùm Michael Medina. unum aliquem vita functum ob scelus in ea commissum excommunicat, privatque Ecclesiæ suffragiis, uti facit hæreticos; aut contrà in vita excommunicatum, etiam post obitum mortem ab excommunicatione liberat, uti liberavit absolvitque D. Gregorius In ejus vita l. 4 c. 45. Monachum cum pecunia apud se contra paupertatis leges defunctum; Et hæc de Petri Clavibus paucis dicta sint.

VII. Clavis Crucis. Descendo ad aliam, quæ etiam illi cum Magistro, id est Christo, communis fuit, qua uni sibi Cœlum aperuit: ea *Crux* fuit, quam non manu gestandam dedit Deus; sed humeris utpotè valentioribus: His Crucem, seu Clavem extulit, seu Imperii & principatus symbolum, ut in illum caderet quoque Cap. 9. v. 6. illud Isaiæ de Christo: *Factus est Principatus super humerum ejus.*

Crux illa, cui humeros supposuit Christus, facta est ei Clavis, qua miseris mortalibus Cœli adita dudum clausa reseravit: Et Petro ea ipsa Crux, in quam ascendit, Clavis fuit qua Beatitatis januam sibi aperuit, & viam fecit ad cœlestem Principatum, quo in Dei Regia super cæteros eminet, & in æternitatem omnem eminebit. Juvat illius diei meminisse, quo ei data à Domino Clavis David.

Romana sceptra tenebat Nero, monstrum hominis, & infensissimus Christianæ Religionis hostis, cui cùm multos addidisset Petrus, & cæteros inter, duas etiam Neronis pellices, quæ ei maximè erant in impuris amoribus, in eum ira furoreque accensus desævire statuit; & quia Christum prædicabat, & hunc quidem crucifixum, eum in malam crucem tollere statuit: Sed ut mala tyranno Crux foret, at Petro erat quàm optima: eam votis ambiebat omnibus; verùm ut quàm tardissimè in illam veniret, optabant Christiani: quorum votis ut satisfaceret Petrus, è carcere etiam vinculisque se subduxit: sed ecce (mirum visu, & simul amabile!) abeunti apparet Magister Christus; quem ut probè agnovit Discipulus: *Quò*, inquit, *pergis, ò Domine*; cui ille: *Vado Romam iterum crucifigi.* Hoc crucem amanti satis fuit: intellexit enim Dominum in se ad crucem iterum vocari; imò & ad crucem vocare, illicò ad vincula redit, ac deinde ad paratam crucem, quam deinde subiit illi affixus inverso corporis situ; capite scilicet deorsum, ut Cœlos aspiceret liberiùs; & pedibus sursum, ut affectibus & amore totus ad Superos iret. Et verò Beatus ivir, viamque monstravit qua ad Deum itur ac Beatitatem; viam scilicet sanctæ Crucis, quæ & illi Clavis fuit, & tibi erit, amice Lector, ad Cœli Regiam, ad gloriam nullo unquam ævo perituram.

IN FESTO
VISITATIONIS
BEATÆ VIRGINIS.

Plin. l. 35. cap. 9.



NTER Antiquiores nominatus ille pictor Xeuxis, ut penicillo designaret & vanis coloribus animaret tabellam quam Agrigentini dicarent templo Iunonis, quinque virgines elegit, sibique ad exemplar proposuit, ut quid in unaquaque pulcherrimum effinxerat natura, hoc in tabella pictoris manus & ars ipsa exprimeret atque imitaretur.

Voles, amice Lector (& certè quidni voles?) in anima tua, ceu Dei templo, aliquam virtutis speciem appingere? Ne multas quære virgines; una tibi Virgo, eaque jam Dei-hominis Mater, in oculis est: abit illa è suo Nazaretho, abit in montana, ad domum abit Zachariæ; hanc & tu mente ac cogitatione subeas, & admissus in penetralia attende quid loquatur, specta quid agat, quid mediretur Virgo Maria, & in ea expressam ad vivum virtutum omnium formam intuere, atque in teipso exprime. Ut porrò exprimas te per pauculas quæstiones ad interiora sacratæ domus adita veluti manu ducam: ducentem quà licet, sequere, & quod ex bono tuo erit assequêris.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Exurgens MARIA abiit.* Lucæ cap. 1. vers. 39.

CUR AD COGNATAM ABIIT MARIA?

Rationes. *In c. 1. Luc.*

HEOPHILACTUS censet abiisse ut probaret re etiam ipsa, veráne essent quæ verbo de Elizabetha à bono Angelo acceperat: quod fuit in illa prudentiæ, cui tuta Fides, quæ tarda.

Ibidem. Verùm errat Theophilactus: ut enim cum D. Ambrosio loquar: *Non abiit quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio.*

I. *Ut Baptistã peccato Originali liberaret.* *Orig. hom. 7. in Luc.* Abiit, inquam, primò ut infantulum adhuc materno carcere clausum, & quod malorum caput est, Originalis peccati vinculis implicitum, liberaret: tantùm apud Virginem potuit vel infelicis illius animulæ miseratio, vel zelus Divinæ gloriæ jam inde ex Matris utero propagandæ, dum etiam in eo sanctificatus Joannes, & opportuna MARIÆ Visitatione, & Verbi in ea Incarnati gratiâ singulari. Senserat Virgo Mater, Patris Æterni Filium longissimo viarum intervallo, quale vel è Cœlo Empyreo in terras, vel è sinu Patris in sinum Virginis, abiisse à se quodammodo, & à Cœli Regia, ut hominem à peccato perditum sibi, Patrique redderet: Et inde hujus charitatis æmula abit & ipsa è Nazareth, primò Jerosolymam, deinde in Civitatem Hebron, quæ Zachariæ Civitas & sedes erat:

Abit, inquam, itinere leucarum omninò octo, ut Joannem Baptistam eodem gratiæ beneficio donaret, bearetque, non sine gravi suo incommodo dum montana juga superare debet tenella Virguncula: cujus imitatores Apostolici viri per longa terrarum spatia sparsas & vagas animulas quærunt, & Deo suo redonant per Baptismi & Pœnitentiæ gratiam.

P. Rho l. 7. c. 8. Ita, ne vetera consecter, nostro ævo S. Franciscus Xaverius peregrinationes suscepit nudo pede, modò per ferventes arenas, modò per gelidas nives, modò per horrentes aculeis vepres.

Ita Lambertus Laërtius è Societate JESU tertiò Indicam peregrinationem suscepit animarum lucro, ea austeritate, & pia quadam in illis peregrinationibus sævitia, ut quadraginta totos annos lectulo abdicato, somnum ceperit sedens, etiam cum tertiò ea Italia ad Indos abiit: quod in afflicta morbis & annis ætate, & longis ac laboriosis peregrinationibus longè difficillimum fuit.

II. *Ut Elizabethæ inserviret.* Nimirum heroibus illis animos faciebat Christus è Cœlis in terras peregrinus, & pia Virgo ad Zachariam & Elizabetham peregrina, quæ eò etiam abiit, ut ad hanc veniret quasi famula.

Hom. de Visit. *Ut mulieri provectæ ætatis Virgo juvencula ministerium sedula impenderet*, inquit Beda: quod charitatis fuit, & eximiæ cujusdam demissionis, ubi Domina ad famulam, Regina ad subditam, Dei Mater ad Elizabetham venit.

Eos porrò humilitatis spiritus hauserat à Filio, quem utero gestabat: sciebat enim formam servi accepisse, ut in ea Dominus ipse servis suis, Imperator Cœli & terræ subditis, Deus homini ministraret; quod primum fecit ubi ad Virginem Majestatem inclinavit suam.

Deinde cùm inter Discipulos fuit quasi minister; ut qui venerat *ministrare, non ministrari.* *Matth. c. 20. v. 20.*

Denique etiam Cœlis redditus & immortalitati. Ex illis enim descendit aliquando, ut fidelibus sibi famulis inserviret.

Bollandus in ejus vita, 4. Ian. c. 10. Ita inservivit B. Angelæ de Fulginio: Cùm enim jaceret hæc in lectulo prostratis à morbo viribus ei se visendum dedit; & hæc illi: *Ego veni ad serviendum tibi.* Et verò famulæ suæ inservire Dominus; nam & ad lectulum stare, & quà oculis benignè annuentibus, quà sereno vultu, quà etiam sacris manibus ministrare.

Et hic fuit demissionis Christianæ spiritus, quem & in Virgine Matre, & in Virginis Filio suspicimus atque demiramur; utinam & imitemur.

Nos abjectæ in terras animæ, pusillique homunciones subinde tædio afficimur, si quando vel ex instituti nostri ratione, vel ea lege charitatis alteri sit serviendum. Ita enim nobiscum ipsi malè ratiocinamur. Quid ego illi, & illi hæc obsequia? ego ex avito sanguine, è stirpe nobili, homini de vulgo, de trivio? enimverò non faciam. Hæc malè sanus animus, hæc elatæ mentis tumor; quem illicò retundet illud Christi ad Discipulos: *Non veni ministrari, sed ministrare.*

Henriquez in Lilio Cister. Dist. 10. c. 8. Ita retudit aliquando in nobili Domina Sybilla de Gagis: hæc cùm D. Lutgardi dudum ægræ inservisset, tandem illius officii aliquando pertæsa, à Christo audiit hanc vocem: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Audiit, inquam, & altè admisit in animum, sensitque eâ se argui de suo illo tædio, monetique ut imposterum studiosiùs ei inserviret, edocta vel ipso Christi exemplo, quod deinde imitari voluit: uti in primo surgentis Ecclesiæ limine imitati Apostoli, & viri Apostolici

Act. c. 20. v. 34. Ne omnes producam, Paulum audi; sic ille quondam: *Necessitatibus meis, & eorum, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

Manus, inquam, istæ tot prodigiorum administræ, manus istæ sacris initiatæ, & sibi & aliis ministrarunt, ministravit & Paulus quantus fuit.

Hom. 40. in Ep. ad Cor. *Ille*, inquit D. Chrysostomus, *ille Orbis præceptor, & vir Cœlo plane dignus: servire mortalibus innumerabilibus veritus non est. Tu nisi post te multos servorum greges trahas, turpe putas. Hinc manus contulit Deus, hinc pedes, ne servis scilicet egeremus. Examina servorum quid sibi volunt?*

Quod Paulus fecit, quod Apostoli, hoc & viri Apostolici: quos inter S. Franciscus Xaverius, qui licèt in Indias venisset cum potestate Legati Apostolici, nullum tamen ministrum admisit, servum omnino nullum, etsi & hunc, & illum Regis Lusitaniæ Orator offerret. Imò quod in eo suspicias atque ames, & in navibus ipse, & in Xenodochiis omnibus ministrabat: cumque ei nonnemo objecisset, id porrò indignum Legato Apostolico, modestè, ut aliàs semper, ita respondit:

Nihil dignius esse humilitate & caritate Christiana, quæ omnibus omnia fit, ut omnes lucrifaciat, quam Christus assiduè verbo & exemplo tota vita sancivit.

Quod sancivit Christus, sancivit & Christi Mater, cum adhuc utero gestans; & hinc ad Elizabetham famulandi studio ascendit etiam per ardua montium, non sine labore, sudore, & ingenti defatigatione.

III. Illi cognatæ gratularetur.

Sed & alia istius Visitationis fuit ratio, ut cognatæ de admirando Filii conceptu gratularetur: habent nimirum illud præcelsæ mentes, alienis bonis perinde ac suis gaudent, curruntque in odorem unguentorum Dei sui. (C. 1 in Cant.) Conceptus, quem sterili dederat, pretiosum erat unguentum, inquit Rupertus: ejus illecta est odore MARIA, dum ab Angelo audit Elisabetham jam uterum gestare, & in eo Messiæ Præcursorem: hinc abit, currit, evolat in montana cum festinatione, quia trahitur odore alienæ felicitatis; quod excelsi animi est, & eximiæ cujusdam caritatis, (1. Cor. c. 13.) quæ ut ait Apostolus, *non æmulatur*; sed omnium bonis congaudet: ut enim Sol radiis umbram; ita Charitas splendore suo invidiam expellit, & omnibus lumen affert etiam de suo, nemini umbram ac tenebras: In quo videbis, mi Lector, animum caritate plenum Soli similem, qui ut omnes illuminat, ita nemini Ecclypsim facit: è contrario invidos Lunæ similes; hæc enim ut à Sole illuminetur, ita & Solem Ecclypsi sua obscurat: Sic faciunt invidi, omnibus umbram offundunt, omnes obscurant quà possunt, maximè verò felices ac pinguiores; hos enim invido ac maledico dente devorant: in quo similes sunt vaccis illis macilentis, quas in amœna somni specie vidit Pharao pingues & (Cap. 5.) crassas devorare: Similes etiam cantharidibus, quæ lætioribus frumentis & rosis odoriferis insident, & inhærent quàm maximè; non carduis, non infelici lolio: sic invidia miseros non tangit; sed eos qui bonorum copiâ abundant, vel odore virtutis ac gloriæ præstant. Sed de hoc mortalium vitio satis: ad Virginem redeo.

Spectasti in illa præclara virtutum decora; zelum scilicet alienæ salutis, insignem animi demissionem, & charitatem invidere nesciam. Age in eam oculos animúmque fige. *In illa* quippè *velut in speculo refulget forma virtutis.* (Ambrof. l. 2. de Virgin.)

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Abiit in montana cum festinatione.* vers. 39.

CVR CVM FESTINATIONE?
Et cur in montana?

Rationes illius festinationis. — Baronius.

T primùm inhæream litteræ, deinde delabar ad mores, mysticumque sensum, dicam Virginem abiisse in montana, quia abiit in Civitatem Hebron, quæ & in montanis erat, & ad Sacerdotes spectabat, & in qua sedem fixerat Zacharias & ipse altissimi Sacerdos.

Distabat autem Hebron ab Jerusalem itinere octo ferè horarum; & hoc cum festinatione decurrit pia Virgo Deo jam plena.

Rationes illius festinationis alias atque alias recensent SS. Patres:

(In Luc.) Prima est D. Ambrosii; sic enim ait: *Festinavit Virgo ne extra domum diu moraretur in publico.*

I. Quia in publico.

Nimirum publicum fugiebat Virgo castissima, & quà poterat spectantium oculis sese celerrimè subducebat, quantum modestiæ, decorique ratio patiebatur.

(Novarin. l. 1. Umb. Virg.) Inde factum autumant nonnulli, ut subinde Virgo hominibus invisibilis incederet, uni Deo Angelisque spectanda.

Nimirum illam mortalium oculis etiam miraculo eximebat invisibile Numen, & Verbum in ea Incarnatum, quòd sic eximi gratum crederet vel ejus pudori, vel modestiæ.

Quòd si alias in conspectum venire, in oculos obviorum incurrere debuisset, iis sese eripiebat quàm citissimè.

Piscem aiunt esse, cui nomen est *umbra*, non solùm à colore, sed à natatu tam celeri, ut oculos effugiens non tam piscis, quàm umbra piscis videatur: Sic & Virgo Mater ad cognatam abiit ea festinatione, ut mox elapsa non tam Virgo, quàm umbra Virginis ex oculis excessisse videretur. Hinc inquit D. Ambrosius:

Discite Virgines non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones; MARIA in domo sera, festinat in publico.

Et verò quidni festinaret cæteris exemplo futura, ut quà liceret virorum oculos aspectumque fugerent: oculi enim dum aspiciunt Virginem, quasi constuprant; & videri, quædam est constupratio Virginitatis.

(Gen. c. 41.) Audi Tertullianum gravem morum censorem, libro de velandis Virginibus:

Omnis, enim inquit, *publicatio Virginis bonæ, stupri passio est.*

Quasi diceret, Etiam Virgo bona oculos passa, quod tuebatur amisit, & tota non jam Virgo est.

Denudasti puellam à capite, inquit Septimius, *& tota jam sibi Virgo non est: alia est facta.*

Quod si etiam invitè visa, *alia facta est*; quid si sponte sua se in oculos ingerat; quid si vaga cursitet? Qualis demum erit? Certè penitus alia à seipsa, nec jam amplius Virgo: Et hoc teste, ac judice D. Cypriano, qui sic olim de babitu Virginum:

Dum liberius evagari Virgines volunt, esse Virgines desierunt, furtivo dedecore corruptæ.

Furtivum dedecus appellat, oculos spectantium, qui suffurantur decus castitatis: & quia hujus imprimis amans ac retinens erat Virgo Mater; ideo in eo, quod ad Elizabetham suscepit itinere, festinavit, & Virgines in publico festinare docuit: Et hæc prima ratio.

II. Impulsus Spiritus Sancti.

Accedit & altera; gratia scilicet, impulsusque Spiritus Sancti, quo jam plena erat Virgo Mater, vel ipso teste cœlesti Paranympho, qui sic ad illam: *Ave gratia plena.*

Plena enimverò, ut meritò *gratiarum pelagus, thesaurum sanctitatis*, appellarit D. Damascenus. (Orat. 1. de Nat. Mar.)

Plena gratiis *MARIA*, quia fuit *officina Spiritus Sancti*; ut rectè Arnoldus Carnotensis. (Tract. de Laud. Mar.)

Plena Virgo sancta, quia totam sibi hauserat Spiritus Sancti gratiam, ut scitè Doctor Angelicus: (In catena ad 1. Luc.) Quid ergo mirum si adeo festinarit? Si moras nescierit? *Nescit* enim *tarda molimina Spiritus sancti gratia, qua* (Ambrof.) *tum vehementiùs impellebatur*; & ita quidem ut in alios spargeret, idque quàm celerrimè; quod proprium est benefici & liberalis animi: Non enim Divæ Matri quod plerisque mortalibus, quibus, ut adverrit Seneca:

(L. 2. de benef.) *Hoc vitium ambitione pravâ differendi promissa: ne minor sit rogantium turba, nihil confestim, nihil semel faciunt: Injuria illorum præcipites, lenta beneficia sunt.*

In quo profectò peccant, Primò contra beneficentiæ leges: ut enim Stoicus:

Omnis

Omnis benignitas properat; & proprium est liberaliter facientis, cito facere.

Peccant deinde in ipsam beneficii gratiam, cui tantum demitur, quantum moræ adjicitur.

Quid tu, non intelligis tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis, inquiebat Publius.

Hoc probè intelligebat Virgo Mater, quæ ut erat *Gratiarum pelagus, Thesaurus Sanctitatis, Officina Spiritus Sancti*, gestiebat in Elizabetham Joannemque infundere quod hauserat; idque quàm citissimè, quia mirum quantum benefica ac liberalis.

III. Cursus in stadio virtutis.

Addi potest & alia causa, quod in suscepta illa ad cognatam peregrinatione, videretur sibi Virgo quasi quoddam virtutis stadium ingressa; profundæ scilicet demissionis, altissimæ caritatis, devotionisque eximiæ. Ideoque *sicut is, qui sensibilem cursum magna contentione peragit, nullum occurrentium videt, animo ad cursum intento; facile omnia transit festinans ad destinatum scopum*: Sic & Virgo virtutis lycæum ingressa, totam se cursui dabat, festinabatque ad Elizabethæ domum, velut ad scopum, quem virtutum ergò petebat.

Chrysost. hom. 18. in Gen.

Ita nimirum festinant illustres animæ, probè consciæ illius, quod olim D. Ambrosius: *Vberes fructus habet celerata devotio.*

L. de Acha. c. 5.

Ita festinavit Sponsa Sponsi amantior, ad quem sic animo, sic voce: *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Magna* quippè *est hujus odoris ad cursum vis*: Odor enim ille, odor est virtutis, odor vitæ; & *ob hoc qui non currit, aut mortuus est, aut putidus*, ut rectè pronuntiat D. Bernardus.

Serm. 82. in Cant.

Ita festinavit olim Abraham ut tres viros, ex vero autem tres Angelos, hospitio exciperet; de quo sic aureè Chrysostomus:

In Gen.

Currit & volat Abraham; vidit enim prædam, quam venabatur: quasi diceret, Magna negotiatio est, magnus thesaurus, per memetipsum hanc mercem inferre debeo.

Præda illa, virtutis est exercitatio, opus caritatis ac misericordiæ, ad quod currit Abraham, currit anima Deo plena, ut canis venaticus illectus odore leporis.

Ad hunc porrò cursum invitat vel ipsa virtutis natura; de qua sic Aristoteles: *Virtus venatio pulcherrima vitæ.* quasi diceret Virtutem ea animi propensione, eo impetu, ea festinatione quærendam esse, qua venator prædam, qua certè nulla ditior, nulla nobilior, nulla rarior est Virtute: quæ ideo dicitur, & est *venatio pulcherrima vitæ.*

Est & negotiatio, qua bonorum operum quæruntur merces, & ex iis cœleste præmium, & repositus in æternitate thesaurus: quem qui Fidei & intentionis oculo aspicit; currit, & nullum videt ex hominibus, etsi per amœna prata, etsi per arida & aspera loca transeat: quia nimirum *non aspicit ad spectatorem; sed ad præmium: & in hoc solum est ut currat, ut præmium consequatur.*

Chrys. hom. 7. ad Heb.

Et ita cucurrit Abraham: nec ille solus; sed quisquis in ea familia alumnus fuit: ut enim doctè advertit Origenes:

Hom. 4. in Gen.

Abrahamus currit, uxor festinat, puer accelerat, nullus piger est in domo sapientis.

Rationes Cur in montana.

Nimirum cùm hospites vidit Abraham, sedebat in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei, id est, in æstu caritatis; quo cùm ferveret, ea operatur alacritate & festinatione.

Ita, ut ad Virginem redeam, à qua paululùm digressus sum, cùm sedisset MARIA in oratione, in fervore diei, id est, Incarnatæ lucis ac Solis Divini Verbi: *Exurgens abiit cum festinatione*: sed quo? In montana.

Et hinc descendo ad secundum caput propositæ initio quæstionis, in qua à littera ad mores deflecto mysticumque sensum.

Montes imprimis amavit MARIA: & certè jure meritissimo.

I. Montium amor.

Primùm, quia è monte descendit felici sanè partu; ut enim piè D. Damascenus: *Ioachim & Anna tanquam spirituales montes dulcedinem stillarunt*, id est MARIAM; de qua sic ore præsago Joël: *Et erit in illa die, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Dulcedo MARIA, quæ scilicet Mundum universum vera supernaque dulcedine perfudit; vel ipsa teste Ecclesia, quæ sic ad illam. *Vita, dulcedo, & spes nostra, salve.*

Orat. 1. in Nat. Virg.

Cap. 3. v. 18.

Mons deinde fuit & ipsa Virgo; de qua sic olim Isaias: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles.*

Cap. 2. v. 2.

Mons enimverò fuit MARIA; & quidem in vertice montium, id est Sanctorum: quia, ut explicat D. Gregorius, *Altitudo MARIÆ supra omnes Sanctos effulsit.*

Lib. 1. c. 1. in lib. 1. Reg.

Mons fuit elevatus super omnes colles, quia *omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit.*

Mons denique *sublimis MARIA, quæ ut ad conceptionem Verbi Æterni pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit.*

Ex hoc porrò *monte abscissus est lapis*; Lapis, inquam, angularis, id est Christus, & quidem *sine manibus*, hoc est, ut exponit S. Augustinus, *sine opere virili.*

Dan. c. 2. v. 34.

Tract. in Ioan. c. 1.

Ex hoc monte prodiit Sanctus: *Sanctus* enim, ut ait Propheta, *de monte Pharan*, id est umbroso; quia ut ex eo nasceretur Christus, *Virtus altissimi illi debuit obumbrare*, ut & nos pusilli mortales sub ejus umbra æstum ardorémque Divinæ Justitiæ falleremus.

Habacuc 3. v. 2.

Ecce ut mons MARIA, & quidem *Mons domus Domini*, in quo beneplacitum fuit Deo habitare.

Et quid ergo mirum si montes amat, si pergat ad montana, quibuscum altitudine sua ac dignitate convenit.

II. Arduorum amor.

Sed & alia Ratio Virginem duxit ad montana: *Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet?* Ad superiora, inquam, id est, ad ardua virtutum.

Ambros.

Ardua erat Humilitas, ardua corporis animique demissio, qua se Regina Cœli, Domina mundi, Dei Mater Elizabethæ submitteret: submisit tamen humilibus ac domesticis officiis, quibus se totam impendit mensibus tribus; quod eximiæ & raræ humilitatis fuit: ut enim scitè D. Bernardus:

Non magnum est esse humilem in abjectione; magna prorsus & rara virtus, Humilitas honorata.

Tom. 4. super Miss.

Et ea Divæ Virginis fuit: *In profunda se dejecit, quæ invitabatur ad alta, & à dominatu ad ancillatum animum convertit & corpus.*

Cassian.

Ita nimirum *devotus animus insulis beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit*, ut aureo stylo notat D. Chrysologus.

Serm. 142.

Et ita crevit Virgo Mater, non solum ad Dei sui, ad Filii obsequium; sed, quod ames ac mireris, etiam ad Cognatæ servitia quantumvis abjecta.

III. Caritatis impulsus.

Et hoc fuit abire in montana, in quæ duxit etiam officiosa caritas, ex qua desumi solet vera magnitudo & celsitas.

Quantitas cujusque animæ æstimetur de mensura caritatis: quæ multum habet caritatis magna sit; quæ parum, parva; quæ vero nihil, nihil, inquit D. Bernardus.

Serm. 27. in Cant.

De Deo pronuntiavit olim Christi scriba Ioannes: *Deus Charitas est.* & de Virgine Dei Matre dixit Sponsus: *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam.* Hebraicè *Ahaba*, id est, *Charitatem*, Græcè ἀγάπην, hoc est, *dilectionem* & *amorem.*

Epist. 1. c. 4.

Cant. c. 3.

Septuaginta

Et verò quidni Charitas esset, dilectio & amor, quæ amicta erat Sole, id est Increatâ Sapientiâ, & Spiritu Sancto, hoc est Divino amore, obumbrata: Atque ut ea esset testatum voluit ea ista ad Elizabetham peregrinatione, quam ex charitate suscepit, ac per-

ac perfecit obsequiis charitatis; vix enim à cœlesti raptu, cui quodammodo indormierat in Divini Verbi conceptione, evigilarat *Dilecta*, id est *Caritas*, id est *Dilectio*, id est *amor*, id est *Virgo*; cùm ad Cognatam perrexit admiranda festinatione, urgente scilicet & alas addente eadem caritate: Et hoc certè
IV. Miserationis. fuit abire in montana, quo etiam eduxit Misericordia germana Caritatis soror.

Serm. 1. in Parasc. Concipimur & nascimur universi *Naturâ Filii iræ*, inquit D. Bernardus: At *cujus ira Filii? Filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis*: & ita conceptus, ita nasciturus erat Ioannes. *Nunquid non misericordia multa opus habebat tanta miseria?* Opus enimverò: At unde petetur illa? Utique à Virgine matre, quæ ubi Deum concepit, concepit & viscera misericordiæ, quibus miseriam omnem à Ioannis animula pelleret; etiam in materni uteri ergastulo.

Erat animula illa in alta ignorantiæ nocte; rationis quæ naturæ oculus est, & Fidei quæ mentis, omninò expers: Rationis usum & Fidei lumen attulit Virgo Mater; Nunquid magna miseratio?

Erat animula illa paupercula, nuda, abjecta, sordida, infecta Originali labe ac macula: eam eluit pia Virgo detersitque, & Gratia, ceu cœlesti veste, donavit, & caritate, aliisque virtutibus ornavit; Nunquid magna miseratio?

Erat animula illa captiva mali dæmonis: fatendum enim quod re etiam ipsa compertum, tartareos hostes in nobis peccatum Originale, ceu victoriæ suæ vexillum, erigere: cujus probè conscius David, cum alto gemitu exclamarat, *Posuerunt signa*
Psal. 73. *sua sicut in exitu super summum*; hoc est, interprete Theodoreto, *Supra portas nostras*; vel ut D. Hieronymus, *In introitu desuper*: Supra portam, inquam, supra introitum, id est, conceptiones nostras, quibus ad vitam ingredimur, posuerunt peccatum Originale, ceu vexillum, ceu trophæum victoriæ de infelici animula reportatæ: Et ita posuerunt etiam in Ioanne: at suo appulsu bellatrix Virgo hostile vexillum excussit, peccatum Originale dejecit, & Ioannis animam, ceu arcem, recuperavit, & Filio suo reddidit; Nunquid & in hoc magna miseratio? Nunquid & iter arduum in montana? Ad hæc exemplo suo nos evocat Virgo Mater, taciteque docet, V.
quòd omnis anima, quæ Verbum Dei mente concepit, illicò excelsa virtutum cacumina gressu conscendat amoris. Exempli boni.

Ita conscendit olim Regius Vates, qui hæc de seipso; Dei tamen gratia ac beneficio: *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, super excelsa statuens me.* *Psal. 17.*

Ita conscendit olim, imò & evolavit patiens Iobus, qui hæc de seipso, & de anima Deo plena
Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila? & ponet in arduis nidum suum? *Cap. 39.* Non humi, non in humili myrteto, sed in sublimi, in altissima Cedro, in montis excelsi vertice nidum struit Aquila: non in terra, sed in Cœlo nidum ponit anima, dum quietem suam in virtutis statione, in cœlestium desideriis, in Deo uno collocat, nihilque terrenum appetit, aut desiderat.

Et certè *nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est*, ut eleganter D. Cyprianus. *Ep. ad Donat.*

Ut is esse possis, mi Lector, Virginem imitare, & sequere in montana, in ardua virtutum; &, si vacat, Senecam audi etiam Christianè propè monentem:

Relinque divitias, aut periculum possidentium, aut onus: Relinque corporis voluptates; molliunt & enervant: Relinque ambitum; tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum. Ad Sapientiam, id est, ad virtutum studia te dirige. Si conscenderis hunc verticem, cui se fortuna submisit, omnia sub te, quæ pro excelsissimis habentur, aspicies. *Epist. 84.*

QUÆSTIO TERTIA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ut audivit salutationem MARIÆ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus.* vers. 41.

QUÆ ILLA SALUTATIO? QUÆ EXULTATIO? Quisve infantis motus? Et qui ab illo fructus?



Bi Divinum Verbum mente concepit Virgo, illicò è Nazareth discessit, & itinere tridui Jerosolymam venit; ut instante festo Paschatis in Templo & se & quem gestabat in utero Filium Æterno Patri offerret. Deinde via diei unius Hierosolymis transiit in Hebron, quæ prima erat urbs Sacerdotalis in montanis Judææ sita, & in qua Zachariæ domus; de qua sic Adrichomius in descriptione Terræ sanctæ.

Domus Zachariæ Sacerdotis uno milliario distabat ab Emmaus, juxta montana. Domus illa adhuc habitabatur in pago tempore s[a]ligniaci quam reverenter salutare consueverant peregrinantes, ibique natus est Ioannes Baptista, circumcisus, & in spelunca absconditus, ne cum pueris Bethleemiticis ab Herode occideretur. In superiore ejusdem domus loco, quondam fuit Ecclesia, hodie penitus destructa: fuerat autem fundata eo loco, quo Zacharias repletus Spiritu Sancto prophetavit: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Vers. 40. Hanc porrò domum post iter quatridui *intravit MARIA, & salutavit Elizabeth.* At quæ salutatio?
Quæ salutatio? Ea quæ Hebræis usitata. *Pax tecum.* Unde Syrus vertit. *Precata est pacem*: Quid enim potius?

Verbum Incarnatum, Deum hominem, Christum Domini Virginali gestabat utero, adeoque & *Pacem*.

Ipse enim est pax nostra, qui facit utraque unum. Quid *Ephes. c. 2. v. 14.* ergo precaretur nisi pacem, qua erat plena, & quam, mundo jam conceptam, erat aliquando paritura?

Significabat, inquit Theophilactus, *evanuisse bellum antiquum*, quod Cœlum inter & terram, Deum ac hominem intercesserat; & hoc à Christo, qui, ut ait D. Cyrillus, est *Pax omnium*, ut *quæ Divina humana sociat, ima summis*, inquit D. Bernardus. *L. 12. in Ioan.* *Serm. de Circum.*

Significabat, inquam, & verò etiam apprecabitur quietem & tranquillitatem: *Pax* enim, ut ait D. Cyprianus, *est fida tranquillitas, stabilis, firma, & perpetua securitas.* *Lib. 12. in Ioan. c. 54.* *Serm. 1. de Circum.*

Significabat denique atque precabatur salutem, prosperitatem, felicitatem, adeoque & omne bonum; quod suo quasi sinu Pax involvit. Ita quondam David de Absolone sollicitus à servis exquirere *2. Reg. c. 18.* paternum illud: *Estnè pax puero Absalon?* Hoc est, estnè illi quàm optimè; Salvusnè est, atque incolumis?

lumis? Sic & Virgo dum Elizabethæ pacem apprecatur, salutem quoque precatur ac vovet, in eaque prospera omnia & illi & filiolo quem utero gestabat.

Audit hic Virginis salutationem, & illa peri se sensit & à Matre & à Filio quem conceperat: ut enim Theophilactus: *Vox Virginis, vox erat Incarnati in illa Dei.*

Christus quippè, ut annotat Euthimius, *locutus, est per os Matris suæ; Ioannes autem audivit per aures Matris suæ, & agnito Domino sua exultatione illum prædicavit.*

Quæ exultatio? Sed hinc altera quæstio, quæ fuerit illa exultatio? Quis infantis in utero motus? An is naturæ vi, atque impetu, an Gratia superiore excitatus? An animalis? An rationalis? hoc est, an Infantulus exilierit cum aliquo sensu usuque rationis, adeòque lætitiâ propriè dictâ exultarit? An verò motu corporis dumtaxat, eo ferè modo, quo in utero Rebeccæ olim movebantur & inter se collidebantur Jacob & Esaü?

An animalis? Calvinus, qui Gratiæ detrahit quidquid potest, æstimat naturalem & animalem fuisse motum: quia, inquit, naturâ comparatum illud, ut dum mater præ gaudio gestit; infans quoque in utero moveatur, & quasi exiliat.

An rationalis? Contra SS. Patres omnes, & Doctores orthodoxi, sentiunt motum illum, saltumque supernaturalem fuisse. Ita S. Augustinus, cui addunt alii etiam rationalem extitisse: *Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum*, inquit ore melleo Divus Ambrosius. Cui hæc aureâ eloquentiâ subjicit D. Chrysologus:

An supernaturalis? *Beatus Ioannes, qui ante Dei spiritu meruit intonare, quàm hominis vagiret in fletu: Beatus, qui ante Divina possidere meruit, quàm sortiretur humana: Beatus, qui ante meruit Cælum scire, quàm terram: Beatus, qui antequam videret præsentia, futura meruit nuntiare: Beatus, qui ante Deum capere potuit, quàm suo ipse caperetur à corpore: Beatus, qui antequam saperet quærere, meritum conquisivit: Beatus, qui non pervenit ad gratiam per laborem; sed ad labores ipsius gratia dignatione descendit.* Serm. 88.

Qui ab illa fructus? Hæc S. Præsul, ex quo paucis deduco, qui ab illa exultatione Cœlo benigniore proventus: Et quidem

Primus. Primò, Infantulo semestri, & adhuc in uteri carcere acceleratus usus rationis supra naturæ leges & pacta.

Secundus. Secundò, inditum Fidei, & altissimæ cognitionis donum, quo Verbum in utero Virginis Incarnatum agnosceret: & in hoc *beatus, qui ante meruit Cælum scire & Cœli Dominum, quàm terram: Beatus, qui ante Deum capere potuit quàm suo ipse caperetur à corpore*; Cœlum autem scivit scientia Fidei, Deum cepit ejusdem Fidei captu atque conceptu.

Tertius. Tertiò, additum illi & Prophetiæ donum: Hinc beatus, *qui antequam videret præsentia, futura meruit nuntiare*; Nuntiare, inquam, quasi jam esset vox Christi & præco judicis: & hinc iterum iterumque beatus, *qui ante Dei spiritu meruit intonare, quàm hominis vagiret in fletu*: *nuntiavit* autem, *atque intonavit Prophetica exultatione commotus, quasi etiam intra matris viscera clamaret*,

Serm. de Epiph. *Ecce Agnus Dei*, inquit S. Leo; quo interprete ipsa exultatio muta quædam vox & clamor fuit, qui etiam ad Elizabethæ matris aures animumque pervenit.

Quartus. Quartò adjecta Gratia sanctificans, unaque etiam Spes, Charitas, aliæque virtutes morales, quæ Gratiam, ceu Reginam pedissequæ, comitari solent: & hinc vel maximè *beatus, qui ante Divina possidere meruit, quàm sortiretur humana: Beatus, qui non pervenit ad Gratiam per labores; sed ad labores ipsius Gratiæ dignatione descendit.*

Quintò, accessit & meritum, & ingens omninò augmentum Gratiæ per eos ipsos actus, quos semestris infantulus etiam in utero elicuit; Fidei scilicet altissimæ, Spei firmissimæ, Caritatis ardentissimæ, Adorationis profundissimæ, imò & disertæ Prædicationis ex Prophetiæ dono. Ita nimirum *tunc Præcursorem suum, Prophetam fecit* IESVS, ut rectè notat Origenes. Quintus.

Quintò, deletum eo ipso instanti peccatum Originale, & lethalis inferni character.

Sextò denique, & mater ipsa repleta Gratiâ donoque Prophetiæ: & hoc beneficio filii quem gestabat. Hic enim Spiritu Sancto repletus, replevit & matrem, & suo saltu excitavit ad indagandum Incarnationis mysterium quod latebat: & hoc statim ab ipsa Virginis salutatione, cujus *vocem prior audivit Elizabeth; sed Ioannes prior gratiam sensit. Exultavit infans, repleta est mater: non priùs mater repleta quàm filius; sed cùm filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit & mater*, inquit D. Ambrosius. Sextus.

At unde, inquies, replevit? Unde repletus & ipse; scilicet & à Virgine & à Virginis Filio. Et unde?

Adest enim *illi Deus, & Homo; Mater, & Virgo; Caro, & Verbum; Lux, & illuminans; Misericordia & Veritas; fœcunda Virginitas, Æterna novitas, Nova æternitas, Divina humanitas, Humilis sublimitas: & in his omnibus misericordia fabricatur*, inquit Petrus Damianus. Serm. in Virg. Nat.

Pulchrè *in his omnibus misericordia fabricatur*; quia *fœcunda Virginitas.* A Virgine.

Vis nosse quàm fœcunda vel in uno Joanne?

Primò Virginem fecit: imò & Virginis Filium. *Ioannes Virginis Matris in Virginitate filius fuit; cujus illa, si non carnem, carnis tamen integritatem edidit; & illum si non hominem, tamen Virginem generavit*, inquit Galfridus apud Tilmanum. In Alleg.

Deinde consecravit in Prophetam, in Præcursorem, in Præconem Divini Verbi.

Virginalis integritas nunc dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Ioannem puerum consecravit & insignivit, inquit Petrus Damianus. Serm. 23.

Denique pretium dedit, quo & peccati Originalis debito liberaretur, & Gratiâ donaretur ampliore.

Deus enim, ut scitè D. Bernardus, *redempturus humanum genus, pretium universum priùs contulit in* MARIAM; ac deinde ipsi Joanni MARIA: & hoc quidem anticipata quasi solutione: nec enim expectare voluit, dum exiret utero, dum aura hac mortali vesceretur, dum cæterorum more abiret in vagitus, in fletus, in lacrymas miserandæ sortis; sed adhuc in uteri carcere latitantem peccati vinculis exemit, ut liber nasceretur qui aliàs Originalis culpæ reus & inferni captivus erat nasciturus. Ecce ut *fœcunda Virginitas*, & quidem Joanni, & electis omnibus, quibus & filium, ceu pretium, dedit dabitque in æternitatem: ut enim disertè S. Bernardinus de Virgine. Serm. de aquæductu.

Spiritus Sanctus ostendit electis, quod in hac officina & per eam fabrefecit quidquid in gratia mirificum operatur. Tom. 3. Serm. 11.

DE

DE SANCTA
MARIA MAGDALENA.



T corpori; sic & animo sua vincula.

Corporis vincula, sunt manicæ, compedes, catenæ quibus illud captivum tenetur.

Animi vincula, sunt peccata; his ille captivus malè torquetur.

Quæ tum ratio illis sese expediendi?

Gregor. Turon. l. de gloria Conf. c. 23. Prima quæ succurrit est *Dolor* ob offensum Numen summè bonum: Eo victus olim infamis fratricida ferreis circulis corpus accinxit, & per annos omnino septem ad varia loca peregrinationem suscepit, tandémque Romam venit ad sepulchrum S. Ioannis Abbatis Reomaensis; & hîc tandem Deo monente intellexit solvenda peccati vincula. Et verò etiam soluta sunt: nam circuli ferrei sua sponte exciderunt; indicium etiam Cœlo miserente peccati vincula excidisse.

Altera ratio est *Amor Dei* ut summè boni: hoc etiam dissolvitur omne peccati vinculum: Ita dissolutum in MAGDALENA, etiam testimonio & Oraculo primæ Luc. c. 7. Veritatis, quæ sic ad illam: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Ut in partem doloris illius vel amoris aliquando venias, ô peccator, primò peccatricem sub oculos ponam: deinde pœnitentem; vel si mavis amantem, quod pœnitentiæ genus longè nobilissimum: ubi tamen priùs

EX D. THOMA.

Serm. Cap. 9. TRactat Angelicus Doctor hunc locum Geneseos, *Arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me & terram*, & D. MAGDALENAM componit cum arcu cœlesti; & hoc ex tribus capitibus:

Primò ratione *Materiæ*; *est enim materia arcus nubes aquosa radiis Solis percussa*: Nubes aquosa, Maria lacrymosa; Sol, Christus; radius, gratia Christi, quæ MAGDALENAM, ceu nubem aquosam, percussit & in lacrymas resolvit.

Secundò ratione *Formæ*, seu colorum, è quibus *cæruleus* MAGDALENÆ *Humilitatem* designat; *rubeus Caritatem*; brachia arcus ad terram extensa, misericordiam, qua peccatores ipsa complectitur olim peccatrix.

Tertiò ratione *Finis*, qui triplex est in arcu cœlesti: Et quidem primus significat Judicium præteritum per aquam; & hoc notat cæruleus color. 2. Futurum Judicium per ignem; illud signat color rubeus. 3. Pactum Deum inter & terram; & hoc indicat color viridis.

Et MAGDALENA, tamquam alter cœlestis arcus, signum est duplicis Judicii in peccatore pœnitente: Unius, quod fit per aquam compunctionis; alterius, quod per ignem amoris; ut ex vero dicere possit: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quod illud? Est pactum Deum inter & terram, id est peccatorem.

EX D. BONAVENTURA.

Serm. 2. VT castos MAGDALENÆ amores in aperto ponat, componit amorem cum igne; idque ex Amoris & ignis similitudo. tribus capitibus:

Primum est, quod ut ignis calorem inducit, & frigus expellit: sic & amor animam, quam invasit, incendit æstu quodam altiore, & torporis frigus depellit.

Secundum: Ut ignis à ferro rubiginem abstergit; sic & amor ab anima peccatum: Quid enim culpa nisi rubigo quædam animæ?

Tertium: Ut ignis ferrum, æs, plumbum, aurum, argentum, & duriora, quæque emollit; sic & amor animum saxo ferroque duriorem ad pietatem, ad misericordiam flectit, emollit, & in lacrymas resolvit.

Et hæc in MAGDALENA igne Divini amoris accensa notare licuit: Primùm enim, vel ipso Veritatis oraculo teste, *Dilexit multum*; Deinde Luc. c. 7. peccatum, ceu animæ rubiginem, deposuit. Hinc illud Christi: *Remittuntur ei peccata multa.* Denique sic emollita, sic soluta est tota, ut & in lacrymas abierit, & in pedum oscula, à quibus etiam eos multo fletus imbre lavit, & capillis tersit. Ecce ut mollis MAGDALENÆ pœnitentis animula.

Hæc ubi paucis deduxit Seraphicus Doctor, tum Amoris signa quatuor. amorem illius, ceu ignem è Cœlo demissum, probat signis omninò quatuor:

Primum fuit assiduitas recordationis: Amor enim ad Primum. perennem sui amati recordationem impellit.

Vbi est amor, ibi cor: ubi cor, ibi memoria: Est

in amore

in amore *vis unitiva*; est etiam *vis transformativa*, quæ dum amantem transformat in amatum, facit, ut *sicuti quis sui oblivisci non potest; ita nec amati.*

Talis fuit in *Magdalena*, quæ *semper portavit Christum in memoria*: utque portaret impensiùs quasi *impatiens alios homines videre, desertum intravit ubi neminem videret*; sed de *solo Domino cogitaret*, ex vero que jactare posset

Thren. c. 3. illud: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.*

Vis nosce, mi Lector, an Christum ames? Vide an de illo plus cogites, quàm de aliis: *Si enim plus de mundo, plus de lucro, plus de amico cogitas, quàm de Christo; certè illa plus amas.*

Secundum. *Secundum dilectionis signum, est sollicitudo inquisitionis.*

Cant. c. 3. Hanc vides in Sponsa, quæ Sponsi sui amantior, primò eum quæsivit in lectulo; sed quia ibi non invenit, surrexit: deinde & circuivit civitatem per vicos, & plateas; sed quia nec in illis invenit, transiit ad amicos & notos: & quia nec ibi reperit, eos pertransiit, & cùm paululum pertransisset, invenit eum, tenuit, nec dimisit.

Et talis quoque fuit MAGDALENA, quæ sublatum à morte, à sepulchro occultatum Christum quæsivit iterum, iterúmque: & licèt ab Angelis audisset mœstum illud: *Non est hîc*; in sepulchrum tamen sese sæpiùs inclinabat, in hortum ibat, & ab hortulano petebat amantis illud: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito ubi posuisti, & ego eum tollam*: etiam in Pilati prætorio, etiam in custodia, etiam armatos inter. Ecce ut de ea D. Gregorius: *Vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis.*

Quis hodie illius exemplo Christum quærit? *Perdit homo bovem, & sollicitè eum quærit; perdit equum, & non quiescit; perdit ovem, & post eam vadit; perdit asinum, & quærit; perdit homo peccando Christum, & quiescit, dormit, bibit, comedit, & non quærit.* Ita bos, equos, ovis, asinus, est homini in primis curis & amoribus; Christus ne in postremis quidem: illi sedulò quæruntur: Christus autem minimè. Hinc justæ apud Jeremiam querelæ: *Omnes dereliquerunt me.* *Cap. 2.*

Tertium. *Tertium dilectionis signum, est sinceritas affectionis*, qua scilicet homo nihil amat nisi Deum, aut propter Deum. De hoc extat illud D. Augustini ad Dominum: *Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat quod non propter te amat.* *Solilog. c. 19.*

Et hic est purus amor, qui solus apud Superos est in pretio, ut apud homines purum aurum non mixtum.

Et is in MAGDALENA fuit. Incurrit in eam mundus, & longa serie pompam ducit, ut alliciat: sed & Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contemnit propter amorem Domini sui JESU Christi. Visendos se præbent ad sepulchrum Angeli; sed nec illos oculis dignatur, nedum amore: occurrit & ipse Christus; sed assumpta hortulani specie, in qua dum non agnoscitur, non amatur. Ita purus MAGDALENÆ est amor, & in Christo solo hæret. *Quis hodie*, exclamat D. Bonaventura; *sic amat regnantem in Cœlo, sicut illa amabat in sepulchro jacentem?* Nimirum *frigida supra nivem sunt corda nostra, frigida verba, frigida sunt opera.*

Quartum dilectionis signum, est fervor æmulationis. Quartum. Imitatur enim homo quem diligit, odit quod odit Deus; nempè malum: amat quod amat Deus; scilicet bonum: Et ita amavit MAGDALENA, cui peccatum in odio, virtus in amoribus fuit: Quæ hodie anima sic Deum amat?

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix.* Lucæ cap. 7. vers. 37.
CUR HIC RETICETUR NOMEN? Cur notatur illa appellatione Peccatrix? Et quàm infamis ea sit?

Magdalenæ nomen unde? HIC mihi duplex injicitur quæstio: & quidem

Prima, Cur reticetur nomen? Ne crede casu factum, ne calami lapsu, ne nominis ignorantia, aut obscuritate; sat enim in Civitate vulgatum, sat clarum, atque illustre MAGDALENÆ nomen, quod à Magdalo (hoc est castello quod hæreditate illi obtigerat) inditum fuit: & ita ut notissimum in Galilæa Magdalum; sic & notissima Magdalena: notissima deinde ab antiqua & illustri in ipsa Judæa prosapia.

Serm. 2. Certè Regis filiam fuisse credit & asserit D. Bonaventura; ego Reguli seu Dynastæ illustrioris, fuisse opinabor: quod conjicio è castello celebri, & opulenta hæreditate, quæ illi obvenit. Ut ut sit, nota fuit in Civitate.

An autem una fuerit MAGDALENA; an duæ; an tres, in quæstione est: in qua variæ Authorum

Hom. 81. in Matth. c. 26. opiniones. D. Chrysostomus duas fuisse censet.

Origines, Theophilactus, Euthymius tres: Primam, quæ sic pœnitentiâ ducta Christi pedes

Undecim plures? lavit, & unxit. Secundam, quæ biduo ante Christi passionem & mortem, eundem unxit. Tertiam, quæ sex diebus ante Pascha & passionem, alabastrum super Christi caput effudit.

Alii unicam volunt fuisse, sororem Marthæ & Lazari: Ita S. Augustinus, S. Cyprianus, S. Gregorius, Toletus, Jansenius, & alii melioris notæ Interpretes, quibus subscribo.

Primùm, quia hic est communis fidelium & Ecclesiæ sensus: cui favet Scriptura; hæc enim Mariam, quæ unxit Dominum unguento, & tersit pedes capillis suis, sororem dixit Marthæ & Lazari. *Joan. c. 11. v. 12.*

Secundò, favet eidem opinioni traditio Massiliensium, & inscriptio monumenti, quod ei S. Maximinus, è 72. Discipulis unus, erexit. Sed nelongiùs: hoc attigisse sit satis.

Venio ad propositam primo loco quæstionem. *I. Quæstio.* Cur scilicet hic reticetur nomen? Variæ produci possunt rationes: una ex Dei genio, & Cœli calculo, secundùm quem peccatori aut nullum unquam fuit nomen, aut si fuit aliquando, sacratioribus fastis erasum est atque deletum. *Nomen impiorum putrescet*, vel ut Chaldæus vertit, *Extinguetur.* *Rationes ob quas taceatur nomen.* *Prov. 10. v. 7.*

Prioris exemplum habes in parvulis recèns natis, qui ex recepta olim inter Judæos, & modò inter Christianos lege, nomen non accipiunt, nisi priùs aut Circumcisionis nota, aut Baptismi charactere sint insigniti: cujus rationem hanc affert Theophilactus:

In c. Luc. *Quia prius suscipiendum est signaculum Dei, & tunc humanum nomen: seu quia nullus, nisi prius abjiciat carnalia, dignus est ut nominetur miles Dei, & in libro Cælorum scribatur nomen ejus.*

I. Quia peccatrix.

Posterioris verò in filiis Saül: horum cùm meminit Scriptura, trium nomina recenset, & in posteros emittit; unius autem reticet, & obscuro silentio involvit.

Fuerunt filii Saul Ionathas, & Iessui, & Melchisua, præteritur unus Isboseth, qui tamen & ipse Saulis filius: cujus causam hanc reddit Lyranus, his verbis:

1. Reg. c. 14. v. 49. *Non nominatur. Isboseth propter defectum magnanimitatis; quia fuit pusillanimis, & ineptus ad prælium & Regnum.*

Nimirum magnanimitas est virtus Regia; & qui eâ destituitur, inter Regias proles non debet recenseri, imò nec inter homines nominari.

Quod si nec nominari debet qui debitâ virtute caret; quî nominabitur ille, qui insuper indebitis vitiis est notatus atque infamis?

II. Quia carnalis. Sed hæc, inquies, pœna sceleratis omnibus est communis. Non abnuo; sed & illud astruo, maximè in obscœnos impurosque cadere: Si enim vitium omne indignum est nomine; potissimum libidinis.

Ephes. c. 5. v. 3. *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis*, aiebat Gentium Apostolus. Quod si fornicatio atque immunditia nominari non debet; neque fornicator atque immundus.

Gen. c. 21. v. 10. Viderat olim Sara, *filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo*, & ad Abrahamum conjugem dixerat illud: *Ejice ancillam hanc, & filium ejus*: Cur nomine proprio non appellat? Quia ludentem viderat, hoc est, ut Vatablus vertit, *lascivientem*; hinc nominare refugit: & inde fortè etiam MAGDALENAM Evangelista.

Causam si voles, hanc accipe: Quia carnalis tota, tota impuris ac belluinis voluptatibus implicita. Teste Herodoto, Athlantes Africæ populi nullis inter se nominibus propriis distinguuntur: cùm enim ferarum more modoque in saltibus & sylvis sine Lege, sine Religione, sine Deo vitam agant, nominibus non egent, uti nec ipsæ pecudes.

Vitam hactenus egerat MAGDALENA abjectam ad fœdas & belluinas voluptates, vitam ad omnem luxum & libidinem prostitutam: Quid ergo mirum si in sacris Paginis, & Dei calculo nomen non invenit?

Si infantes, miserabiles animulæ, nomen non sortiuntur etiam mortales inter, quamdiu sunt in peccato Originali, quod tamen sine sua culpa contraxerunt; quomodo illud à Cœlo & Spiritu sancto (qui Evangelistæ calamum regebat) impetrabit MAGDALENA, quæ criminibus actualibus obnoxia erat, & iis fœdum in modum deformata?

Si Isboseth in sacratioribus Paginis nomen non habuit, quòd careret magnanimitate debita Regiæ stirpi; Qui nomen habebit MAGDALENA, quæ omni virtutis laude ac præsidio destituitur? Si Sara Ismaëlis nomen supprimendum censuit, quòd ex puerili, petulanti tamen genio luderet, hoc est, lasciveret cum Isaaco; quomodo Ecclesia casta Mater & Sponsa Divini Spiritus, nomen exprimet MAGDALENÆ, quæ totam sese amoribus impuris inclinavit? Certè non exprimet, nisi infame illud ac horrendum *Peccatricis*. Et hinc mihi via panditur ad secundam quæstionem.

II. Quæstio. Cur dicitur hæc *mulier in Civitate Peccatrix*?

Sacer Historicus his verbis notat: *Ecce mulier in Civitate peccatrix*: singulæ voculæ pondus habent.

Rationes cur dicatur Peccatrix? *Ecce*, inquit, particula est demonstrativa, quæ fœdum, infame, immaneque veluti monstrum demonstrat.

Mulier, sexum notat imbellem, mollem, fragilem, infirmum, & ad omnia vitia flecti facilem.

In Civitate, de qua dixerat Propheta: *Quomodo facta est meretrix Civitas fidelis Sion, in Civitate perfidia septa muris, superbia turribus communita, distincta iniquitatum plateis, obserata contradictionum portis, depicta dolis fucis, indurata foetibus usurarum, negotiorum doloribus aggravata, infamata lupanaribus, id est, Idolorum Templis.*

Prima. *In Civitate*, ex qua, ut ait D. Chrysologus *mulier hæc gravissimum trahebat reatum ex tanta præcedentium colluvie peccatorum.*

Chrysol. Serm. 93. *Peccatrix, quia famâ suâ famam totius tetigerat Civitatis; sicq, non jam peccatrix solum, sed ipsius Civitatis facta fuerat ipsa peccatum.*

Secunda. Et hæc prima ratio cur audiat *Peccatrix*: alteram subjicit ille ipse S. Chrysologus, qui appellationem illam refert, ad indicandam & digito notandam majorem Christi Servatoris misericordiam. Sic enim ait: *Exaggerat Evangelista mulieris facinus, ut accumulet indulgentiam largitoris.*

Tertia. Alii, ad demonstrandam immanem quandam luxuriæ in malum fœcunditatem, qua etiam sola peccatrix esse ac dici potuerit. Et verò etiam potuit; quia pudendum illud luxuriantis animæ facinus omnia propè alia facinora aut involvit in se, aut secum trahit. Quod liquidò patebit ex aliis atque aliis appellationibus, quibus dum SS. Patres & Authores gravissimi luxuriam notant; simul etiam quæ in illa latent, aut ab illa manant vitia, notare solent. Luxuria dicitur.

Septimius libidinem *Sylvam* appellabat, duplici ex causa. Una, quod sicuti sylva sese effundit ac spargit in alias atque alias stirpes ac ramos: sic & luxuria in alias atque alias vitiorum propagines. Altera, ut sylva ferarum atque serpentium receptaculum est; sic & fœda voluptas peccatorum omnium domicilium est. I. Sylva. L. de Pudic. c. 16.

D. Ambrosio *Tyrannis* est, & quidem in speciem blanda, re autem ipsa longè ferocissima. II. Tyrannis.

Persequitur, inquit, *luxuria, & multi in persecutione publica coronati, occulta has persecutione ceciderunt.* Serm. 20. in Psal. 118.

Ita cecidit olim David, & quem aperta Saülis persecutio non fregerat, infregit vis occulta libidinis per oculos haustæ. Saülem sine teste, sine satellite in sylvarum abditis obtruncare potuit: at illi pepercit, & oram duntaxat chlamydis abscidit; imò quod abscidisset post modum indoluit.

1. Reg. c. 24. v. 6. *Post hæc*, inquit Scriptura, *percussit cor suum David, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saül.*

Ecce miram Davidis mansuetudinem, ecce injuriarum remissionem, ecce pœnitentiam & dolorem, à quo non pectus tantùm, sed & cor percutit: vel eò tantùm, quòd à Saüle oram chlamydis abscidisset; quod tamen indulgentiæ videri & esse poterat.

At vide à luxuria quantùm mutatus ab illo qui antè fuit. *Factus est in morte Uriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit enerviter fluxus: & qui prius ferire deprehensum persecutorem noluit, pòst devotum militem extinxit*, inquit D. Gregorius. 3. Part Past. c. 2.

En immanem luxuriæ Tyrannidem, à qua primo cor æstuat & ardet impuris amoribus; tum odio furit atque invidia; tum, inquam, Uriæ cædem meditatur ac fingit; tum in litteras dolo malisque artibus plenas manum expedit; tum denique per immanem perfidiam in hostem immittit, & ut malè pereat, destituit. Quæ in una luxuria vitiorum monstra?

Ab his certè ab Eusebio dicitur *Hydra* multorum capitum. Poëtæ in figmenta faciles ac proni hydram effinxêre, eamque multorum capitum; è quibus si unum aliquod ferro præcidisses; renascebatur illicò aliud, imò & alia quàm plurima: adeò capitum ferax erat illud monstrum. III. Hydra. L. 1 Præp. Evang. c. 2.

Et Luxuria *Hydra* est septem capitibus, hoc est septem capitalibus peccatis horrenda, in qua primùm alto vertice eminet Superbia, & sese prodit prodigioso

prodigioso vestium luxu, mundóque muliebri; tum Avaritia, quæ sese alit etiam gressu meretricio; tum Invidia & zelotypia; tum Ira & furore qui etiam in arma vocet & iniquas cædes; tum Gulâ fovetur, pinguescit ac distenditur; tum Otio & acediâ torpescit, & in molli ansere nidum ponit.

III. Metropolis vitiorum.

Ecce portentosam Luxuriæ hydram tot flagitiis feracem: à quibus etiam

L. 2. Strom. A Clemente Alexandrino dicta est *Metropolis vitiorum*: ut enim in Provincia aut Regno cæteris urbibus præstat Metropolis; sic & Luxuria vitia omnia antecedit ac superat: ut proinde mirum non sit,

III. Quæstio

si ab illa, MAGDALENA *peccatrix* dicta sit etiam oraculis Scripturarum, infami sanè ac probrosa appellatione; qua etiam signantur omnes peccatores.

Matth. c. 3 Joannes Baptista Præcursor Domini, Vox Verbi, Judæos infideles appellavit *Genimina viperarum*.

Cap. 5. Jeremias non sine luctu & tristi nænia, *Equos* esse *Cap. 6.* dicit; Isaias *Canes*.

Cap. 2. *Vulpeculas* Salomon, haustâ divinitùs Sapientiâ; David *Iumenta*; Christus ipse *Lupos*: quòd in se, in vita ac moribus belluas illas exprimant.

Nomen Peccatricis quàm infame?

Chrysostomus ore aureo aliis atque aliis bestiarum nominibus peccatores notat ceu infami stigmate. Taurum vocat à Superbia; Equum à Libidine; Asinum à stoliditate; Camelum à simulatione; Lupum à rapina; Vulpem à dolo; Serpentem à lingua dicaci ac venenata. Ubi hæc omnia in peccatorem congessit; tum quasi aliquid verò minus dixisse sibi visus sit.

Quid, inquit, *te appellare debeo? Feram? Sed illæ uno aliquo vitio tenentur; tu verò simul omnia colligendo, longè ferarum irrationabile, stultumq; genus transgrederis. Quid ergò? An diabolum te potius appellem? Sed ille nec pecuniæ concupiscit; nec tyrannidi ventris obsequitur.* Ubi hæc extulit; tùm quasi nescius quò stylum vertat, sic ad hominem:

Cùm igitur plura in te vitia sint quàm in bestiis atque dæmoniis, Responde obsecro unde te possum jure hominem nuncupare? Rectè; Jure omninò nullo: Quid igitur vocabis, si nec bestiam, nec dæmonem? An fortè infernum? Ita vocavit olim Vates Regius, qui hæc *Psal. 17. v. 6.* cum querela ac gemitu: *Dolores inferni circumdederunt me*; vel, ut Chaldæus vertit, *Castra impiorum*: igitur impii infernus sunt: Quid amplius ad infamiæ notam adjici potuit? Potuit enimverò si cum Evangelista aut peccatorem dicamus, aut peccatricem.

Si enim, ut cum Philosopho loquar, *propter quod unumquodq; est tale, & illud magis.*

Si dæmon non esset dæmon, nec infernus infernus nisi peccatum esset; fatendum est & peccatum & peccatorem & dæmone & inferno pejorem esse.

Hæc oculo lege, hæc mente tracta & revolve, qui peccas. Vide, qua te afficias infamia, quísve SS. Patrum calculo Scripturæque oraculis sis, quo apud Superos Deumque appellêris nomine: nomine, inquam, *peccatoris*, quo nihil ad infamiam majus dici, aut excogitari potest.

Vide, inquam, & si vel inter mortales, vel etiam immortales famam ames, ne peccato illam perdas: si enim perdis, perdis in ea omne bonum. Divitiæ tibi bonum aliquod sunt: at *melius nomen bonum* *Prov. c. 22.* *quàm divitiæ multæ.*

Thesauri bonum sunt: at bonum nomen *magis* *Eccl. c. 41.* *permanet quàm mille thesauri, & magni.*

Unguenta, & molles deliciæ bonum sunt; at *me-* *Eccl. c. 17.* *lius est nomen bonum, quàm unguenta pretiosa.*

Beatitudo bonum est: at *Beati immaculati in via.* *Psal. 118.* *Immaculatos in via hujus sæculi appellat, quos nulla obscæni rumoris aura macularit*, inquit Divus Hieronymus. *Epist. 16. ad Principiam.* Ne te maculet attende, & beatus eris.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Vt cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* V. 37. 38.

QVÆ HIC VIA APERITVR AD POENITENTIAM, Ad Salutem, Ad Vitam?

Via Magdalenæ ad veniam.

IN hac quæstione mihi consilium est stylo aureo D. Chrysologi monstrare viam, quà mulier in Civitate peccatrix ad pœnitentiam venit, & ea ca ad salutem ac beatitatem.

Serm. 93. *Ingressus erat IESVS in domum Pharisæi, & ad ejus mensam venerat, non ut carnalibus repleretur escis; sed ut in carne negotium cœleste monstraret; neque ut probaret posita humanitus ante se, sed post se gesta divinitus approbaret.* Videamus quomodo approbanda dederit MAGDALENA.

I. Cognóvit.

Primò, *Cognovit.* Ecce primus ad pœnitentiam aditus: *Inclinem ad miserandum Supernam didicit Majestatem; & ideò credidit quòd esset ad veniam sibi promptus, qui Pharisæi venerat tam promptus ad mensam.*

II. Venit.

Secundò, *Venit mulier ignota; imò malè nota; onusta luctibus, plena lacrymis, clamosa planctu, nescio janitore, nullo conscio, ipso ignorante pastore, domus aditus percurrit omnes, transit totas ministeriorum catervas, ipsum convivii pervolat ad secretum, & facit domum lætitiæ, domum lamentationis.*

Venit, inquam, *non rogata, sed jussa: ipse quippè sic fecit eam sisti sibi, qui illam postea cœlesti sententia jussit absolvi.*

At quo fine venit? Non eo quo Pharisæus: hic *Quo fine?* enim epulas homini; at illa Deo parat.

Venit satisfactura Deo; non homini placitura venit; pietatis, non voluptatis exhibitura convivium: Vtq; exhibeat, pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura: & ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam; organi planctibus dat clamorem, cytharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam; & dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpè percutit, facit placitura Deo cymbala personare.

Ecce quo fine ad Dominum venit; attende quo *Quo modo?* etiam modo.

Venit mulier, & venit retrò; quia reus animus post tergum stat ad veniam, quia per culpam novit se vultus fiduciam perdidisse.

Quo situ? Venit autem ad Dominum dum *accumberet*. Meritò observavit situm illum corporis in Domino, utpotè convenientem miserationi quam quærebat:

Non enim ad stantem, non ad sedentem audet venire peccatrix; quia Deus cum stat corripit, cùm sedet judicat; prostratus conjacet, cùm decumbit.

III. Oleum attulit. Tertiò, *Attulit alabastrum unguenti*; Quid enim potiùs? Est oleum symbolum clementiæ ac miserationis; attulit illud, ut oculis objiceret Servatoris, ut pedibus affunderet, & ut vicissim ab eo refunderetur miseratio.

Portavit oleum, quia medicinam lethali vulneri à superno Medico perquirebat.

IV. Stetit ad pedes. Quartò, *Stat*; non sedet, non jacet, non decumbit: *Benè stans, quia jam cadere non potest qui ad pedes Christi meruit pervenire.*

Stat autem ad pedes, quia *ad pedes tendit semper, citam veniam qui requirit.*

Stat denique *retrò pedes*, *ut Christi vestigiis innixa percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis.*

Ecce ut ingeniosa necessitas, ut pœnitens anima, ut salutis avida, etiam elucet in situ corporis ac compositione, ut modum servat qui veniæ serviat & vitæ meliori: Utque serviat,

V. Lacrymis eos rigavit. Quintò, *Lacrymis cœpit rigare pedes.* Ecce novum, & prodigiosum imbrem.

En, inquit D. Chrysologus, *mutatur ordo rerum: Pluviam terra Cælum dat semper: Ecce nunc rigat terra Cælum; imò super Cælos, & usque ad ipsum Dominum imber lacrymarum prosilit humanarum; & aquæ, quæ super cælos sunt, laudant nomen Domini*: Laudant dum irrigant, dum insolito imbre per doloris, per amoris miraculum imbuunt.

Qui porrò ab illo imbre fructos, qui ad pœnitentiam animam proventus, excipe ore aureo D. Chrysologi: sic enim exclamat:

O quanta vis in lacrymis peccatorum! Rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam Divina promulgatione sententiam.

An non illa stupenda lacrymarum vis? An non benigna Cœlo, benignior terræ, timenda etiam inferis? Timenda certè vel ipsis inferorum incendiis, quæ extinguunt; at amanda cœlis, quos aperiunt; optanda terris, quas diluunt & purgant. Sed interim pergit MAGDALENA.

Sextò, pedes quos irrigarat lacrymis, *capillis capitis sui tergebat*; in quo mireris & ames providum naturæ consilium, providum & MAGDALENÆ, quæ non deforis petit quod Domino impendat obsequium: Nec enim aquam è fonte, nec è domestica suppellectile lineas vestes, strophiola, mantiliave, quæ pedes tergant, exquirit; sed in ea officia lacrymas deducit & capillos, ut nullus etiam paupereulo relinquatur excusationi locus. VI. Capillis tersit.

Dominicos pedes lavat lacrymis, crinibus tergit: Vacat ab excusatione paupertas, inhumanitas veniam non habebit, quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium Creatoris.

Hoc spectasti, hoc amasti, benevole Lector, suspice & ama uberes ab illa fructus: capillis capitis sui dum sacros extergeret pedes *in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in novum Baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum.*

Et verò quidni dilueret, *verticem capilli, ex quo ambulaverat in delictis suis, in sanctitatem tali vertabat servitute?* Ab hac etiam ad amantis oscula ascendit MAGDALENA; quæ,

Septimò, *Osculabatur pedes ejus*; Nimirum *præcesserant intervenientes lacrymæ, ut oscula devota sequerentur; quia lacrymæ, satisfactionis sunt documentum; oscula, sunt reconciliationis indicia*, imò & amoris, quo tota æstuabat MAGDALENA: cui etiam ut satisfaceret, etiam pro VII Osculata est.

Octavo obsequentis animi signo, *Unguento* sacratos Domini pedes *inunxit*; quod non fuit *mollis & carnalis obsequii, sed plenæ humanitatis Sacramentum: quia in capite Christi Deus est; in pedibus Evangelizantium pacem.* VIII. Unguento unxit.

Et hæc ad medelam animæ suæ fecit mulier peccatrix, ut exemplo illius docti idem faceremus & ipsi. *Si enim nos esse peccatores novimus, & esse nolumus peccatores, pedibus Christi demus lacrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota devotione fundamus, ut dicatur & nobis*, quod olim illi: *Dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexistis multum.* Chrysol. Serm. 94.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* V. 38.

CUR OCULOS, CUR CAPILLOS, CUR OSCULA, Cur unguentum sacris CHRISTI *pedibus impendit?*

Felix culpa ab effectu. DE primi parentis culpa pronuntiavit olim Ecclesia: *Felix culpa*, quæ talem & tantum meruit habere Redemptorem: nec enim aut è Cœlo in Virginem elapsus, aut carne indutus fuisset Deus, nisi Adæ culpa longè antè præcessisset: eoque felix dicitur ab effectu felicissimo.

I. In Adamo. Quod de illo Adæ peccato, hoc & de aliis quamplurimis dici potuit jure meritissimo. Fortunata nimirum quorundam malitia fuit, ut quæ cumulatiori sanctimoniæ occasionem præbuerit, & uberiorem Dei misericordiam quodammodò provocarit.

II. In Davide. Ita Davidi lapsus non ad pœnitentiam solùm, sed ad eximiam quamdam vitæ sanctitatem profuit: ut qui, teste D. Ambrosio, *In ipsa quoque offensione gratiam Divinæ miserationis emeruit.* In Psal. 37.

Ita Petri negatio etiam trina, ad Fidem firmiorem, ad Gratiæ ac Sanctitatis culmen eduxit. III. In Petro.

Ita è Saulo, Paulum fecit, ex lupo agnum è persecutore Apostolum, meditata in Christianos sævitia.

Ita, ut aureè D. Chrysologus, *Mathæum publicanum in Apostolum commutavit; ut qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor, & de impietatis schola ad pietatis magisterium perveniret.* IV. In Mathæo.

Ita denique, ut ad rem propiùs accedam, è peccatrice sanctam dedit Christi miseratio; & eò quidem, ut D. Gregorio judice, *meretrix effecta sit honestior Virginibus*, hoc est Deo gratior & sanctior: ut proinde S. Paulinus magnus omninò Præsul, quandam *vitiorum virtutem* agnoverit: Non quod ipsa vitia virtus esse possint; sed quasi aliquorum virtus vitiis indiguerit, quibus quodammodò levaretur. Hom. 33 in Evang. Epist. 2.

Et ita

V. In Magdalena. Et ita in D. MAGDALENA factum amamus ac suspicimus. At qua inquies via?

Instrumenta primo peccati, deinde virtutis. Eam aperiet S. Euthymius: quia scilicet *instrumenta peccati, fecit instrumenta virtutis.*

Oculi, capilli, oscula, unguenta fuerant illi aliquando instrumenta multorum scelerum; ea fecit esse postmodum instrumenta magnarum virtutum.

I. Oculi. Et quidem primò Oculos: Sunt illi D. Gregorio teste *Fenestra animarum*, per quas non mors una, sed multæ mortes introeunt; ut probat antiquum illud Jeremiæ effatum: *Mors intrat per fenestras.*

Gen. c. 3. v. 6. Ita intravit in Evam dum lignum vidit *pulchrum oculis, aspectúq; delectabile*; Vidit, inquam, & per illas animi fenestras mortem unà cum pomo exhausit.

Ita intravit in MAGDALENAM Evæ filiam, quæ jactare potuit & antiquum illud: *Vt vidi, ut perii.*

Cap. 23. Et verò quidni periisset? Est enim, Ezechia teste, *Insana concupiscentia oculorum*: per hos obscœni excitantur libidinis motus, maculatur pudicitiæ candor, polluuntur thori geniales, stupra, adulteria, fornicationésque gignuntur. Nec mirum; quia oculus, D. Chrysostomo judice, *Adulterii conciliator est*, & Tertulliano, *Invitator libidinis.*

Tract. de diab. De cultu fœm. c. 2. Et is aliquando fuerat in MAGDALENA, malum utique peccati instrumentum, quod deinde fecit esse virtutis.

D. Gregor. hom. 33. in Evang. *Quod enim sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat: oculis terrena concupierat, sed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat*; & ea quidem copia atque ubertate, ut iis & Domini pedes irrigaret & ablueret.

Bonæ lacrymæ, quæ non solùm potuerunt Lavare delictum; sed etiam Verbi cælestis rigare vestigium. Bonæ lacrymæ in quibus, non solùm redemptio peccatorum; sed etiam refectio est justorum, inquiebat D. Ambrosius. Et has ipsi aliquando Domini pedibus infundamus: *Ideo enim non lavit pedes suos Christus, ut eos lacrymis nos lavemus.*

Venio ad capillos, quos & MAGDALENA voluit esse instrumenta virtutis, quia peccati olim fuerant instrumenta.

II. Capilli. August. in Psal. 51. Capilli Dei ereantis munus sunt, *non superflui facti: in corpore hominum, sed ad aliquod ornamentum*: quod verum est si nativus in iis ornatus spectetur, non ascititius. Hinc aptè & eleganter Tertullianus:

De Virg. vel. cap. ult. *Si Deus fuerit in pectore, cognoscetur & in capite.*

Nimirum virtus nullibi tam conspicua esse debet quàm in capite, sede augusta honoris ac venerationis: In capite dico, & capillitio, in quo, si nihil inane, nihil affectatum, nihil de industria quæsitum ad mundanam venustatem, nihil ad decorem juvenilem conciliandum fuerit, virtus elucebit: at contra, virium, & immanè quidem, si comæ in Orbes globulósque venustè implexæ, si studio inani crispatæ, si calamistro inustæ, si tumore quodam ventilatæ: quales olim cùm in MAGDALENA fuissent, fuerant & instrumenta vitiorum, ac veluti laquei & retia quibus incauti adolescentes malè caperentur: verùm postea fecit esse instrumenta virtutis, pœnitentiæ; imò & salutis, dum iis Domini sui pedes, quos lacrymis rigarat, etiam tersit.

O mulier peccatrix, exclamat S. Laurentius Novarinus, *quis tibi monstravit talem artem, ut conjecta in te crimina momentaneis lacrymis vinceres, & crinibus raderes.*

Diceres Christi pedibus à MAGDALENÆ luxuria aliquid sordidum adhæsisse: & verò (quæ illius fuit miseratio) adhæsit: si enim propter nimiam charitatem peccata nostra tulit, si in se quodammodo excepit, si quasi iis fœdatus ac deturbatus apparere voluit; quidni dicamus MAGDALENAM dum Christi pedes lacrymis suis lavat, dum capillis tergit, &c. sua crimina lavisse, & crinibus etiam rasisse.

Cap. 53. De Christo dixit olim Isaias: *Non est species ei neque decor: vidimus eum & non erat aspectus.*

Tertullianus, *Ne aspectu quidem honestus.*

S. Bernardus, *Pre filiis hominum turpatur.*

Cornelius, *Squallet.*

Si à filiis hominum dehonestatus, turpatus, squallidus Christus; Quidni & à MAGDALENÆ luxuria?

Tertullianus de insana Gentilium lascivia sic ait: *Cætera lascivia ingenia etiam voluptatibus vestris per Deorum dedecus operantur.* Utque sic operari probet, eorum obscœnitates recenset, ac deinde subjicit illud: *Nonne Divinitas constupratur?* Vobis scilicet obscœnè Deum laudantibus, & luxu ejus festa colentibus. Apoleg. c. 3.

Quod si censore Tertulliano obscœnitas & luxuria, Deorum est dedecus, & quasi stuprum ipsius Divinitatis; oportunè MAGDALENA Christi pedes à suo luxu quasi dehonestatos, turpatos, squallidos, constupratos, lacrymis suis lavat, capillis tergit, & unà etiam suas in illis sordes eluit, & crinibus radit: suoque exemplo nos edocet, ut & pœnitentiæ lacrymis, & abjecto crinium luxu, etiam & ipsi maculas eluamus, & sparsis veluti crinibus eradamus.

Transeo ad osculum, quod ex tacito naturæ sensu declarat vim amoris & singularem quamdam in alios benevolentiam. Hinc à Cyrillo Alexandrino dicitur *symbolum perspicuum, eminensq; nota benevolentiæ & caritatis.* III. Oscula. Lib. 2. Glaphyr.

Ex ritu institutoque Ecclesiæ concordiam designat & altam pacem. Usurpatum illud jam inde à nascente Ecclesia: sic ut viri viros, fœminæ fœminas suaviarentur.

Hoc osculum Clemens Alexandrinus, *mysticum* vocat.

Apostoli Petrus & Paulus, *Sanctum.*

Tertullianus, *Osculum pacis, signaculum orationis.*

Et tale est osculum si ex naturæ ductu, ex Ecclesiæ instituto detur. At non tale mortalibus plerisque, non tale MAGDALENÆ fuit; quod enim in ea amoris, quod concordiæ, quod religionis esse debuisset, fecerat esse incentivum libidinis, & impuræ voluptatis; ut in eam cadere posset, quod deinde in alios teste D. Ambrosio: *Os libavit, & crimen retulit.* De Fuga sæc. c. 1.

Et verò retulerat non semel MAGDALENA nimis prona ac præceps in oscula amatoria, quæ illi fuerant velut instrumenta multorum criminum. At postmodum fecit esse virtutis, dum abjecta ad Christi pedes iis oscula dedit: At quæ, inquies, oscula?

Primò *Religionis*: ea enim adhibuit ad testificandum religiosum cultum ac venerationem erga Sacrosanctos Domini sui pedes, quorum quot oscula, tot etiam fuère adorationes.

Sicnim de primis Christianis scripsit Atheoagoras, & cautione ac religiosi animi prudentiâ fuisse communicata, ut non tam esse viderentur oscula, quàm *Adorationes* quædam, hoc est, salutationes Divinæ sacrique honores; quid de MAGDALENÆ osculis dicendum putemus? Unum certè illud, Adorationis fuisse, ac Divinas Domini ac Dei sui salutationes. In Legat.

Fuere deinde & oscula *Pacis ac Concordiæ.* Inter Aras indivisissima Liturgia, in Augusto Sacrificio, ubi Cœlum cum terra copulatur, osculum adhiberi solet; osculum, inquam, pacis ac concordiæ, cordis & animi, imò & corporis: Sacrificium Æterno Patri per Christi, ceu Summi Sacerdotis, manus offerebat MAGDALENA, adeoque sacris hujus pedibus oscula figit, oscula pacis ac concordiæ, quo significet nullum amplius MAGDALENAM inter & Deum esse bellum, sed altam æternamque Pacem, quam etiam firmat repetito amoris osculo: *Osculum enim*, Ambrosio judice, *pietatis & charitatis pignus fuit.* L. 6. Hexam. cap. 9.

Divinè S. Antistes pietatem ad amorem adjungit in osculo: nam si repugnet pietati, non osculum est,

est, sed *venenum*; si libidini velificetur, *naufragium*; si perfidiæ (ut deinde in Juda) *barathrum* est: At si cum pietate conveniat, veræ ac Divinæ Charitatis pignus est, & arrha quædam cœlestis. Et tale fuit osculum, quod MAGDALENA Domini sui pedibus infixit, ut meritò de illa dicamus, Oscula quæ olim fuerant instrumenta vitiorum, fecisse postmodum instrumenta virtutis.

Et hæc sunt oscula, quæ probat, admittitque JESUS: alia nec probat, nec admittit.

Argumento sit illud, quod aliquando S. Lutgardi. E Concilio Lateranensi redibat Abbas S. Trudonis, & de via deflexerat ad monasterium S. Catharinæ, cujus & ipse Pater erat, ac Præses: S. verò Lut-
Henriquez in Lilio C. fferc. D. 10. c. 4. gardis illius Priorissa. Magno Præsuli obviam de more processere Virgines, quas ille tum in Templo, tum in Capitulo excepit etiam osculo. Ita nimirum ferebat eò loci, ac temporis inducta consuetudo, ætatisque illius candor, ac simplicitas, certè minus probanda. Et certè minus probavit JESUS. Cùm enim aliæ omnes ultro admisissent osculum, ubi ad Lutgardem ventum est, recusavit illa: verùm quæ aliarum importuna vis fuit, non tam admisit, quàm est passa: Imò nec passa, JESUS enim, velut illius impatiens, manum suam inter Lutgardis, & Præsulis faciem ita interposuit; ut ne levisculum quidem alienæ faciei attactum senserit; nedum osculum. Sic nempe oblata à viris oscula in sponsis suis, ac Virginibus Deo sacris horret, ac fugit JESUS, ut etiam ea miraculo impediat lapsus è cœli regia; ut ita etiam horrere, ac fugere eas doceat, vel exemplo Lutgardis, vel patrato ad id etiam prodigio; quod si attenderent, quæ vel in sæculo, vel in cœnobiis vitam agunt Virgines, non tam faciles, ac pronæ essent ad oscula. Hæc profectò refugit mens pudica, & qui in ore, genisque micat ingenuus pudor, ruborque. Sed ne longiùs.

IV. Unguentum. Descendo ad postremum officii genus, quo mulier Peccatrix, & malæ apud omnes famæ, melioris vitæ odorem in Superos emisit.

Cùm mundo muliebri plus æquo niteret, fragrantiâ odorati unguenti mitè capiebatur, eoque & crines imbuebat, & vestes, & ipsam molliculam cutem: ut ab illo benè oleret quæ à vita semper olebat malè.

Et verò quidni oleret malè? Unguenta Jurisperiti appellavêre, *Rem mortuam*, quòd eorum brevis & volatica esset possessio, adeòque inanis atque inutilis.

Lib 3 c. 3. Hinc illud Plinii: *Unguenta illicò expirant, & suis moriuntur horis.*

L 2 Pædag. c. 8. Unguenta, & qui ex iis manant odores, *Puellares* vocabat Clemens Alexandrinus, quasi gynæcei proprios, & tantùm non meretricios.

Cat. 12. Cyrillus Alexandrinus dicebat esse *Voluptatis inescativum*, Veneris hamum, nequitiæ fomitem, luxuriæ delinimentum.

Et tale fuerat olim in MAGDALENA, quæ ut erat mente ac corpore contaminata, usa ad multiplicia genera meretriciorum odorum converterat, ut incautos adolescentum animos in sui amorem converteret, faceretque illa ipsa unguenta, odoresque, esse instrumenta enormium peccatorum: at posteà fecit instrumenta virtutis, dum iis Christi pedes imbuit.

Epist 4. ad Severum. De his ita magnificè S. Paulinus: *Ipsos sibi pedes sacrarium & Altare constituit in quibus libavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu.*

Ex antiqua Lege & Divino jussu Tabernaculum, Arca Testamenti, ipsaque Altaria unguento pretiosiore intingi debuerunt, ipsumque unguentum sic incendi, ut odor & fumus insignium aromatum versus propitiatorium deferretur.

Hujus legis antans & longè meliùs retinens MAGDALENA, sacros Christi pedes, quos sibi constituerat pro Tabernaculo, in quo habitabat Altissimus, pro Arca novi Testamenti, pro Altari, in quo Æterno Patri pro genere humano litaretur Hostia: hos, inquam, pedes unguento sacratiore imbuit; illudque amore ac charitatis igne, quo flagrabat, ita incendit, ut illius odor & fumus ad propitiatorium rectè deferretur. Hinc audiit à Domino propitium illud: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vers. 47.

Ecce ut unguenta fecit esse instrumenta virtutis: & quidem,

Primò, *Religionis* dum ad Christi pedes, ceu Altare, unguentum fudit, atque incendit.

Deinde *Pietatis*, dum prævenit Christi corpus ungere in diem sepulturæ.

Tum etiam *Amoris ac Charitatis*, dum unà cum oleo cor effudit, atque succendit flamma diviniore.

Tum exempli boni, ut Christi bonus odor esset in omni loco; imò & in futuris longè sæculis, in quibus hæc gratâ memoriâ recolet omnis posteritas.

Tum denique *Pœnitentiæ* perfectioris, quæ ut Hom. 26. in Evang.
D. Gregorii verbis utar, *quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta: convertit enim ad virtutum numerum numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia quidquid ex se Deum contempserat in culpa.*

Et illa est veræ pœnitentiæ forma: nec enim ad hanc satis sit intrinsecus & in interiori animi conclavi de commisso scelere doleas, nisi etiam extrinsecus prodas, faciasque ut illa ipsa corporis tui membra, quæ libidini, quæ vanitati, quæ peccato servierunt, serviant etiam Deo per aliquam sui macerationem: ut enim rectè D. Augustinus:

Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. Lib. 50. Hom. Hom. ult.

Hinc S. Paula monita à D. Hieronymo ut aliquid remitteret de ea severitate, qua corpusculum affligebat, ita respondit.

Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi: affligendum corpus quod multis vacavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicii commutanda. Epist. 27. ad Eustochium

Hæc S. Paula ex pia quadam æmulatione in seipsa expressit, quod olim in se MAGDALENA. Instrumenta lasciviæ, oculos, capillos, odores convertit in pœnitentiæ salutaris instrumenta.

Et hoc ipsum est, quod suo exemplo nos edocent, & quod etiam verbo D. Ambrosius, qui se aliquando ad virginem lapsam:

Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: Defluant oculi lacrymis, qui masculum simpliciter non aspexerunt: Pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè: Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens, sicut cera jejuniis, quia in membra corporis cùm haberet dominationem malo cessit imperio. Cap. 6.

Grandi plaga alta & prolixa est medicina; grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.

Hæc ille, quem audiit olim à suo lapsu pœnitens virgo: Et ipse quoque, mi Lector, audias est necesse: nec audias tantùm, hoc est auribus quasi dè Cœlo loquentem excipias; sed & corde & opere exprimas in teipso quod hic verbo, illæ verò exemplo expressêre.

DE

DE SANCTO IACOBO APOSTOLO.



VANGELICÆ Historiæ series, exhibet matrem pro filiis IOANNE & IACOBO supplicem. Audierat nimirum à Christo instare ei mortem, & ab hac Resurrectionem, ac deinde Regnum: quod dum filiis ambit, sic ad Christum: *Dic*, id est præcipe ac statue, *ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad finistram in Regno tuo.* Matth. c. 20.

Hæc pro filiis mater: cui fortè venia danda: mater enim est, & mirum quantum indulgens mater, quæ, ut ait D. Hieronymus, *postulat errore muliebri, & pietatis affectu:* sed ut hunc reprimeret Christus, non matri, sed filiis ita paucis respondet:

Nescitis quid petatis. Petebant nimirum vel ipsi unà cum matre, ut opinantur nonnulli; vel mater eorum instinctu impulsuque; vel si motu proprio, pro filiis petebat illa: & inde his ita Magister Optimus:

Nescitis quid petatis: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Cui illi Maldonatus liberè dicunt ei, *Possumus*, id est, *volumus*; Digna juvenili impetu, imò & Apostolis responsio, quam sic excepit Salvator:

Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam, vel finistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo. Et hæc Evangelicæ Historiæ summa. De qua

EX D. THOMA.

CAlix, inquit, de quo hîc, est Passio, & mors CHRISTI, de qua sic postea Æterno Patri: Matth c. 26. *Transeat à me Calix iste.*

Calix ille, si Christum spectes, est *Amaricans*, quia aceti, myrrhæ, & fellis: Nec ille tantùm, sed & amara omnis Christi Passio.

1. *Quia passus est ab impiis.* 2. *Quia pro beneficiis:* ita enim mala pro bonis reddiderunt ingrata capita. 3. *Quia in membris mundus*, hoc est ab omni peccati labe immunibus.

Est & idem Calix, si nos ipsos attendas, *Inebrians*: & hoc quidem: 1. Quia præsentium oblivionem inducit: Facit enim ut divitias & omnem mundi pompam abjiciamus, & nudi nudum Christum sequamur. 2. Quia ad dolorem reddit quasi insensibiles: omnis quippè dolor, vel nullus, vel levis accidit si Christi dolores consideres. Hinc Sancti dicuntur *habitare in foraminibus petræ*, quasi instar hujus insensibiles. 3. Quia animos ad bella parat ac facit: ut enim Machabæi Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori, ut animos ad bella facerent: sic & Mach. c. 2. nobis Christus suum Sanguinem è se, velut vite, expressum.

Denique ille ipse Calix *Sanans* est; & quidem à triplici morbo: 1. Culpæ Originalis, à qua nascimur *filii iræ*. 2. Culpæ Actualis: hinc *attritus propter peccata nostra*, ut ejus livore sanaremur. 3. Pœ- Ephes. c. 2. næ inflictæ: *Inde languores nostros ipse tulit.* Isay. c. 53.

EX D. BONAVENTURA.

DIvus Bonaventura, nescio quo abreptus orationis æstu abit ab Evangelio, & primo deflectit ad sepulchrum D. JACOBI, quod astruit esse gloriosum.

Serm. 2. Primò, *Quia in principio multis miraculis fabricatum*,
Secundò, *Quia in medio magnis virtutibus adornatum.*
Tertiò, *Quia multis privilegiis est dotatum.*

Deinde ex illis conficit quàm sublimis in patria qui sic honoratus in via.

Denique triplex nobis sepulchrum ob oculos ponit:

Primum, *Temporale*, in quod inducitur corpus anima vacuum; ibique longum quiescit ad diem usque Judicii.

Psal. 40. *Sepulchra eorum, domus eorum*, inquit Vates. *Quàm dura est domus ista, quàm stricta, quàm fœtida, quàm paupercula, quàm obscura:* & tamen ut ea sit, *communis est omnibus.*

Heu Fratres, inquit Innocentius III. *qui paulò antè inclytus residebat in domo, ecce quàm pauper jacet in tumulo; & qui gloriosus incedebat in aula, ecce quàm despectus jacet in tumba; & qui vescebatur deliciis in cœnaculo, ecce nunc consumitur à vermibus in sepulchro.*

Secundum, est *Infernale*: in hoc descendit dives Luc. c. 16. epulo, qui *mortuus est, & sepultus in inferno*: De quo dici potuit & illud Jeremiæ: Cap. 22.

Sepulturâ asini sepelietur. Nam sicut asino priùs corium detrahitur, & postea canibus & avibus devorandus exponitur: sic omnis dives, priùs divitiis spoliatur, & sic perpetuò cruciandus dæmonibus datur.

Tertium, est *Æternale*, in quo homo beatificatur: Cap. 5. De hoc ita justus olim Jobus:

Ingredieris in abundantia sepulchrum. Verè in abundantia, ubi nullius boni penuria, & nullius mali præsentia.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba : *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.* Matth. cap. 2. verſ. 20.

CVLPANDANE SIT EA SEV MATRIS, ſeu etiam filiorum petitio?

Circumſtantiæ.



RIUSQUAM ad quæſtionis hujus ſolutionem deſcendam, excutiam paucis nonnullas circumſtantias huic ambitioſæ petitioni prævias : quas inter, hæc

Prima. Prima. Acceſſit, non ſolùm motu corporis, greſſuque citatiore, ſed & animi, cui etiam ſuus eſt pes : pes utique ſuperbiæ & ambitionis, quo moventur, & accedunt plerique mortales, teruntque magnatum limina, non ſine offenſione culpaque ; quàm dum timet David, ſic ad Deum ſupplex : *Pſal. 35. v. 12.* *Non veniat mihi pes ſuperbia* ; quo ſcilicet efferatur animus ambitione quadam honoris ac dignitatis. Qui ſic accedunt ad Deum, nec hanc nec illum obtinent ; nec enim Deus ſibi ambitioſè propinquos aſpicit, ornat, illuminat, elevat ; ſed remotos :

Et hunc ordinem modumque etiam in ipſa mundi hujus molitione ſervatum voluit.

Cœlum Deo Creatori proximum, terra remotior ; & hæc tamen congregatis in unum aquis priùs apparet, priùs amœno virore nitet, ornatur floribus, fructibus abundat : *Anaſtaſ. Sinaita lib. 3. Hexam.* *Congregatur enim aqua ut appareat arida, ut antè cœlum ornetur arida* : hæc quippè die tertia ornata ; cœlum priùs die quarta, quo in eo poſita duo luminaria magna : Et in his quoque ſervatus idem agendi modus.

Iunilius. *Luna Solis æmula, noctis decus, quantò longius abit à Sole, tanto largiùs illuminatur, pari incremento itineris & luminis* : Crederes Solem fontem luminis conditorem ſuum imitari, qui eos, qui honoris fuga longiùs recedunt, ampliori dignitatum luce illuſtrat, quàm illos, qui ambitioſo greſſu propriùs accedunt.

1. Reg. c. 16. Exemplum habes in Davide : hunc ut ad Regnum eveheret Deus, Samuelem amiſit ad Iſay domum, ut aliquem è filiis in Regem ungeret. Adſunt Samueli ſeptem ex ordine filii, & illos omnes rejicit Deus ; abeſt David, & hunc eligit.

Orat. 14. *O res mirabilis*, inquit Baſilius Seleucienſis, *David cum ovibus ſub dio agit, & Deus in cœlo ſuper regno conſilia agitat : David gregem paſcit ſollicitus, Deus interim thronum apparat.*

A Samuelis, ceu Prophetæ, ceu Dei vice electoris conſpectu, abeſt David, & eligitur ; adſunt fratres omnino ſeptem, & rejiciuntur.

Diſce non accedere, non terere principum & aulæ limina ambitioſus honorum candidatus.

Secunda. Secunda circumſtantia hæc eſt ; *Acceſſit cum filiis*, ut etiam unà cum his oraret, & exoraret faciliùs.

L. de Pœnit. *Multi animi dum congregantur unanimes, fiunt magni ; & multorum preces impoſſibile eſt contemni*, inquit D. Ambroſius.

Et ita futurum credidit bona Mater : nec omninò malè : nam apud Deum plurimum valet unanimis multorum oratio. Hinc & illud Tertulliani monitum : *Apolog. c. 39.* *Precationibus ambiamus orantes* ; probè enim ambitioſa eſt multorum oratio ; ſi tamen & proba, & probè petat, uti hic non fecit indulgens filiis mater.

Tertia circumſtantia eſt iſta : *Adorans, & petens aliquid.* Tertia. Veranè hîc adoratio, an ſpecies quædam adulationis, diſputant nonnulli : Ego malim reverentiæ ac virtuti aſcribere, quàm adulationi & vitio tribuere ; quamquam ea adoratio, qualis qualis fuit, captatio fuit benevolentiæ ad impetrandum à Chriſto quod petebat, licet omninò conſultiùs fuiſſet nihil petere, ſaltem extra Deum nihil : ut enim ſcitè D. Auguſtinus :

Quiſquis à Deo quærit præter Deum aliquid, non caſtè Deum quærit. *Serm. 49. de verb. Dom.*

Ita nec caſtè quæſivit bona Zebedæorum mater, quæ etiam in hoc nimium præceps : ait enim, *Dic* ; quæ vocula non tam ſupplicantis, quàm imperantis videtur eſſe ; ideoque minimè auditur : ut enim audiatur oratio, ſupplex ſit oportet : & ſi ea ſit, omnia poteſt. *Omnipotens oratio cùm ſit una, omnia poteſt*, *In Hiſt. rel.* inquit Theodoretus.

Et hæc paucis de circumſtantiis : delabor ad ipſam petitionem, eſt illa hujuſmodi : *Vt ſedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.*

Cur uni dexteram ambit, ſiniſtram alteri ? Quæſtionis reſolutio. (ſiniſtra quippe malè ominata) Cur non potiùs dicit, Uni concede primam ſedem, ſecundam alteri? Ambitioni id tribuit Celada : *In Iudith. cap 2. v. 4. §. 10.* Mavult, inquit, ambitioſa mater, ut alter filiorum ſit ad ſiniſtram (quantumvis infauſta ſit, & ſiniſtrum omen) dummodo nulli ſecundus ; quàm ut ſit ad dexteram etiamſi à germano fratre ſecundus foret : vix enim ſecundus quis eſſe ſuſtinet, ne à fratre quidem ; I. Ratio. imò nec ferè à ſeipſo quod obſervavit Tertullianus in fabella veteri de Geryone, qui etſi unus eſſet in tres Geryones, multiplicatum jactavit vulgus, quod tribus æquivaleret.

De hoc ita Tertullianus : *Geryon ter unus.* Cur, *L. de Pallio c. 4.* inquies, ter unus ? Ne ſcilicet etiam à ſeipſo ſecundus eſſet ac tertius : adeo ſecundi ac tertii nomen fugit ambitioſus, ut non ferat ſecundus aut tertius ab altero dici, imò nec à ſeipſo.

De Trajano jactavit illud Plinius ex quodam *In Paneg.* aſſentationis genio : *Nemo eſt tam tui, quam ignarus ſui, ut locum ipſum poſt te concupiſcat.*

Quod Trajano, quod illius ſucceſſori dictum voluit Plinius, hoc ego ambitioſo, qui eo ſtudio eáque cura ante omnes eſſe vult, ut locum etiam poſt Trajanum, hoc eſt poſt Romani Orbis Monarcham potentiſſimum & optimum non concupiſcat ; adeo primum ambit atque affectat : Et hinc etiam fortè culpanda mater filiorum Zebedæi quòd filios ſuos, II. Ratio. hunc ad dexteram, illum ad ſiniſtram ſedere velit in Regno Dei ; cùm potiùs in eo ſtare oporteat : quod reverentiæ eſt ac demiſſionis.

Et verò cœleſtis Curiæ Principes *ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni*, vidit Joannes. *Apoc. c. 7. v. 11.* Vidit & illud, quòd *omnes Angeli ſtabant* : Quî ergo velit incauta Mater filios ſedere ?

Certè qui primus in Orbe ipſoque Empyreo ſuperbos

superbos spiritus extulit, & altum illud: *In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte Testamenti, & in lateribus Aquilonis.* Sedebo, inquit, in monte Testamenti: quod eminens, quod superbum, quod insolens.

Isai. c. 14. v. 13.

Ecquid enim, ut illum alloquar ipsis Petri Damiani verbis, *Omnes stant, & tu sedere præsumis? Ipse filius, idem quod Pater, sedere nescit, donec dicat ei Pater, sede à dexteris meis.*

Quod si in cœlesti Regno, nec Sancti, nec Angeli; imò nec ipse Dei Filius sedet nisi jussus à Patre; Quid petis? quid ambis? Quid præsumis, plus æquo ambitiosa Zebedæorum mater, ut jactes illud: *Dic ut sedeant hi duo filii mei in Regno tuo:* Stare profectò eos oportuit, non sedere: Et hinc secunda justæ reprehensionis ratio.

III. Ratio. Accedit etiam tertia: Quòd eam dignitatem ac primas in Regno sedes dandas crederet cognationi & sanguini: & hoc plerumque locum invenit in humanis judiciis; at non sic in Divinis.

Joan. c. 2. Quæri solet ab Interpretibus Scripturæ Sacræ cur Judæi in solemni illa legatione, qua ad Joannem emiserunt Sacerdotes ac Levitas, ei officium ac solium Messiæ detulerunt? Error id hoc videri potuit; *Ambros.* & verò error fuit nimium quàm crassus: at *ibi errat oculus, ubi errat affectus.*

Qui porrò erraric, attende: Joannes erat ex Tribu Levi; Messias autem esse debuit ex tribu Juda: Joannes natus in montanis Judeæ; at Messias in Bethleem Judæ nasciturus: Joannes nullum hactenus signum fecerat; at Christus miracula longè plurima, quæ recensuit ipse, Joannique dici voluit hac serie. Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur: quæ signa ex ipsis Prophetarum Vaticiniis Messiam tacitè loquebantur. Unde igitur ille Sacerdotum ac Levitarum error? Unde illa mentis *Hom. in Joan.* cæcitas? Unde illæ ad Joannem voces, *Messias es tu?* Unde ea Joannis in Messiam electio? Respondet Origenes, à carne & sanguine, à cognatione Sacerdotum ac Levitarum cum Joanne, ut qui cùm iis esset ex Tribu Levi, adeoque sanguine junctus: Et hinc Messiæ nomen ac munus ultrò obtulêre. Tantum apud illos valuit communis sanguis & cognatio, ut non puduerit in Davidis solium eligere filium Levi, & purum hominem in Dei hominis officium promovere.

Quid facias? *Ibi errat oculus, ubi errat affectus;* affectus scilicet propinquitatis, qui erravit etiam in matre filiorum Zebedæi, cujus petitio fortè locum habuisset si cum homine res fuisset: at non sic ubi cum Christo: Apud hunc enim ubi de cœlesti Regno agitur, nulla habetur ratio sanguinis ac propinquitatis.

Quod ipsum apertè ostendit: cùm enim injecta esset illa quæstio: *Domine si pauci sunt qui salvantur?* *Luc. c. 13. v. 23.*

Primum docuit in Cœli Regna intrandum esse per angustam portam; deinde admittendum in ea neminem causâ propinquitatis & cognationis. Sic enim inquit:

Cùm intraverit Pater-familias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis; & respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis. *Vers. 25.*

Quis ille Pater-familias? Quod ostium? Qui illud pulsant? Pater-familias, Deus est, aut etiam Christus: ostium, Cœli adyta: qui foris stant & illa pulsant, Judæi: clamitant illi, *Domine aperi nobis,* rati aperiri debere ac patere cognationi & sanguini: at illis Deus, illis Christus: *Nescio vos unde sitis.* Unde, hoc est, è qua patria, è quo sanguine, è quo genere: quia in Cœlo adeundo, nulla patriæ, nulla sanguinis, nulla generis affinitas æstimatur; sed sola vitæ benè actæ ac meritorum pensanda ratio. Hanc si attendisset Zebedæorum mater, nec illam pro filiis petitionem intulisset; nec audisset à Christo illud: *Nescitis quid petatis.*

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Nescitis quid petatis.* vers. 22.

VNDE CONVINCVNTVR DISCIPVLI nescisse quid peterent?



MNINÒ nescisse, extra dubium & controversiam est: id enim probatur vel ipso primæ Veritatis oraculo: At unde convincantur nescisse, hoc in quæstione est; in qua aliæ atque aliæ succurrunt rationes.

I. Ratio. Prima, quia sedere expetunt cùm incedere oporteat. Quamdiu animus hoc corpore, ceu ductili clauditur sepulchro, in via est; ideòque non sedere debet inerti otio, sed incedere labore multo, sudore molto.

Epist. 25. *Properemus*, inquiebat Seneca; *ita demum vita beneficium erit, alioqui mora est.*

Rectè in via virtutis properanti, vita beneficium est: & ita fuit Davidi, qui hæc de seipso: *Viam mandatorum tuorum cucurri:* Ita & aliis qui virtutis ac perfectionis sunt amantes. Et ita esse debuit Joanni & Iacobo, quos incedere oportuit, & quidem magnis passibus, passibus Apostolicis: hinc enim Apostoli, hinc à Christo missi: & ita in vita incessisse beneficium fuit; alioquin mora est: Omnia autem mora in viatore ac peregrino damnanda; imò quod mireris etiam in comprehensore, ac jam beato: quod vel exemplo Seraphinorum edisce.

Isaias explicatis cœli valvis vidit Dominum super solium excelsum; vidit & Seraphinos: stabant illi (quod reverentiæ fuit) & duabus alis velabant faciem, velabant & pedes (quod erat submissionis) & duabus volabant, ad omnia Numinis obsequia ac mandata promptissimi (quod singularis obedientiæ fuit.) Ecce ut ipsi cœlites non sedent; sed currunt, imò & volant: Currunt, inquam, dum modò devolant in terras, modò in Cœlos revolant. *Carthusian. ibid.*

Et ita de seipse Gabriel dixit olim Zachariæ: *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad te.* Angeli itaque etiam missi ante ipsum sunt, quia quomodolibet missi veniant, intra ipsum currunt, non sedent; & etiam dum stant, quasi stare pudeat intra ipsum currunt; & Discipuli sedere velint? Enimvero non sedebunt, quia audient à Christo illud, *Nescitis quid petatis.* Et verè nesciebant. *Luc. c. 1.*

Seu terrenum fuerit Regnum, quod tunc ambiebant; seu quod verisimilius est cœleste: nesciebant tamen quid peterent.

II. Ratio. Paulò antè laboriosi piscatores, remos agitabant, & maria; jam otiosam expetunt in dignitate sessionem, non satis advertentes eam laboribus ac sudoribus emendam. *Dii quippè laboribus omnia vendunt.*

Ambiunt primas in cœlesti Regno sedes, & summam Apostolici culminis gloriam: at *gloria sequi debet, non appeti.* Primùm enim Apostolici muneris præcedit labor; tum frigus, tum succedat refrigerium, in via & invia eatur, quærendis lucrandisque animabus flumina trajiciantur & maria; tum aspiciatur ac teneatur portus æternæ Beatitatis, & in eo Cœlestis gloria; *Gloria*, inquam, *quæ sequi debet non appeti.* Plin. in Epist.

At hanc appetebant Discipuli, & quidem præposterè; hinc illis Servator Optimus: *Nescitis quid petatis*; quia etiam faciebant in Christi schola humilitatisque palæstra quod non fecissent in abjecta piscatoris sorte ac ministerio. In hoc certè nulla fuit ambitio primæ Sedis; at fuit in Apostolatu, in quo locus ultimus ex humilitatis studio peti debuit atque ambiri. III Ratio.

Quod Apostolis, hoc etiam plerisque religiosis vitium est, qui eos quos in sæculo nec habuissent, nec etiam habere potuissent honores, in religione expetunt: & in hac etiam quietem & iners otium, cùm in illo non fuisset nisi labor, & cura, & vigiliæ perennes.

Et hoc malum est, quod in illis deplorat D. Bernardus: *Video*, inquit, *(quod magis doleo) post spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, & impatientes amplius fieri in claustro, quàm fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt: ut quia videlicet, ubi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur ubi ab omnibus honores contemnuntur.* Serm. 7. super Missus.

Hoc nimirum illis vitium est, cui carpendo dici istis posset, quod Discipulis olim Christus: *Nescitis quid petatis.*

Sed & aliud quoque vitium est, quo laborant nonnulli: *Qui*, ut notat D. Augustinus de opere Monachali, *veniunt ad professionem servitutis Dei ex vita rusticana & ex opificum exercitio, & plebeio labore: si minus operentur, excusari non possunt: nullo enim modo decet, ut in ea vita, ubi senatores fiunt laboriosi ibi fiant opifices otiosi; & quò veniunt relictis deliciis suis qui fuerunt prædiorum Domini, ibi sint rustici delicati.* Neque enim propterea in militia Christiana ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur. Cap. 22.

Quod si extolluntur, & superbo spiritu primas sedes occupare velint, & illis dicetur: *Nescitis quid petatis.* Cap. 25.

Sed ne longiùs: redeo ad Discipulos Christi, à quibus paululum abii. His meritò dixit: *Nescitis quid petatis*, quia sine modo, sine decreta illis è Cœlo gloriæ mensura, eam expetebant. Verùm quid facias? IV. Ratio.

Ambitio non vult naturæ suæ, imò nec gratiæ mensuram agnoscere; nec patitur quemquam in ea honorum mensura conquiescere: quæ quondam ejus fuit imprudens votum, ut scitè Seneca Philosophus: quod non in profanis tantùm hominibus, sed & in sacris quoque verum est. Ut enim observat D. Cyprianus: *Ambitio perniciosa sacrilegii forma, nihil intentatum relinquit, in sinu Sacerdotum dormit, ibi sub umbra recubat, in secreto talami se fraudulenter occultat.* Chrysost. in Gen. c. 11. Sen. lib. 2. de Benef. Orat. de Jejun. & tent.

Ubi porrò se ita occultarit, tum occasione oblata, ceu data porta, ruit ac se prodit.

Ita prodiit in Discipulis: multa illi de Regno Christi audierant, multa de sedibus duodecim, in quibus aliquando sessuri ad Universi Orbis judicium; nonnulla etiam de primatu Petri: quem ægrè filius præferri dum sustinet mater, dum sustinent & filii, injicit illa importunum istud: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo.*

Cui meritò Magister Optimus objecit illud: *Nescitis quid petatis.* Unicuique enim datur gratia secundùm mensuram donationis Christi: quæ mensura penes Deum sit oportet, non penes humanam electionem: Quod quà verbo, quà exemplo docuit Moyses, qui cùm ad Hebræi populi principatum assumeretur, sic ad Deum supplex: *Obsecto Domine, mitte quem missurus es.* Ephes. c. 4. Exod. c. 4.

Non seipse ingerit in primatu, non illum expetit, non ambit; imò ne de eo cogitat quidem; sed illud omne altissimi Dei consiliis relinquit.

Mittat ille, quem missurus est, hoc est, quem ab æternitate, ceu specula quadam, mittendum designavit ac vidit. Hoc si fecissent Discipuli, non audiissent à Christo frigidum illud: *Nescitis quid petatis*; quia primam inter Apostolos sedem Divinæ Providentiæ reservatam esse voluissent, nec cæca & præpostera quadam ambitione affectassent.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum?* vers. 22.

QUIS ILLE CALIX? ET AN IDEM QUI CHRISTO?



De notione Calicis aliqua inter antiquiores disceptatio est: Sunt enim qui deducant à Græco κύλιξ: inde Cylicrani populi, constituti ab Herculc, quem volunt poculo tanquam navigio maria immensa transisse: Fabella est. Calix unde dictus?

Cassiodorus Calicem non à Græco deducit; sed *à calore*, eò quòd veteres calidam biberent. Verùm ut ut sit de notione: in profanis & sacris alius atque alius est calix. Quàm varius?

Primò enim Calix Regnum significat dives, opulentum, potens. Ita dicitur *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram. De vino ejus biberunt gentes, & ideò commota sunt.* Primus. Jerem. c. 51. v. 7.

Calix ille Regnum fuit Babylonicum, quod dicitur fuisse in manu Domini; quia Deus Opt. Max. scelerum vindex, ejus vi ac crudelitate usus est, ut gentes à se aversas affligeret.

Vel si mavis dic Calicem Babylonicum significare opes, luxum & pompam hujus sæculi, quam D. Ambrosius, *Speciosam* appellat *illecebram; sed inanem gratiam*: Illâ capiuntur incauti mortales, à quibus *venenum auro bibitur*, ad præsens animæ salutisque exitium. Lib. de Elia, c. 15. Seneca.

Secundò, Calix indicat cujusque sortem, seu illa tristis accidat seu læta. Secundus.

De læta est illud Davidis: *Calicem salutaris accipiam.* Psal. 115.

De

Cap. 51. v. 17. De tristi illud Isaïæ: *Consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini Calicem iræ ejus: usque ad fundum Calicis soporis bibisti, & potasti usque ad fæces.*

Ecce infelix sors Solymæ infelicis, quæ ebibit Calicem *Soporis*; vel ut Rabbi Salomon, *Stuporis*; vel ut Chaldæi, *Maledictionis*; vel denique, ut Septuaginta, *Furoris*: & hoc quidem *de manu Domini*, seu judicis, seu vindicis; ideoque hic Calix dicitur & Ps. 74. v. 9. verò etiam est *Calix iræ Dei*, qui ut ait Regius Psaltes, est *in manu Domini: ex eo bibent omnes peccatores terræ*, qui suo vitio venerunt in illam reproborum sortem, cùm aliàs transire potuissent in electorum partem ac societatem.

Tertius. Huic Calicis significationi affinis est illa, qua tertio loco sumitur Calix pro supplicio & pœna sceleri decreta. De hoc Regio calamo David: *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars Calicis eorum*; pars Calicis, id est pars pœnæ ac supplicii. Psal. 10. v. 7.

Quartus. Quarto loco Calix accipitur pro beatitudine, & felicitate nullo unquam ævo peritura, à cujus potu sua est animæ satietas & sacra quædam ebrietas. Psal. 22. v. 5. De hoc etiam David Dei sui vice: *Calix meus inebrians quàm præclarus est.*

Quintus. Quinto denique Calix est amara Christi Domini Passio. De hoc ipse sic ad Discipulos hic: *Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum?* De quo deinde in primo Passionis limine sic ad Æternum Patrem: *Pater, si possibile est, transeat à me Calix iste*; Calix utique Passionis ac mortis.

II. Quæstio. Et hinc primæ quæstioni fit satis. Manet secunda. An ille Calix etiam Discipulis idem sit qui Christo fuit? Hoc est, an ex eodem Calice biberit, primùm Christus, deinde Discipuli?

Non bibisse volet unus aliquis, quia alia Christi, alia Discipulorum passio, aliud genus mortis, & hæc alio tempore obita.

An idem iis Calix, qui Christo? At bibisse contendet alius, quia Discipulorum passio quædam est ampliatio Passionis Christi, quædam portio Dominici Calicis qui à Christo transit ad Discipulos.

Testem volo extremam illam Salvatoris orationem, quam inter lacrymas, sudores, & agoniam ad Patrem emisit.

I. Idem esse probatur ex dicto Christi. Ita enim inquiebat: *Transeat à me Calix iste.* Sed, ô Servator Optime, si à te transeat Calix ille tuæ Passionis, dic amabo te, ad quem transeat? Audio, Ad Discipulos, inquit, ad Martyres Fidei in me suæ testes. Ad illos à me transeat: Ex illo primùm bibi, & quidem liberaliùs; bibant deinde & illi. Ad illos transeat à me Calix iste, quia pati, nisi ex mea passione, non possunt. Ita nimirum D. Hylario interprete, Discipulorum & Martyrum passio est veluti quædam delibata Dominicæ Passionis portio, & ipsiusmet ampliatio.

Crederes Salvatorem optimum non exhausisse Calicem illum; sed aliquas ejus reliquias Discipulis ac Martyribus reliquisse, quas ipsi deinde exsorberent.

Hom. de S. Stephano. Ita Emisseno teste, exsorbuit Stephanus Protomartyr, de quo sic ad rem nostram: *Iudæi illo spiritu ebrii, quo dudum clamabant, Crucifige, Crucifige, in necem sacri testis incumbunt. Beatus, qui cœlestis illius agonis proximo pedissequus intervallo reliquias excipere furoris illius emeruit, quo paulò antè sæviente mundo Salvator occubuit.*

II. Probatur in Stephano.

Hæc Emissenus, ex quo habes Judæos immania capita, reliquias illius furoris, quem nuper contra Christum conceperant in Stephanum eructasse, adeoque Protomartyrem (quod illi gloriosum fuit) reliquias Passionis Christi magno spiritu ingentibusque animis exhausisse, adeoque de eodem cum Christo Calice bibisse.

Quod Stephano primùm, hoc deinde Discipulis.

Testem appello in illis unum aliquem, in quo audias quid sentiant, quid loquantur omnes: Is est Gentium Apostolus, qui sic olim ad Colossenses:

Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Col. 1. v. 24.

III. Probatur in Paulo. In quæ verba sic D. Ambrosius: *Suppleo reliquias pressurarum Christi in carne mea.* Nempè à Christi Passione, à Calice, reliquum aliquid fuit, quod adimplerent, quod supplerent, quod sorberent Discipuli; nec illi tantùm, sed quotquot ejus causâ etiam in sæcula ad ultima usque perituri mundi confinia patientur. Supplebunt illi, imò & excipient reliquias Dominici Calicis. Supplebunt, inquam, opulentâ gloriæ usurâ, & excipient plenis animi buccis: nec tamen unquam exhaurient; semper enim ex eo supererit aliquid exhauriendum: adeo fœcundus est ille Calix.

IV. In filiis Zebedæi. Ad hunc quàm avidè aspirarint Zebedæorum filii, collige ex eo quòd roganti Domino: *Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum?* subjecerint illicò: *Possumus*; pia quadam ambitione patiendi, qua sanè curari potuit immoderata gloriæ appetentia.

Orat. ex. Ita nimirum, ut scitè S. Basilius Seleuciensis: *Passione passiones curantur, & appetitus gloriæ propinquius est virtuti*, ut observat Glossa. Utque ait Seneca: *Sunt quædam scelera felicia*: & sic ambitus sæpè vitium felix, quia propinquum virtuti, quia audax omnia perpeti. Ad e. s. Mat. L. de Tranq. c. 15.

Et tale fuit in Discipulis de quibus in præsens disceptatio. Biberunt illi de Calice Domini, & ex eo hauserunt.

Primùm insignem rerum omnium caducarum despicientiam, qua vel ad unicam Christi vocem, & naviculam, & retia, & patrem, & spes omnes mortales abjecerunt, & Orbes ipsos, si in manu fuissent, abjecissent.

Deinde eo ipso Calice piè ebrii, exarserunt insigni zelo Divinæ injuriæ vindicandæ: cùm enim Samaritani per summam impudentiam & inhospitalitatem, & Discipulos & Magistrum ab urbe sua & suis tectis arcere fuissent ausi; visum illis immane facinus igne & fulmine illicò expiandum. Hinc gemini fratres uno spiritu, ore uno, Christum rogare impensiùs, ut pateretur, vindices è cœlo flammas in scelesta capita à se devocari. Tantus Divinæ gloriæ zelus, & Magistri amor ac reverentia.

Sed & zelus animarum longè ardentissimus. Hunc explicuit D. Jacobus, primùm Jerosolymis, Judaicæ nationis arce; deinde in Hispania, ubi novem Discipulos Christo adjunxit, eosque ceu totidem Christianæ militiæ Duces per Barbaras illas regiones dispersit, tanquam expeditos *Venatores animarum*, qui, ut ait D. Hieronymus, *Investigarent eos, qui capiuntur ad vitam.* In Ierem. Procopius.

Denique ex illo ipso Calice, & vincula & manicas & compedes & verbera & supplicia ipsamque mortis amaritiem exhausêre: ut quod olim quærenti Domino: *Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum*; Quod, inquam, verbo dixerant, *Possumus*, hoc re etiam ipsa probarent.

Et verò probavit D. Jacobus. Bibit ille liberaliùs è Domini Calice, & reliquias excepit Judaici furoris, quibus potatus fuerat Dominus: nam & à Pontificibus postulatus ad mortem, & ad eam ab Herode damnatus.

V. In Jacobo. Fuit illi idem Calix qui Christo: Primùm *Amaricans*; tum quia passus ab impiis Iudæis; tum quia pro collatis genti suæ beneficiis, pro laboribus exantlatis, pro sudore fuso, pro Divini Verbi prædicatione, pro Fidei gratia; tum denique quia nudis in membris omni scilicet peccati nævo maculâve carentibus.

Fuit deinde ille ipse Calix *Inebrians*; tum quia oblivionem

oblivionem rerum omnium caducarum induxit, imò & sui; tum quia & tormentorum & ipsius mortis quasi sensum abstulit; tum denique quia animos fecit ad bella Domini, ad debellandos Christiani nominis hostes, Judæos, Samaritanos, Gentiles, Magos, ipsasque inferni potestates: Nam & Filetum Hermogenis Magi discipulum à dæmonis fascino vel solo suo strophiolo liberavit, & ipsum Hermogenem Scipione, quo nitebatur, ab inferi tyrannide exemit, & etiam post fata Dux invictissimus Hispaniam Maurorum infestationibus, & immani centum quot annis Virginum tributo & tyrannide liberam fecit, & ipse è Cœlo lapsus, alboque vectus equo cœleste ferrum rotans, & in Mauros vibrans, de illis victoriam non semel attulit.

Denique fuit & illi Calix *Sanans*: Primò enim & Judæos complures ab infidelitate, & Gentiles, id est Hispaniam, ab Idololatriæ morbo sanavit, & alias impendentes Hispaniæ clades avertit.

Et ecce Domini Calix, è quo liberaliùs bibit D. JACOBUS: & nos ex eo ipso bibamus oportet.

Non è Calice Babylonico, opum cupidine, honorum ambitione, deliciarum illecebris malè ebrii.

Non etiam è Calice iræ Domini, è quo bibunt peccatores, sed suo malo.

Verùm è Calice Christi, è Calice Passionis ejus ac Mortis, è Calice Eucharistico, è Calice Beatitatis, qui præclarus est & inebrians.

****

DE SANCTO IGNATIO
SOCIETATIS IESV FVNDATORE.

VIde, Amice Lector, quæ dicam Tom. IV. in Opere cui titulum feci *Gloria Patriarcharum*, sive Quæstiones in Evangelia Festorum D. Augustini, D. Benedicti, D. Brunonis, D. Bernardi, D. Norberti, D. Dominici, D. Francisci Assisii, D. Francisci de Paula, D. Ignatii de Loiola, D. Philippi Nerii, D. Ursulæ, D. Theresiæ.

****

DE S. LAVRENTIO.



Curtius, l. 6. c. 12. ROMANUS scriptor postquam suum diversis suppliciis discrimen assignasset, demum pronuntiavit illud: *Ignis suppliciorum ultimum*: quæ ratio fuit, cur humana crudelitas postquam alia tentasset omnia, ad ignem venerit. Ita venit in Martyribus plerisque, qui tamen in eo subinde illæsi, subinde etiam recreati; semper invicti.

Sic illæsus S. Julianus cum sociis omnino triginta; sic recreata

Bollandus 4. Ian. in ejus vita. S. Macra Virgo & Martyr, quæ ab immani tyranno jussa super ardentes prunas volutari, eas instar roris suavissimi persensisse visa.

Serm. 135. Sic recreatus S. LAURENTIUS, qui, ut ait D. Chrysologus, *Graticulam supplicii, lectum quietis putabat.*

Sic nimirum ignem igne vincebat, & ardorem ardore temperabat. Nec mirum, quia plus ardebat intus, quàm foris: Foris igne, intus caritate. Ab hac probè doctus omnes tyrannorum minas, omnia supplicia, catastas, equuleos, ignésque contemnere, imò & animam suam odisse; & hoc pio quodam odio, quo dum eam perdit in tempore; servat in æternitate: ut infrà paucis docebo: ubi tamen priùs

---

EX D. THOMA.

2. Cor. c. 9. IN his verbis, quæ Sancto LAURENTIO accommodat Ecclesia: *Dispersit, dedit pauperibus, Iustitia ejus manet in sæculum sæculi*; quinque notat, quæ faciunt plurimum ad D. LAURENTII laudem ac commendationem.

Serm. 2. Primùm in ea vocula, *Dispersit*, eximiam Sancti *Prudentiam* ostendit: divitias enim dispergere est summæ Prudentiæ: 1. Quia dispersæ sunt veluti semina quædam, quæ multiplicata resurgunt. 2. Quia per illas acquiritur æterna Vita: *Qui enim reliquerit domum*, &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Matth. c. 19. 3. Quia sic amitti non possunt; sunt enim depositæ tuto in loco. Hinc monet Christus: *Thesaurizate vobis thesauros in Cælo.* Matth. c. 6.

E contrà congregare divitias summæ est stultitiæ: 1. Quia congregatæ suis possessoribus cedunt in tormentum. 2. Quia pereunt. 3. Quia ducunt ad æternum supplicium. Hæc tria expressit Ecclesiastes:

Cap. 5. v. 12 13. siastes: *Est alia*, inquit, *infirmitas pessima, quam vidi sub Sole, Divitiæ conservata in malum Domini sui*: ecce primum. *Pereunt enim*: ecce secundum. *In afflictione pessima*: ecce tertium.

Secundò, *Largitas* in ea voce, *Dedit*: ad hanc nos invitant tria: 1. *Creator* ipse, quia dedit Cœlum cum sideribus; terram cum bestiis & arboribus; corpus cum sensibus; animam cum viribus; Filium cum tormentis; mundum cum elementis; Spiritum Sanctum cum donis: *Erubescat homo avarus ad illam* August. *Creatoris sui largitatem*. 2. *Creatura*, quæ seipsam dat homini, & quidquid habet; Sol se & lumen suum, terra similiter, &c. 3. *Scriptura*: *Date*, inquit, *& dabitur vobis*.

Tertiò, *Fidelitas*, eâ voculâ, *pauperibus*: His enim dare est Fidelitas: 1. Quia bona Ecclesiæ sunt bona pauperum. 2. Quia & his dari voluit Dominus. 3. Quia ab iis hic nulla expectatur retributio.

Quartò, *Iustitia*, quæ in tribus enituit: 1. In rectitudine voluntatis, qua à recto non deflexit. 2. In miserendo miseris. 3. Cuique reddendo quod suum fuit; majoribus obedientiam, minoribus utilitatem, paribus æqualitatem.

Quintò, *Perseverantia*: ea his verbis exprimitur: *In sæculum sæculi*. Ea, 1. Flagellis probata. 2. Igne examinata. 3. Fide consummata: Et hinc illi æterna vita, quæ perseverantiæ debetur.

EX D. BONAVENTURA.

Iob. c. 23. AD illa verba: *Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit*.

Serm. 1. Primò, Comparat D. LAURENTIUM cum Auro: 1. Quia *Auro nihil pulchrius*: sic & nihil LAURENTIO. 2. Quia *Auro nihil ductilius*: ita & LAURENTIUS ab obedientia ductilis, & in omnem partem versatilis. 3. Quia *Auro nihil solidius*, ut quod ne in igne quidem consumatur: ita nec igne vinci potuit LAURENTIUS. 4. Quia *Aurum percussum sonum non reddit*, ut æs, ut etiam argentum: sic LAURENTIUS inter tormenta nec queri, nec gemere, nec ullum impatientis animi signum edere, nec inimicis malè precari; sed potiùs quàm optimè. 5. Quia *Auro nihil purius*: sic nec LAURENTIO. 6. *Auro nihil virtuosius*: sic nihil & LAURENTIO.

Ostendit deinde quomodo probatus à Deo igne, & quidem triplici: 1. Enim est *Ignis illuminans & inflammans*: & hic ignis est Divinæ Gratiæ, qui ad veri cognitionem illuminat, & ad boni amorem inflammat: & hoc igne probatus LAURENTIUS. 2. Est *Ignis probans & examinans*, quo scilicet probantur metalla verane sint, an adulterina: sic & igne probata atque examinata D. LAURENTII Fides, Constantia, Virtus, Amor. 3. Est *Ignis glorificans & beatificans*: & hic ignis amor est, amor patriæ, amor beatificus in Cœlo: & hoc quoque probata D. LAURENTII virtus.

Serm. 2. Ubi hæc ex illo Iobi loco deduxit, tum debabitur ad alium è Psalmis petitum, è quo hæc D. LAURENTIUS: *Igne me examinasti, & non est inventa in me* Psal. 16. *iniquitas*. Et primùm agit de igne materiali; deinde de spirituali.

Tacit. c. 3. lib. 5. Philosopho Iudice, *Ignis materialis tres sunt species. Ignis enim lux est in sua sphæra. Ignis flamma in materia aerea; & Ignis carbo in materia terrea*. Hic maximè acutus: Et hoc examinatus est D. LAURENTIUS, dum in craticula tostus: sed alio quoque igne examinatus.

Luc. c. 12. Is est *Spiritualis*, de quo Servator Optimus: *Ignem veni mittere in terram*.

Est autem hic *Ignis Charitas*, cujus effectus tres: 1. Enim per illum *peccatorum rubigo consumitur*. 2. *Frigus ab anima tollitur*. 3. *Duritiies removetur*. Et hinc pulchritudo & nitor spiritualis quidam inducitur, calore amoris anima inflammatur, & dulcedine quadam ac pietate mollitur: & ita factum in D. LAURENTIO.

Hæc ubi dixit, descendit ad nutrimentum ignis illius spiritualis: Ut enim materiali suum est pabulum ne deficiat; sic & spirituali.

Primum, est *pura & sancta meditatio cordis*; ab hoc enim ut amoris fonte caritatis est nutrimentum: hoc se & flammas spirituales aluit D. LAURENTIUS, in quo & castæ meditationes, & mundæ affectiones, à quibus ex vero dicere potuit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Psal. 38.

Secundum nutrimentum est *sancta collocutio oris*: & hæc quoque fuit in LAURENTIO, de quo dici potuit, quod de Elia: *Surrexit quasi ignis, verbum ejus velut facula ardebat*: Et quia sic ardebat, inde Hippolitum aliosque incendit igne quodam cœlesti Divini amoris. Eccl. c. 48.

Tertium, quod plurimum facit ad augmentum spiritalis ignis, est *continuatio boni operis*. Hoc enim nutritur, imò etiam augetur Charitas ut ignis ligno: & sicut hoc deficiente, perit hic; ita & illa. Hinc istud Dei ad Sacerdotes: *Ignis in Altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna per singulos* Levit. c. 6. *dies*. Altare Dei, cor hominis; ligna, bona operatio: Hanc per singulos vitæ tuæ dies subjice, & semper in te ardebit ignis caritatis. Ligna, inquam, subjice; non paleas, id est opera solida, non vana. Ita subjecit D. LAURENTIUS eleemosynis & pauperibus alendis semper intentus.

Quartum quod confert ad conservationem ignis spiritualis, est *vera humilitatio mentis*: Ut enim ignis cinere opertus conservatur; sic & caritas dum latet atque absconditur sub cinere humilitatis. E contrà evanescit & hæc & ille nisi probè tegatur; utque in veteri Lege vas reputabatur immundum, quod non habebat operculum: sic & in nova, quod caret operculo humilitatis. Hac mirè excelluit D. LAURENTIUS: Inde *in tantum amor ejus excrevit in corde ut vix sentiret ignem qui exterius ardebat in corpore*. Unde & illud ad Tyrannum: *Versa & manduca, assatum est satis*. Num. c. 19. Bonavent.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ioan. c. 12. v. 24.

QUODNAM ILLUD FRUMENTI GRANUM?

Quod granum frumenti?



Um Christo Salvatori instaret ultima dies per extrema supplicia, crucémque exigenda; ut Discipulis animos faceret, Primùm docet venisse horam, in qua *clarificetur Filius hominis*; deinde

Ioan. c. 12. modum, quo assurgere ac nitere ea claritas, ea gloria debeat; eo scilicet, quo frumenti seu seminis energia ac vis eminet: Si nempè cadens in terram, hoc est terræ gremiò fideliter commissum, mortuum fuerit; hoc est in germen terræ humore & calore Solis resolutum, & quasi mortuum; tum enim germinando multum fructum affert, & ita sese multiplicat ut unicum granum, trigesimũ, sexagesimum, imò & subinde centesimum producat: Et hic proventus seminis, & grani laus est, & gloria.

I. Christus. Chrysol. Serm. 98. Par omninò, imò major & Christi, qui instar grani frumenti primò *in hortum Virginei corporis missus*, ut in illo esset *non terrenum germen, sed cœleste.* Deinde à Cruce, à morte in sepulchrum. Qui porrò ab illo fructus? Attende.

Vix altiore voce exclamans expirarat, cùm ecce Judæi revertentes, & tundentès pectora dicebant: *Verè hic homo justus erat.* Ecce fructus, ecce spes ampla pœnitentium.

E Cruce depositum exanime corpus, & sepulchro tectum, ut terrà semen assolet; & en vitæ redditum quasi germinat, surgit, & cum eo, *multa Sanctorum corpora, quæ dormierant, surrexerunt:* Ecce ab uno frumenti grano qui fructus, quæ seges Beatorum.

August. Tract. 51. Meritò ergo cùm granum frumenti dicebat *IESUS seipsum dicebat: ipse enim erat granum mortificandum, & multiplicandum: Mortificandum in infidelitate Iudæorum; multiplicandum in Fide omnium populorum.* quod factum vel maximè ubi è terra altiùs assurrexit, ut solet è germine culmus, è culmo spica, è spicis seges amplissima; tùm enim mirè multiplicatum granum illud frumenti in Fide omnium populorum: Non enim ad Judæos solùm ea transiit; sed etiam ad gentes quaquaversum patuit Orbis universus. Hinc

Serm. 15. in Cant. scitè D. Bernardus: *Moriatur granum, & surgat gentium seges.*

Quod Christo, ceu grano frumenti, hoc & Martyribus; nam & ipsi granum frumenti sunt.

II. Martyres. Metitur immani ferro caput invicti Martyris, & in terram cadit: semen est terræ creditum, à quo surgat uberrima seges Christianorum.

In fine Apolog. Hinc liberum illud & audax Tertulliani ad Judices & Tyrannos: *Hoc agite boni Præsides meliores multo apud populum si illi Christianos immolaveritis: Cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentia nostra iniquitas vestra. Ideo hæc nos pati Deus patitur: nam & proximè ad lenonem damnando Christianum potius quàm ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquisitior qualibet crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ: plures efficimur quoties metimur à vobis; semen est sanguis Christianorum.*

Ut enim semen in terram projectum atque emortuum aliud sexagesimum, aliud centesimum, reddit ingenti fœnore: sic & martyrum sanguis dum in terram effluit, ad instar Christiani seminis sese multiplicat, & effundit in gentem magnam, gentem utique Christianam.

Ita S. Hermegenildi sanguis à patre Leovigildo Rege Ariano fusus, & fratrem Reccaredum, & totam Visigothorum gentem ab Arianismo ad Christianam Fidem convertit.

Sic enim de illo S. Gregorius: *Unus in gente illa mortuus est, ut multi viverent: & dum unum granum fideliter cecidit, ad obtinendam Fidem animarum seges multa surrexit.* Lib. 3. Dial. c. 31.

Ita nimirum ut magnificè Tertullianus, Tyrannorum iniquitas probatio est Fidei nostræ; & exquisitior crudelitas, illecebra est Christianæ sectæ; & sanguis Martyrum, semen est Christianorum.

Quod Martyribus aliis; hoc D. LAURENTIO, III. invicto Christi pugili, duci fortissimo, nobilissimo D. Laurentius. Martyri, qui & granum frumenti fuit, & semen Christianorum.

Hoc granum primò obscuro mancipatum carceri: ex eo, ceu tenebroso terræ sinu, germinare cœpit, fructus edere quàm uberrimos.

Lucillum gentilem eadem custodia clausum & ab immani lacrymarum copia oculis orbatum, Christo peperit & Ecclesiæ Matri donavit, futurum in ejus area granum frumenti, & semen multorum Christianorum.

Hyppolitum custodiæ præfectum Christo etiam adjunxit simul cum familia, quæ numerabat capita novemdecim. Et hic primus manipulus, qui à D. LAURENTIO, ceu grano frumenti, ceu semine, pullulavit.

Quod si eos etiam in carcere, quasi in horreo, fructus dedit; quos existimamus tulisse ubi in aream tribulationis ac tormentorum abjectus est, ut quà scorpionibus cæderetur, quà fustibus, quà plumbatis tunderetur, ut solet in spicis tundi atque ex iis excuti frumenti granum?

Quos deinde in catasta extensus, in equuleo malè tortus? Eo loci ac temporis factum invicto Martyri quod grano, quod semini: ut hoc germinet, primùm humore modico madescit atque imbuitur, tum incalescit, fervet, æstuat ac germen edit.

Quod semini; hoc & Martyri: dum in equuleo pendet, multo sudore madet atque diffluit, multo etiam calore, æstuque Divini amoris exardescit: ab hoc & illo quasi provocatus & animatus, germen ex se fundit & nobile frumenti granum.

Fuit illud miles egregius, qui tum fortè spectator aderat, *Romanus* nomine: Viderat ille juvenem longè pulcherrimum, qui defluentem è facie Martyris sudorem cœlesti linteo extergebat: ea captus specie à D. LAURENTIO sacris Baptismi undis lavari petiit, & impetravit. Ecce ut granum frumenti multum fructum affert; sed cùm in tormentis probè mortificatum. Ecce ut Martyr Martyrem generat, *Laurentius Romanum*, qui etiam capite minutus & ipse granum frumenti fuit, & semen Christianorum. Adeò verùm illud Tertulliani: *Sanguis Martyrum, semen est Christianorum.*

Quod si D. LAURENTIUS in primis tormentis, cùm

cùm ei vita paulatim excutitur, ut è spica granum, eos fructus tulit & tanto fœnore; quos dabit in extremis? In his libera voce dum Christum confitetur & inclamat, os ei lapidibus contunditur: quo in cruciatu dicere potuit, & quidem veriùs quàm ille quondam Anaxarchus: *Tunde, tunde Anaxarchi vasculum; at Anaxarchi constantiam non teres.* Dicere, inquam, potuit Decio Cæsari Tyrannorum immanissimo: Tunde, tunde Laurentii vasculum; at LAURENTII constantiam non teres.

Et verò teri non potuit; imò nec igne exedi ac consumi: sinus semper fuit & ubique liber LAURENTIUS, in carcere, in equuleo & catasta, in verberibus, pressuris, immanique corporis laniena; & suus ac liber erit in craticula, dum lento uretur igne, dum suppositus prunis & lecto ferreo instratus excoquetur veriùs quàm ardebit.

Ita nimirum excoqui debuit, ita ardere frumentum Christi, ita æstuare inter incendia LAURENTIUS, ut quot ex ejus corpore stillarent guttæ, tot essent semina Christianorum.

Et certè etiam fuerunt: Quot enim tum temporis ejus constantia permoti nomen dedere Christo? Quot idola abjecêre? Quot corpus ferro, ignibus, tormentis mortique obtulere, & animam Cœlo Deoque? Quot etiamnum aut Virgines tenellæ, aut adolescentuli delicatiores animos sibi fecêre altiores? Et quot facient in ævum omne, dum unà cum D. LAURENTIO frumentum Christi effecti recondantur in horreo cœlesti, æterna donandi beatitate?

Hac cùm donata esset ingens illa D. LAURENTII anima, & ipsa de exanimi corpore piè sollicita, è craticula, è prunis ac carbonibus subduci voluit, & instar grani frumenti ac seminis electi, iterum terræ recondi; utque decorè conderetur, nocte intempesta sese visendum dedit viduæ Cyriacæ, monuitque in agro Verano deponi corpus, ut etiam ex eo nova germina daret Christianitati.

Ita porrò factum est quàm optimè: Sacrum corpus, magnæ mentis exuvias, Justinus Præsbyter & Hyppolitus sepelivêre. Crederes emortuum corpus, ceu semen: emortuum enimverò est; sed ut vivat in semine, in grano quod producit.

Quod illud quæris? Est Hyppolitus jamà LAURENTIO Christianus, mox etiam Martyr; nam & os illi lapidibus tunditur, & caro fustibus cæditur, & unà cum illo Concordia ejus nutrix plumbatis & ipsa cæditur atque expirat inter verbera; tum etiam familia tota, quæ censebat personas omninò novemdecim, spectante Hyppolito obtruncatur; demum & ipse capite minuitur. Ecce quot ab uno Martyre Martyres, quos ab uno frumenti grano succrescunt grana, ut de illo verum esset istud Christi oraculum: *Si mortuum fuerit, multum fructum affert.*

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Qui amat animam suam, perdet eam: qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* vers. 25.

QVÆ ANIMA? ET QVOD ILLIVS ODIVM?

Quid hic anima? HOC Christi Domini oraculum hæreticis (qui dicti sunt Circumcelliones) petra fuit scandali, & lapis offensionis; inde enim occasionem sumpserunt erroris, & diræ in seipsos immanitatis: ut enim testarentur se animas odisse, aut aquis sese suffocabant, aut immani præcipitio frangebant, & perdebant quàm pessimè.

Secus omninò Catholici: hi enim & vitam hanc mortalem probè odisse hinc didicerunt, & immortalem custodire.

Tantum interest quomodo Scripturam intelligas, benè, an malè: Qua tamen subobscura est, & Christianum veluti paradoxum, ideò pauca præmittemus de illius explicatione & germano sensu.

Sancti Patres in duas discedunt sententias: Sunt enim, qui per *Animam* intelligi credant insana illius desideria, & concupiscentias, seu eas in carnem inclinent & impios amores, seu ad ea quæ mundi sunt & vanitatis, seu denique ad auri argentique cupidinem; quam si præ Dei voluntate ac mandatis amaveris, vitam perdes, & æternam quidem; secus autem, si oderis vitam, custodisti in ævum omne Beatitatis.

Ita D. Chrysostomus qui sic ore aureo in hunc ipsum locum:

Amat animam in hoc mundo, qui desideria ejus inconvenientia facit; odit autem, qui non cedit ei noxia concupiscenti.

At quomodo, inquies, ea desideria dicuntur anima? Ex uno de reliquis esto judicium.

I. Divitiæ anima avari. Est illud malè sana opum cupido: hæc enim avaro & divitiarum appetenti est pro anima, pro vita; imò & pro corde, vitæ fonte.

D. Augustinus dum expendit adolescentis illius defectionem, & abitum subtristem à Christo, qui illi hæc dixerat: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus*; simul etiam expendit istius defectionis causam, quæ est ejusmodi: *Erat enim habens multas possessiones*: eæ porrò si præcidi debeant, *velut membra præciduntur*, inquit. (Matth. c. 19.)

Rectè *velut membra*, quæ nonnisi ægrè, summo doloris sensu præciduntur, quia corporis & vitæ pars aliqua cum illis præcidi videtur, imò & vita tota & fons ipse vitæ: cor, inquam, membrum princeps & principium omnis vitæ: hoc enim homini avaro sunt divitiæ. (Epist. 45 ad Paulinum & Terasiam)

Appello vetus illud Labani ad Jacobum, qui fortè ex illius domo amplissas opes exportarat:

Quare, inquit, *sic egisti, ut clam me abigeres filias meas? Quid fecisti, & furatus es cor meum?* id est interprete Cajetano, *Furatus es meas divitias, quæ mihi erant instar cordis.* (Gen. c. 31. v. 26.)

Quod si divitiæ cor sunt; & vita sunt & anima: quas proinde qui amat, perdit animam; qui verò odit, servat.

Ita odit D. LAURENTIUS: Apud illum *esse credebantur opes Ecclesiæ quas desiderabat persecutor, non tam avarus, quàm furiosus. Oderat quem occidebat. Sed amabat apud eum quod ille contemnebat. Erat enim S. LAURENTIUS pauper opibus, dives moribus*, inquit D. Chrysologus. (Chrysol. Serm. 135.)

Vis

Vis nosce quàm *pauper opibus?* *Non se negavit Ecclesia habere divitias; sed ut eas ostenderet, tridui dilationem petiit: Deinde mandavit congregari agmina pauperum: Tum ipse die corona sua præsentatus examini, tanquam demonstraturus quod ille quærebat, demonstravit quod habebat;* agmina scilicet pauperum.

Ecce facultates Ecclesiæ, ecce opes LAURENTII, qui verè *pauper opibus, dives moribus.* Pauper, inquam, quia etsi facultates omnes Ecclesiæ haberet, nihil tamen ex eis habere se credebat; sed tantùm pauperes quos habebat, & à quorum possessione *Dives* erat *moribus*, hoc est caritate & pietate.

Ex hac & illa confice, Amice Lector, quomodo D. LAURENTIUS animam suam, hoc est facultates omnes, in hoc mundo oderit, ut & illam & has in vitam æternam custodiret.

II. Anima, id est vita. Attende etiam quomodo & ipsam quam vivimus vitam oderit, & odiendo servarit ex præcepto Salvatoris; cujus, ut inquit D. Augustinus,

Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor ut pereat; odium ne pereat: si malè amaveris, tunc odisti; si benè oderis, tunc amasti.

Hæc ubi protulit S. Doctor tunc subjicit illud Epiphonema: *Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.*

Ita odit D. LAURENTIUS vitæ mortalis piè prodigus ne vitam immortalem amitteret.

D. Chrysol. Serm. 135. Vis nosce quàm prodigus: Primò ætatem specta: *In ipso juventutis suæ flore decorem juventutis suæ sanguine purpuravit.*

Si quæ homini sit ætas vitæ appetentior, ea est juventus, quæ longos amat annos, ferósque numerat soles, quos præscindere atque extinguere si tentes, vim magnam afferas est necesse: illi quippe usu venit quod frugibus, quæ si immaturæ sint, non decutiuntur nisi violentè; at si maturæ fiunt, sponte defluunt: sic & senecta ævo quidem longiore jam matura vitæ cedit non invita; at juventus omnisi violenta manu carpitur, non occidit nisi præcoce fato avulsa. Sic & LAURENTIUS, si naturam attendas ejusque vota, primos ætatis flosculos morti non dedisset: at dedit Gratiæ, dedit Religioni, dedit Deo: & hoc quia animam suam odisse didicerat ut servaret.

D. Chrysol. Vis nosce rursum quomodo odisset? Oculos ad illum erige, & vide *ut Episcopum suum Sixtum pergentem ad Martyrium sequeretur, Fide sultus, tristis affectu; non quia ille patiebatur, sed quia ab illo ipse deserebatur.*

Attende quo vultu, quo animo excipiebat propheticas illas B. Sixti voces: *Post triduum me sequeris Sacerdotem, Levita. Tunc enim ebibita Prophetia jam corde paratissimus, & spiritu ebrius, certum speravit futurum quod prædixerat ille qui noverat.*

Hæc de illo S. Chrysologus, inquo expende singula verba; sua quippe vis illis inest atque energia:

Primò, *Ebibita*, inquit, *Prophetia*; Eam nimirum avidè hausit, ut potum solet vel maximè sitibundus atque aridus.

Deinde, *Corde paratissimus*: ne putes ea verba quæ jactavit mortis amantior ob ore tantùm manasse extremisque labris, ac non potiùs ab imò corde atque affectu.

Denique, *Spiritu ebrius*; Ardor quippe patiendi, & ipsa mortis appetentia caput invicti Martyris invaserat, & salutari quadam vertigine atque ebrietate ita agitabat, ut nullibi quiescere posse videretur nisi in ipso lethi sinu.

Hinc, ut aureè D. Chrysologus, *Craticulam supplicii lectum quietis putabat, quia plus ardebat, quam urebat. Vrebat in carne, ardebat in corde.*

Ab illo ardore manarunt liberæ ad Tyrannum voces: *Versa & manduca, assatum est satis*; ostendebat nimirum *Beatissimus Martyr*, quàm quietè jaceret in craticula, fœdè tamen ustulatus. D. Chrysol.

Miramur patientiam; Donum Dei miremur: Ibi Fides non solùm non arsit; sed & consolatur ardentem. Quare Fides consolabatur ardentem? Quia Fidelem tenebat promatentem.

Eum & ipsi teneamus: utque teneamus, *in nobis Fides non deficiat, Spes non avertatur, Charitas interpanss etiam plus accendatur, ferveat oratio, festum Martyris celebretur; sed ut non sit inanis qui celebrat, imitetur.* Hæc olim ad suos D. Chrysologus, eadem ad nos è Cœli Regia sedéque Beatitatis, quos nimirum vult ardere eodem igne, quo aliquando arsit D. LAURENTIUS, igne scilicet Divini amoris.

Hoc certè arsit Lucia Narniensis è Dominicana familia Religiosa, quæ etiam cutem gestabat subnigram, & velut ab igne tostam: nimirum, quæ intus ardebat flamma cœlestis, etiam extrinsecus se prodebat, & in ipsum corpus cutémque evadebat.

Hinc ab illa etiam ardentior, & quasi alienata à se, & piè amens exclamabat:

Ignem, ignem, sorores meæ; amore IESV torreor, & vivere nequeo. Hist. Dominicanarum.

Hæc illa in æstu Divini amoris, qui sæpiùs ad decem, duodecim, imò & sedecim horas eam tenebat, sola ferè lingua mobilem, cæterà penitus immobilem.

Utinam & nos incenderet ille ipse cœlestis amor & languor amoris, uti & accendit occupavitque Sponsam, quæ eo succensa ac colliquescens ingeminabat illud amantis:

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Pro *floribus*, Hebraïzantes vertunt, *lagenis, scyphis, calicibus vini*, quibus scilicet, ceu ignis oleo, magis ac magis accendatur in sponsum amor. Et verò quidni accendatur etiam in immensum, in infinitum si possit, cùm in Deo immensa atque infinita sit Amoris abyssus.

B. Stephana de Soncino è sacra D. Dominici familia in excessu mentis vidit aperiri sibi profundissimam atque immensam amoris abyssum; tum audit hunc divini amoris oceanum à nemine de condigno amari, nec verò etiam amari posse, nisi à Deo: denique petiit ut veniret in partem aliquam illius amoris, & amando si minus exhaurire posset oceanum illum, at saltem ex eo haurire plusculum, *Alioquin*, inquiebat *moriar.* In ejus vita.

Et hoc Deo annuente datum, imò ut magis in dies ac magis ex eo hauriret.

Quod utinam & nobis concedatur, ne amor ille immensus, infinitus non ametur: quod profectò dignum esset lacrymis, omnique comploratione: uti dignum censuit D. Franciscus, qui cùm ubertim fleret, causam rogatus, respondit: *Fleo quia amor non amatur*; hoc est Deus, qui totus amor est, non amatur.

IN

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.



BEatus Henricus Suso, illustre decus familiæ Dominicanæ, altera post Assumptionem Virginis die in excessu mentis vidit aperiri beata Divorum atria, in quæ dum intrare parat ac satagit, ecce illum apprehendit adolescens, & ait: Hic siste, Frater, dum exolvas debitum quo tenêris obstrictus. Ista vix dixerat cùm per varios anfractus viarum duxit in antrum obscurum & inane, è quo nec amicum Solis jubar, nec argenteum Lunæ nitorem, nec Stellas ætherei Orbis igniculos poterat intueri; damnatus ad tristes tenebras invisamque noctem, qua veluti quibusdam vinculis etiam teneri videbatur.

Hîc dum gemit, suspirat, & apud se multum queritur Suso; adolescens ille, qui priùs abierat, redire visus, & ex illo quærere, quî valeret: cui, pessimè, inquit Henricus; tum ille: Scias Cœli Reginam tibi subiratam, ob culpam, cujus causâ hic detineris. Ecquænam illa est? ait Suso: Ægrè fert quòd festivis illi diebus, atque etiam heri Assumptioni illius sacrâ ac solemni luce, concionem detrectaris. *Bolandus in ejus vita 25. Ian. c. 18.*

Tum Henricus: Eam ego provinciam aliis relinquo, qui ab ætate, à doctrina, ab eloquentia magis instructi: Quid enim ego de Cœli Orbisque Domina? Tum adolescens: Etiam illi, inquit, pergratum à te aliquid audire, ideóque ne id officii inposterum detrectes.

Hîc Suso in gemitus, in lacrymas totus resolvi, & rogitare ut suboffensam sibi Dei Matrem Cœlique Reginam placaret, sanctè se promittere suo nunquam posthac muneri defuturum.

Subrisit hic adolescens, missus scilicet è Superûm domo cœlestis genius, & placatam Dei Matrem addidit, ex antro eduxit, & sibi Henricum restituit.

Et sic peracta est ea scena, in qua suspicere licet & amare Dei Matrem, quæ etiam aliquid de se dici vult balbutiente licèt lingua: Quid facias? Mater est, & nimium quantum benigna Mater: Facit illa quod matres solent, quibus etiam arridet filiorum infantia, à qua quidquid elabitur, egenum sit licèt atque infirmuni verbulum, gratum tamen accidit.

Hac spe fretus, hac tua indulgentia nixus, ô Augusta Dei Mater, Cœli terrarumque Regina, in aliquas de te laudes, & hujus diei lucem, linguam, infirmam licèt ac debilem, expediam tamen atque explicabo: in qua si quæ hæsitatio, si quis error, error erit amoris tui, ô MARIA.

Interim etiam à cliente tuo D. Thoma Aquinate pauca audire licebit.

EX D. THOMA.

PEr sex arbores cum quibus componitur Diva Virgo, ejus exaltatio bellè exprimitur: & quidem:

Eccl. c. 24. Primò, Per *Cedrum*: dicitur enim *quasi Cedrus exaltata*. Cedri porrò Angelos designant naturâ sublimes & gratiâ: Et super hos exaltata Virgo Mater; ut quæ à virginitate vitam duxerit Angelicam, imò Angelicâ superiorem: *In carne* enim *præter carnem vivere, non terrena vita, sed cœlestis.* *Hieron.*

Secundò, Per *Cypressum* notantur Patriarchæ & Prophetæ: Et his eminet Diva Virgo per odoris, id est virtutum, suavitatem, & prophetiæ donum.

Tertiò, Per *Palmam* significantur Apostoli, victrices animæ, & de mundo triumphantes: & super horum triumphos est Deipara.

Quartò, Per *Rosam* indicantur Martyres, quibus color à sanguine purpureus: Et Virgo *quasi Rosa plantata super rivos aquarum*, hoc est tribulationum, à quibus etiam doloris gladio transfixa purpuream effudisset animam, nisi eam vis altior sustinuisset. *Eccl. c. 39.*

Quintò, Per *Olivam* exprimitur Confessorum fides ac professio, & qui inde manavit fructus: Et in hoc quoque excelluit Dei Mater, de qua illud: *Beata quæ credidisti.*

Sextò Per *Platanum*, utpotè naturæ frigidioris, signantur Virgines, in quibus extinctus ignis concupiscentiæ: Et hic quoque in Virgine extinctus, imò & illius fomes.

EX D. BONAVENTURA.

Ia c. 10. Luc. PRimò notat Seraphicus Doctor Christum intrasse Castellum Mariæ & Marthæ vel Evangelii prædicandi causâ, vel hospitii, in quod humaniter admissus à piis sororibus.

Secundò, Martham illum excepisse non sine ingenti animi sensu & gaudio: quod in illa urbanitatis fuit & caritatis in Activa vita, quam amabat & colebat Martha.

Tertiò, Huic fuisse sororem Mariæ nomine, quæ cùm impensiùs ambiret Verbum Dei, & otium perfectæ Contemplationis, sedebat ad pedes Domini: quod fuit humilitatis, quæ decet Contemplativos: in hoc enim emittit Dominus *fontes quasi in convallibus.* *Psal. 103.*

Quartò, Quod Martha satagebat circa frequens ministerium: quod Activæ vitæ fuit, quæ otium odit ac fugit, de quo blandè sororem incusat: tacet tamen hæc, & causam suam Christo, ceu Iudici committit: *sedebit* nimirum Contemplativus *solitarius & tacebit*, & pro illo loquetur Dominus: uti & hîc pro Maria. Sic nimirum: *Nihil perdit Maria tacendo, quia Dominus causam ejus assumit defendendo*, ut piè notat D. Bernardus. *Thren. c. 3.* *In Assumpt. Serm. 3.*

Et hæc de Evangelio, quod quî conveniat Divæ Matri, quî solemni ac festivæ ejus in Cœlos Assumptioni, patebit ex iis quæ subjiciemus.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Intravit IESVS in quoddam Castellum.* Lucæ cap. 10. vers. 38.

QVOMODO CONVENIAT ILLVD ASSVMPTÆ in Cœlos Virgini?

Non convenire contendit.



DUo sunt hominum genera, quæ hîc mussitare, obstrepere, obloqui, imò & clamitare Evangelium istud festo Assumptæ Virginis inconcinnè & ineptè Legi.

I. *Vulgus ignarum.* Primum, est imperitum & ignarum & rude vulgus, cui hîc usu venit quod picturam aliquam admota propiùs quàm oporteat oculo contemplanti: Si cujuspiam Appellis, aut Titiani, aut Rubenii pictas affabre imagines, cominus & subjecta quasi tabulæ oculi pupilla conspexerit, colores adeo temerè projectos aspiciet, ut non picturam aliquam, sed indigestam molem, informem imaginem, imò monstrum imaginis existimabit.

Ex verò tamen nihil ejusmodi: nam ex arte colores sparsi, & hi quidem crassi, subnigri, & quasi depressi; illi leviores, lucidi, & velut eminentes, ducta eleganter lineamenta omnia, quæ Virginem, quæ Regem, quæ Cæsarem, imò quæ Christum referant prout referre voluit artis suæ non imperitus alter Appelles.

Ut autem sic referat, necessum est ut aspicias eminus, è longinquo, ex justa oculi ab objecto distantia: quam si serves, non sine amabili stupore videbis amœnam quandam colorum varietatem atque mixturam, egregiam membrorum omnium compagem, & inter se proportionem, formam elegantem, cui nihil desit nisi vox, & anima; & si oculis tantùm crederes, diceres etiam juratus, nec hanc nec illam desiderari; adeò bellè hominem repræsentat.

Quod isti picturæ; idem & hodierno Evangelio: qui enim illud oculo corporis legit, qui propiùs quàm deceat, qui ex litteræ sensu, & rudi velut atque informi cortice: exclamabit illicò nihil ad Virginem spectare, nihil illi commune cum prototypo, hoc est cum MARIA in Cœlos assumpta; imò cum illo discrepantia multa, multa mirum quantum pugnantia.

Et hoc jactabit vulgus, rude quidem illud atque Insanum: cui citiùs & faciliùs venia dabitur; quia ex inscitia peccat & errat: at hæretici ea malitia, & insana quadam maledicendi licentia atque prurigine: Et hæc est secunda hominum classis, quæ hîc obmurmurat, reclamat atque oblatrat: & ex illa fuit Bucerus, infamis hæresiarcha, qui dum ex Ecclesiæ instituto hoc Evangelium prælegi audit ipso Assumptæ Virginis die; ista impuro ore evomere ausus: II. *Hæretici.* III. *Bucerus.*

Bone Deus, quàm miserè torta est hæc lectio, ut Assumptioni Divæ Virginis, Christi Matri responderet.

Deum inclamat atque appellat non sine stupore stupidum caput, qui hanc lectionem Evangelicam miserè tortam credit: Ecquid enim? (Ait ille, aiunt & alii ejusdem farinæ ministelli.) Quid Castello, quid Mariæ, quid Marthæ cum Virginis Assumptione affine esse possit? *Eorum rationes afferuntur.*

Castellum, lapidea moles in quam venit Christus, ut hospitium quod inhospitales Samaritani negarant inveniret. Quid ingressu in Castellum cum ingressu Virginis in Cœlum?

Magdalena hîc adest sedens; MARIA ascendens: Magdalena ad Domini pedes? MARIA à dexteris Christi: Magdalena multis lacrymis vitæ anteactæ scelera deflens; MARIA peccati omnis expers cœlesti gaudio delibuta. Magdalena in terris meliorem partem elegit; at MARIA optimam in Cœlis. Quid ergo MARIÆ cum Magdalena commune? Quod si illi nihil commune; multò minus Marthæ.

Turbatur Martha (quod infirmi & pusilli est animi) at MARIA in summa pace ac tranquillitate versatur (quod mentis & intelligentiæ est, altioris) Martha fatigatur circa frequens Domini ministerium;

MARIA

MARIA quietem adepta ac beatitatem intrat in gaudium Domini sui: Martha ex genio muliebri satis querula, de sorore apud Dominum querelas deponit; MARIA è contrariò illi congratulatur atque congaudet: Martha à Christo reprehenditur; in MARIA nihil reprehensione dignum invenitur; imò nec inveniri potest. Quid ergo Marthæ cum MARIA?

Et refutantur.

Hæc aliaque objicere hæretici, vulgus imperitum, quòd, ut dixi, expressam suis coloribus in Martha ac Magdalena Virginis MARIÆ imaginem oculo corporis non Fidei intuentur, qui litteræ sensum, ceu rudia quædam lineamenta spectant, & quasi informem picturam attendunt: at non sic Catholici, qui ad mysticum sensum pervadunt meliori intelligentiæ vi ac perspicacia, & in eo legunt expressam aliquam Virginis Assumptæ imaginem, quam oculis subjicit S. Lucas, Christianus Apelles. Juvat illius manum ac penicillum oculo Fidei sequi, & videre qui cum Assumpta Deipara hoc Evangelium conveniat.

MARIA Castellum.

Primò enim MARIA Castellum est, & quidem inexpugnabile etiam tartareis potestatibus, ut patebit ex quæstione sequenti.

Secundò, in hoc ingressus est JESUS, & quidem via triplici:

I
In eam ingressus.

Primò, per Gratiam jam inde ab Immaculata illius Conceptione; sed tum vel maximè, cùm è cœlesti Genio audit illud: *Ave gratia plena, Dominus tecum. O salutationem bonorum infinitatem afferentem*, exclamat D. Chrysostomus: Ea porrò bonorum infinitas, gratia fuit eò loci ac temporis infusa, quam *immensitatem gratiæ* appellat Divus Anselmus. Divus Bernardus, *Quendam Divinitatis oceanum*, è quo in alios rivi & flumina omnium gratiarum emanarunt. D. Hieronymus, *Totam gratiæ plenitudinem*, à qua ut piè advertit D. Bernardus, *Plena sibi, & superplena nobis*; ut scilicet *de ejus plenitudine omnes acciperemus*, & in omnem æternitatem retineremus.

Hom. 1. in Ep. ad Rom. — *De excell. Virg. c. 8.* — *Serm. 61. in Fer. post Pascha.* — *Serm. de Assum. Virg.* — *Serm. de aqua ductu.* — *Serm. in Annunt.* — *Richard. lib. 10. de laud. Virg.*

Ab hac porrò plenitudine ac profusione, dicta Virgo Mater à D. Gregorio Taumaturgo, *Gratiæ Thesaurus*. A Richardo de S. Laurentio, *Gazophilacium utriusque Ecclesiæ*; militantis scilicet ac triumphantis: quia quidquid boni, aut mortalibus in terris, aut immortalibus in Cœlis datum est, id omne prius in MARIA velut in quodam Gazophilacio Divina munificentia congregarat, ut deinde ex illo in alios omnes effunderet.

Et hic primus est ingressus in MARIAM, ceu Virgineum Castellum.

II
In eam ingressus.

Secundus est per ipsam Divini Verbi Incarnationem: in hac enim Virginis utero quasi se totam infudit Divinitas, in hac Deus homo, in hac JESUS ingressus in MARIAM, & sub hoc ingressu audit ab Angelo: *Gratia plena, Dominus tecum.*

In Lucam hoc loco.

Benè sola, gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratia repleretur authore, inquit Ambrosius.

Benè gratia plena, quæ gratia concipiat, & generet authorem.

Serm. de S. Deip.

Benè gratia plena, ex qua, ceu Castello munitissimo, in campum hujus mundi *prodiit Rex Dominus Deus noster*, ut scitè D. Athanasius: Prodiit, inquam, ut carni aliàs molliculæ, ut mundo fallaci ac vanitati, ut dæmoni, & tartareis potestatibus bellum acre indiceret: Pacem verò ac quietem, imò & meliores Cœli divitias afferret hominibus bonæ voluntatis.

Serm. de Annunt.

Verum enim illud quod extulit olim B. Petrus Damianus: *Quod Dominus IESVS à duobus locis voluptatis egreditur: ex utero Patris, & ex utero Virginis.*

Ex utero Patris jam inde ab æternitate; ex utero Matris tempore à Divina Providentia definito.

III.
In eam ingressus.

Et hinc ascendo ad tertium ingressum Christi in MARIAM, ceu locum, ceu etiam Paradisum voluptatis. Verè enim *MARIA Paradisus est voluptatis, in quo omnes delicias deliciarum Dominus cumulavit.*

Pet. Damian. ut suprà. — *Cant. c. 8.*

Ad has porrò delicias dum attoniti stupent Angeli, dum eas amat laudatque ipse *Spiritus Sanctus, admiratorio sermone in Cantico sic eructat: Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?*

Hæc cœlestes Genii, hæc Spiritus Sanctus, hæc ipse Filius, qui dum in eam per beatitatem ac gloriam ingressum parat, amabili quodam stupore raptus exclamat: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto* terrestris mundi, deliciis cœlestibus affluens: deliciis, inquam gratiarum: mox etiam deliciis gloriæ ac beatitatis. Ad hanc dum vocat, sic ad illam:

Guarricus Serm. 3. de Assumpt. — *Serm. 2. de Annunt.*

Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. Verè MARIA Thronus est: Si enim de ea, cùm Deum hominem adhuc mortalis concepit, dixit D. Gregorius Taumaturgus: *Tu Thronus evasisti Cherubicus, ubi glorificatur Pater.* Quantò magis ubi Deum jam immortalis admisit. Thronus erit, in quo Pater Æternus, in quo Filius Increatus, in quo Spiritus Sanctus, quanta quanta est ipsa Divinitas per gloriam inhabitabit, & velut in throno ac solio quodam beatitatis conquiescet. Potissimum verò Filius ipse, quem in Cœli Regia sic Matri loquentem inducit Guarricus Abbas: *In te quandam mihi Regni sedem constituam, ex te judicia decernam, per te preces exaudiam.*

Suprà.

Hæc ad Matrem Filius, ex quo colliges, Amice Lector, quomodo quàm optimè conveniat etiam Assumptæ Virgini istud Evangelicæ lectionis: *Intravit IESVS in quoddam Castellum*, quod erit illi pro throno, pro solio, è quo judicia feret de Orbe etiam universo.

Venio ad aliud caput convenientiæ. Castellum illud, erat Marthæ & Mariæ sororum, in quibus exprimuntur vita *Activa & Contemplativa.*

In Martha vita Activa.

In Martha quidem (quæ tota occupabatur curis domesticis, & pro circa Christum hospitem ministerio) *Activa* bellè ostenditur. In Magdalena verò (quæ procul à turbis, procul erat à culinæ, mensæ, reliquæque familiæ occupationibus, & quieta sedens ad Christi pedes, avidis auribus, avidiore animo, excipiebat verbum Domini) species & imago exhibetur vitæ *Contemplativæ.*

In Magdalena contemplativa.

Ecce præclara virtutum decora; ecce actiones longè nobilissimas; ecce duplicem vitam adumbratâm in duabus sororibus Martha & Magdalena.

Utraque in Maria.

At longè melius in MARIA Dei Matre, quæ ut alio omni genere perfectionis excelleret; ita & in hoc actionis & contemplationis, vitæ activæ & contemplativæ.

Hinc rectè Eusebius Emissenus: *Meritò*, inquit, *SS. Patres constituerunt, ut in hac solemnitate B. Virginis MARIÆ hoc Evangelium legeretur, quæ specialiter per has mulieres significatur. Ipsa enim inter omnes creaturas utriusque vitæ, activæ scilicet & contemplativæ, plus cæteris omnibus privilegia custodivit*: plus Marthâ, plus & Magdalenâ. Martha quippè semel iterumque Christo ministravit: at MARIA quàm sæpissimè, ab ipsa scilicet infantia adusque virilem ætatem, imo & mortem. Si Maria ad pedes Domini considens audiebat verbum illius; at MARIA non audiebat tantum, sed & in corde suo altè recondita conservabat, & tam in hoc quàm in illo vitæ Activæ & Contemplativæ munia omnia præstabat.

Accedit & alia similitudinis ratio, & quidem huic tempori festoque perquàm accommoda: Si enim Martha Dominum hospitio recepit; MARIA etiam thalamo suscepit uteri sui, ut ex vero jactare posset illud: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.*

Guarricus Abbas.

Et inde ut Marthæ quondam à Christo hospite initium & origo bonorum omnium fuit; sic & Virgini jacta tum fundamenta futuræ posthac gratiæ, gloriæ ac beatitatis, quam longè cumulatissimam

meruit eo maternæ caritatis officio, quo Deum in terris hospitem excepit, portavitque mensibus omninò novem, in aula, in regia Virginalis uteri, è qua Matri tum dicere potuit Infans JESUS quod deinde electis dicet in extremo Judicii die: *Hospes eram, & collegisti me*. Ideoque veni, veni benedicta Patris mei, possibe paratum tibi Regnum, Thronum ascende gloriæ, & veni, veni, coronaberis.

Et hæc paucis, ut pateat Evangelium de Martha & Magdalena Assumptæ Virgini non incongruè adaptari potuisse: subjicio nonnulla de fine, quem sibi in eo proposuit provida Mater Ecclesia.

Finis illius? Deiparæ Virginis virtutes uno quasi compendio comprehendi voluit in Martha & Magdalena; hoc est in vita Activa & Contemplativa: in hac quippè & illa virtutem omnem exerceri necessum est.

Sunt enim hæ velut duæ pennæ innocentis columbæ, hoc est animæ, quæ ex arca corporis evolat, &, accepta æterna pace in Noëmi, hoc est Christi, sinum devolat.

Cap. 15. Sunt veluti duæ manus, quæ Regium Salomonis Thronum exornant.

Sunt veluti illæ duæ famulæ Reginæ Esther, hoc est MARIÆ, quibus partim innixa, partim comitata, ad Regem, ad Sponsum veniebat.

Et verò sic venit D. Mater, de qua dici aliquo modo potuit quod de Deo ter Opt. ter Max. pronuntiavit D. Augustinus: *Deus semper agens, semper quietus*; ita enim semper agit, semper movetur, & movet; ita creat, conservat creaturas omnes æterno operi velut intentus, adeòque & actioni; ut tamen etiam *semper quietus*, in alta scilicet, æterna, Divinaque suispsius cognitione ac comprehensione: quod summæ est ac perfectissimæ contemplationis. (L. 1. Conf. c. 14.)

Sic & infra Deum MARIA: *Semper agens, semper quieta*: sic enim agebat, ut simul quiesceret: sic vacabat actioni, ut simul etiam contemplationi. In qua imitabatur Angelos: sic enim illi intendunt creaturis suæ curæ commissis, ut à Deo, & ejus visione nunquam discedant. Hinc Angelos vidit olim Iacob è scala sublimiore descendentes (quod ad actionem attinet) ut simul etiam ascendentes videret (quod spectabat ad contemplationem.)

Sic & D. Virgo, Angelorum æmula descendebat ad opus aliquod externum, ad officia Virgineæ caritatis; Domini ac Filii sui Discipulos docebat, (quod activæ vitæ munus erat) ut tamen eo ipso tempore ascenderet in Cœlum, in ipsum Dei sinum, altissima de illo contemplatione, & amore quàm ardentissimo: quod clarè patebit ex ipsa occupationis serie, quàm sibi statuerat Virgo Mater teste Ignatio, & Hieronymo Epistola ad Cromatium & Helvidium.

Surgebat è lectulo summo mane, & ad auroram usque orationi vacabat: ab aurora recolebat animo quæ de Filio suis olim usurparat oculis, mysteria scilicet Conceptionis, Nativitatis, Baptismi, Jejunii, Passionis, Sepulturæ, Resurrectionis, Ascensionis; & inter æstus, ardoresque Divini in homines amoris, Æterno Patri granas agebat, granas & Filio, gratias & Spiritui Sancto de tam profusa caritate. Die verò illucescente usque ad tertiam, loca, quæ mysteriis illis ulim consecrata erant, singulari pietatis sensu revisebat. A tertia ad nonam textrino vacabat operi: à Nona autem orationi se dabat, usque dum Angelus missus è Cœli Regia fidelis minister escam ei deferret cœlesti manu, quam cum multa gratiarum actione sumebat.

Ita nimirum Virgo Angelicà victitabat escâ, & si quid aliundè deferretur, in pauperes erogabat.

Et hæc continua Virginearum occupationum series fuit, in quibus legas & activam vitam & contemplativam, & sparsas in hac & illa præclaras virtutes: quas ut oculis subjiceret pia Mater Ecclesia, hoc ipso solemni die Assumptæ Virginis, Evangelium de Martha & Magdalena legendum proposuit; ut dum evectam in Cœlos Virginem contemplaris ac suspicis, simul etiam edisces quæ illi ad Superos fuerit Deumque via: via scilicet magnarum virtutum, quas & amare, & in teipse, quà licet, exprimere etiam possis ac debeas.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Intravit IESVS in quoddam Castellum.* Lucæ cap. 10. vers. 38.

QVOD ILLVD CASTELLVM? Vnde dictum? Et qui Castellum MARIA?

Quod Castellum? Ox Græca κώμη significat vicum, pagum, oppidum; Bethaniam scilicet, ubi Martha & Magdalena domum amplam habuere, in quam admissus est nobilis, cœlestis, divinus hospes Christus, & amicè exceptus à Martha: ita nimirum, ut eleganter D. Augustinus:

Suscepit famula Dominum, ægra Salvatorem, creatura Creatorem, spiritu pascenda, in carne pascendum, dignatione, non conditione. (Serm. 26 de Verb. Dom.)

Suscepit, inquam, non sine ingenti bono, & spiritali animæ proventu, à quo & in vita gratiam uberiorem, & à morte beatitatem, ac cœlestem domum accepit. Morienti enim sese spectandum dedit Servator Optimus, & pro terrestri hospitio, quo apud eam non semel usus, cœleste reddidit in omnem æternitatem, ad quam sic invitasse fertur.

Veni hospita mea dilectissima: quia sicut tu me in domum tuam recepisti; sic & ego te in Cœlum meum recipiam. (D. Antonin.) Hæc illi Christus, qui, ut testis est D. Antoninus, & sua quoque præsentia Marthæ famulæ suæ funus & sepulturam honorare dignatus est. Tanti fuit Christum hic excepisse hospitio.

Castelli etymologia. Glossa in c. 10. Luc. Venio ad ipsam Castelli notionem, & etymologiam. Prima vult Castellum dici quasi castum illum: & hac notari potest candida Virginis immaculatæ Castitas. Altera censet Castellum diminutivum castri, quæ diminutio profundam ejus humilitatem designare potest: atque ita vel ex ipsa nominis etymologia Deipara Castellum esse & dici potuit, conveniente sanè metaphora: cui dum in præsenti inhæreibimus, singulas illius partes oculo menteque legemus. (Maria Castellum.)

Ac primò quidem, quis illius Fundator? Quis archite-

Quis ejus fundator? architectus? Multum enim interest quis ille; solent enim & civitates & castella nomen sibi famamque ab illis facere.

Sic Alexandria ab Alexandro, Numantia à Numa, Roma à Romulo fundatoribus gloriam apud posteros invenère: Et à suo quoque MARIA Castellum invenit. At quis ille? Ne Serlium aliquem, ne Vitruvium, ne unum ex antiquioribus architectis tibi finge; ne hominem, imò ne Angelum: Psalm. 86. Deus fit oportet: *Ipse enim fundavit eam altissimus:* Ideam ille Mariani Castelli, jam inde ab æternitate in mente habuit.

Necdum erat hæc terræ moles, necdum effusa, maria, necdum expansus aër, necdum æther & immensi Cœlorum orbes, necdum astra & orbis oculi: & tamen erat MARIA, erat in Idæis Divinis, in mente supremi illius Architecti: hinc de se jactare illud ore Sapientis: *Ab æterno ordinata sum.* Prov. c. 8.

Rectè *ab æterno*, ut scias Virginem MARIAM non esse opus hujus temporis, non unius diei, aut anni, imò nec sæculi; sed ut scitè D. Bernardus: *Negotium omnium sæculorum*, & ipsius, quanta quanta est, æternitatis.

Qualis ejus situs? Secundò quæri potest ac debet, quis illius Castelli Mariani situs: Refert enim plurimum ad Arcis alicujus commendationem, quo illa loco constituta sit; An in molli terra, & arena labili; an in petra, solidoque saxo; an in humili valle; an in monte edit ore ac naturâ ipsâ munito: hæc enim faciunt, ut faciliùs imperi atque expugnari possit.

Commendatur à Sapientia ex architectis unus aliquis, qui volens ædificare domum, quæ hyemes Matth. c. 7. ferret ac tempestates, eam *ædificavit super petram; Descendit*, enim *pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.*

Rationem si voles, hanc reddit Evangelista: *Fundata enim erat supra firmam petram.*

Quis ille Sapiens? Quæ domus? Quæ petra? Sapiens, Deus: Domus MARIA Virgo, cujus *fundamenta in montibus Sanctis.*

Descendit imber tribulationis, exundarunt flumina, imò & maria persecutionum, flaverunt venti maledicentiæ, & facto velut impetu in Mananam domum irruerunt; & non cecidit; imò nec aliqua ratione concussa est.

Quî enim concuteretur, quæ fundata est in montibus Sanctis; imò & in Christo, qui illi fuit pro 1. Cor. c. 10. petra: *Petra enim erat Christus.* Et hæc de situ ac fundamentis Castelli Mariani. De quo

Quæ fossa? Quæri potest tertiò, quæ circa illud fossa; ab hac enim multum accedet commendationis ac roboris: Fossa est Humilitas, & ima quædam in Virgine animi demissio.

Vis nosce quàm profunda? Descende in terram, in abyssum, imò & nihilum; & Virgineæ fossæ, id est humilitatis, profunditatem invenies.

Quæ aliquando futura erat Dei Mater, Isaiæ Hugo Card. Vaticinio dicta est terra *propter humilitatem; Terra* enim *humilius est elementum, Aperiatur*, inquiebat, Isay. c. 45. *terra, & germinet Salvatorem*, id est, *appareat humilitas Beata MARIÆ, & sic concipiat Salvatorem.*

Et verò sic concepit: ut enim illa ipsa Virgo, *Respexit humilitatem ancillæ suæ*; vel ut alii vertunt, *nihilitatem ancillæ suæ.*

Ecce fossæ Virgineæ profunditas, ipsum scilicet nihilum. Quæ porrò & quanta ab illa profunditate vis, quod robur accesserit Castello Mariano; accipe ex Richardo, qui sic de Virginis laudibus:

Lib. 2. *Qui fundasti terram, id est MARIAM, super stabilitatem suam, quæ fuit humilitas ejus, non inclinabitur in sæculum sæculi.*

Illecebris suis ac blandimentis sollicitet caro, non inclinabitur: instet mundus, & montes si voles aureos imponere patet, non inclinabitur: ascendat ex erebo quæ in eo est potestas omnis, & tota incumbat in MARIAM, *non inclinabitur ad peccandum in sæculum sæculi, quia fundata est super stabilitatem*, id est humilitatem suam.

Ab hac sibi scalam fecit, qua in Cœlum sublimis ascenderet; ab hac currum paravit triumphalem, quo super astra, & super omnes Angelorum ac Beatorum choros eveheretur: & ab hac etiam ipsi nobis & scalam & currum ad Superos faciemus.

Ut enim verè Umbertus: *Humilitas scala est ad cœlestia nos subli mans*; humilitas currus est ad Cœlos Cap. 37 de Humil. evehens: *Sedebit in curru humilitatis, qui te in Cœlum sustulit*, inquiebat ore aureo D. Chrysostomus: & Hom. 40. in Epist. 1. ad Cor. ita sustulit MARIAM, quæ, ut ait Marsilius.

Nunquam super omnes Cœlicolas ascendisset, nisi mentis humilitate prius sub omnibus descendisset: eo quod via ad 3. Sent. q. 1. art. 8. *ascensum, sit humilitas.* Sed ne longiùs. Videamus quæ sit fossa Castelli Mariani.

Quæri potest quartò, quod illius vallum. Qui Castra probè muniunt, qui arces & Castella, circumducta primùm fossa vallum deinde erigunt, Quod vallum? quod hosti advenienti objiciatur, quod Castra ab irruptione, arcem à vi proxima & muris ipsis imminente defendat.

Si enim primò impetu ad muros ipsos appellat hostis, jam propè conclamatum: itaque ne appellat, vallum circumducitur.

Et ita Dei ter Opt. ter Max. manu factum est in MARIA. Ne pateret illa hostium incursionibus, imò ne quis ad eam etiam de longè foret accessus, vallum eduxit.

Quod illud petis? Est *Virginitas*: hæc pro vallo fuit ipsi Virgini, cujus scilicet *uterus vallatus liliis.* Cant. c. 7. v. 2.

Lilium Hebræis ac Syris symbolum fuit Castitatis: quod ut pateret vel ex ipso nomine, uno eodemque & Virgo & lilium significabatur: *Bethulath* enim, & Virginem & lilium significabat: non tamen quodcumque; sed clausum, minimèque expansum: Virgo enim claudi amat atque abscondi; non autem patere ac videri. Hinc etiam Hebræis sapientibus, *Virgo, & abscondita*, idem erat.

Hoc porrò Maternæ Virginitatis lilium non violavit Christus; sed in suo candore sustinuit, imò & auxit.

Jussus, olim Moses efformare candelabrum ductile ex auro mundissimo, ac lilia de ipso procedentia, (& hoc figura fuit illius, quod deinde Spiritus Exod. c. 25. v. 31. Sanctus, Divinus artifex) effinxit ille candelabrum, id est Christum, ex auro mundissimo, id est ex purissimo Virginis sanguine, atque ex hoc candelabro lilia Maternæ Virginitatis quasi ex illo procedentia.

Verè enim, ô Virgo, qui *in te ingreditur, & egreditur, & introitus sui, & exitus nulla vestigia relinquit*, Chrysol. Serm. 142. *Divinus Salvator est, non humanus; & qui conceptu suo Virginem servat, & ortu suo relinquit Virginem, non terrenus homo, sed cœlestis*: ut mirum proinde non sit etiam in te Virginitatem illæsam servasse, imò & auxisse ac roborasse: Ut enim ad Dei Matrem ille ipse S. Præsul:

In tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata, & solidata virginitas; Nimirum ille, quo tibi aucta sunt omnia, nihil imminuit Virgo.

Et verò quomodo minueret qui omnia venit augere cœlestibus incrementis? Cœlestibus dico: quia & à conceptu & à partu non tolli, non minui; imò servari augerique Virginitatem, non humanæ, sed divinæ est potestatis: quam olim agnovisse, & in posteros celebri Vaticinio emisisse visus Isaias, cùm ait: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Cap. 7.

Quod Vaticinium necdum conscius arcani consilii, dum legit in Synagoga, explicatque justus Simeon, annosus senex, Legis Doctor peritus in paucis; ratus illud à natura alienum atque adynaton

forte

Nicephor. l. 1. c. 12.

fortè per errorem in sacras Paginas irrepsisse, cùm in illis occurrerit dictio Hebræa *Haälma*, id est, *Virgo*, litteram *H*, erasitatque expunxit, & relinqui voluit ac legi *Haalma*, id est fœmina: & hocquidem ex suo sensu, non divino: qui mux etiam novo miraculo patuit: dum enim die sequenti ejusdem loci explicationem aggreditur, litteram, *He*, à se pridie expunctam, restitutam videt, atque iterum expungit; sed rursum luce insequente restituitur, ac deinde ab eodem secundò ac tertiò expungitur: sed ô mirum! altiore vi ac divinâ reponitur littera, *He*, & quidem colore aureo eleganter expressa.

Hîc primùm stupere bonus senex, deinde seipse damnare, denique agnoscere cœlesti id factum manu; ut ex eo disceret Virginem concipere & parere posse supra naturæ leges, quibus acquiescere debet & sese submittere pusillus homo.

Ecce ut incredulo seni vallum Marianæ Virginitatis objecit Deus adversus errores ac hæreses, quæ eam aliquando erant impugnaturæ. Virgineæ autem menti erexit illud ut adversus carnis ceu domestici hostis petulantiam opponeret: Sed de vallo Mariani Castelli pro instituto satis.

Quis murus? Quæ propugnacula?

Quæri potest quartò, quis illi murus? Quæ propugnacula? Murus ardua atque eminens fortitudo; propugnacula invictum animi robur: & hoc & illam in fœmineo sexu inveniri longè difficillimum; ut enim D. Bernardus: *Magna hujus sexus infirmitas, fragile corpus, lubrica mens.*

Serm. 2 super Missus.

Hinc illud Salomonis: *Mulierem fortem quis inveniet?* Fortem, inquit, Hebraicè *Chaul*, id est roboris; vel ut alii, *Mulierem exercitus*: vel ut Septuaginta, *Mulierem virilem*: imò viraginem quis inveniet? Non invenit Sapiens tot exactis retrò sæculis; at invenit in MARIA senescens Orbis.

Hæc enim ex vero fortis, imò miraculum fortitudinis.

Vis nosce quàm fortis? Specta ut jam inde à nascentis mundi infantia serpentis caput conterat.

Specta ut in fugam agat tartareas legiones, verè terribilis ut castrorum acies ordinata.

Specta ut in adversis sese erigat, adversitatis moli quantumvis immani succumbere nescia.

Specta ut Apostolis, hoc est surgentis Ecclesiæ columnis, nutantibus, collabentibus, ac ferè prostratis, stet illa ad Crucem erecta atque immobilis.

Jactet antiquitas filiam Jephte, quæ sub patris ferro victima cecidit, ut illius voto fieret satis.

Jactet antiquitas excelsum animi robur in Machabæorum matre, quæ septem filios, ceu totidem victimas, sub oculis suis fœdè concidi vidit, atque emori.

Ego te, Virgo Mater, & filia Jephte superiorem, & Machabæorum matre potiorem pronuntiabo. Ferrum illa paternum admisit, cervicem submisit & eburnea colla.

Tu Patris Æterni de Filii morte decretum admisisti, illique animum ac voluntatem tuam submisisti.

Hæc filios septem, carissima pignora, Antiochi manibus atque immanitati commisit.

Tu JESUM Filium unicum, & sacrum æterni in te amoris pignus, & carnificibus & cruci & morti tradidisti.

S. Amedæus Hom. 5 in laud. Virg.

Tu verum Salomonem vidisti in diademate, quo coronavit eum noverca Synagoga, & ipsa coronata coronâ tribulatione.

Cap. 22. v. 18.

Israëli quondam Superis ac Deo rebelli in pœnam prædixit illud Isaias: *Coronans coronabit te tribulatione.* At Virgini ad omnes Dei sui nutus paratæ atque submissæ, ad meritum, ad gratiam, ad præmium illud dici potuit ac debuit: *Coronans coronabit te tribulatione.*

Ita namque illam Filio suo quàm amantissimo consortem esse voluit: ut quæ illum in capite spinis coronatum viderat; & ipsa in mente, spinis, hoc est aculeis, & corona tribulationum omnium cingeretur, & in hac corona proderet infractum in adversis animi robur, supparemque Filio fortitudinem, cujus pretium erit aliquando *in capite ejus corona Stellarum duodecim*: nisi fortè malis cum D. Augustino, quòd *ornamenti sui ipsa pretium sit*; verè enim ipsa virtus ac fortitudo sibi pretium est atque ornamentum: Sed ne longiùs.

Apoc. c. 12.

Quæ specula?

Quæri potest quintò, quæ in Castello Mariano specula? Solet è muris ac propugnaculis eminere specula, è qua despiciat, qui in vigilia & statione sua est miles, quid foris agatur, & num fortè adventet hostis, & si adventet signum det ad arma: at quæ inquies est illa specula?

Si Sapientiam dixero, non ero à veritate alienus; Sapientiam, inquam, non quæ mundi, non quæ carnis sit (hæc enim insipientia est) sed quæ spiritus est, quæ ea sapit ac dictet, quæ salutis, quæ Cœli, quæ Dei sint.

Ita S. Anselmus Homilia in illa verba: *Intravit IESUS in quoddam Castellum.* Ex eo quòd Christus Patris Æterni Sapientia fuerit in MARIA, conficit in ea quoque fuisse Thesauros omnes divinioris Sapientiæ: sic enim inquit:

Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat?

Hac porrò sapientiâ, & arcana Scripturarum, & omnia Fidei mysteria, & occultas Divinæ Providentiæ vias pervidebat.

Hom. 6.

Inde à S. Cyrillo Alexandrino dicta est MARIA *Elegantissimum Scripturæ Divinique Verbi volumen.*

A S. Germano Archiepiscopo Constantinopolitano, *Veteris ac novi Testamenti sigillum, & totius Prophetiæ clarissimum supplementum. Dei, ac Verbi spirans, & purissima pars, in qua sine voce & scriptura ipse inscriptus Deus & Verbum per diem hujus vitæ mortalis legeretur.*

Hom. 4. in Cant.

A Gregorio Nysseno, *Veluti quoddam speculum conformatum Divino characteri*: hunc nimirum characterem altè cordi suo imprimebat Virgo Mater, dum omnia, quæ audiebat à Filio, conservabat in corde suo.

Cant. c. 4. v. 4.

Et hæc de specula Mariana, quæ erat *sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis*: vel ut Hebraicè legitur: *constructa ad disciplinas*; vel ut Pagninus vertit, *ædificata ad docendum*: Et ita ædificata à Supremo artifice MARIA ad docendum Ecclesiam, Apostolos; atque imprimis Joannem, qui ab ea hausit quæ deinde in Evangelio expressit.

Serm. 1 super Salve Regina.

Serm. 2. in Annunt.

Nimirum *Sanctarum scientiarum, scientia est MARIA*, ut piè S. Bernardus: ab illa hauriamus non profanæ sapientiæ lances fœculentos; sed *sapientiæ & immortalitatis fontes, qui lympidos & puros rivos pietatis effundant*, ut disertè D. Gregorius Taumaturgus: Sed hæc delibasse sit satis.

Quod refugium?

Transeo ad aliud hominum generi à Mariano Castello præsidium: Est autem ejusmodi, quod illud refugium sit opportunum, si fortè ingruat, si urgeat hostis, si malum aliquod extrinsecus appellat, aut clades immineat.

Solent viri Principes in finibus suarum ditionum arces extruere, propugnacula erigere, Castella munire, ad quæ subditi convolent, si vis aliqua, si subita hostium irruptio cladem minetur; tum enim iis in locis & se & sua omnia in tuto reponunt.

Quod illis Principes; hoc mortalibus omnibus Cœli Dominus, Universi Princeps ac Moderator Deus. Videbat his immanem subinde ruinam impendere, vel extrinsecus ab inferis potestatibus, vel etiam intrinsecus ab hoste domestico, à peccato, in quod incurrere dum parat Divina Iustitia, simul & cladem parat. Quod huic & illi remedium? Quod refugium? Quod asylum? Dei utique Mater, ceu Castellum probè munitum.

Et quidem primò contra tartareas phalanges:

De

De harum fuga ac strage sic olim Seraphicus Doctor D. Bonaventura:

In speculo B. Virgin. 16.

Non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates MARIÆ vocabulum, patrocinium, exemplum. Ut autem ostendat quî timeant, opportunam subjicit similitudinem.

Fluunt, inquit, *pereunt, sicut cera à facie ignis.* Ecce ut ne aspectum Virgineæ arcis ac protectionis ferant; sicut nec cera ignis æstum atque ardorem. fluit hæc, & diffluit tota: sic & dæmonum vis omnis diffluit ac perit.

Cujus argumento sit illud. Est *Bosnæ* imago Virginis Deiparæ, cui à plumbo est nomen, quia hoc est loci vocabulum. Confluunt ad eam Christiani juxta & Turcæ numero magno in anniversaria celebritate ejus Assumptionis ad Beatorum gaudia. Quicumque sunt energumeni, ii non sponte ire, sed violenter trahi videntur. Porro aspiciunt veluti jubar aliquod lucis in Virgine, & sibi ab ea audiunt præscribi quid agere singulos oporteat, ut liberentur à malo illo hospite; quæ cum expleverint ex præscriptu Virginis, illico liberantur. Sic nempe ad aspectum, sic ad vocem Deiparæ dissipatur virtus omnis infernæ potestatis.

Nec illa solùm; sed (quod miteris & ames) etiam ipsa vis Divinæ Justitiæ, si quando in scelestum caput incurrere paret.

Ut proinde jure meritissimo S. Ephrem dixerit illi *Lætum Ave. Ave*, inquit, *asylum peccatorum. Ave vallum Fidelium*; hi enim ut liberi sint ac tuti ab omni hostium incursu, continent se intra vallum Marianum: illi verò accepto jam etiam lethali vulnere, ne omninò pereant, ne cœlesti Justitiæ jam in pœnam, in mortem, & æternam quidem paratæ, tuti pateant, ad Marianum asylum confugiant.

Eutichianus & Metaphrastes, 4. Feb. sup. Tom. 2.

Ita confugit olim Theophilus Ecclesiæ D. Adanensis in Cilicia Administrator. Hic fortè æmulorum invidiâ ac malevolentiâ, isto officio ab Episcopo exutus, eò venit amentiæ ac desperationis, ut & Christum & ejus Matrem ejurarit, seque diabolo devoverit, data & signata proprio sanguine syngrapha. Quid hîc expectes, amice Lector? Quæ supplicia? Quæ fulmina irato cœlo, offenso per summum nefas Deo, & Dei Matre?

Recurrit animo Theophili immane facinus, objiciuntur oculis parata apud inferos supplicia: Quomodo illa declinet? Ad quem confugiat? Ad Deum? illum ejuravit. Ad Christum? illius sanguinem fœdè calcavit. Ad ejus Matrem? & illi nuntium remisit; non remisit tamen: facti jam pœnitens ad illam confugit, illius opem invocat, præsidium implorat, nec imploranti deest Misericordiæ Mater, & peccatorum Asylum: excipit illum materno sinu, & in eo tutum facit ab irati cœli fulmine, à flammis vindicibus, ab hoste tartareo, quem etiam cogit syngrapham facinoris testem restituere.

Nimirum *Intravit IESVS in quoddam Castellum*, id est Marianum uterum, & exinde in illo statui voluit opportunum peccatori quantumvis flagitioso, perfugium, ac velut asylum. In Australi Momonia locus est rivulo circumscriptus, qui in S. *Brendani* tutela est, non hominibus duntaxat; sed ipsismet feris certissimum asylum. Cervi, apri, lepores à canibus venaticis fugientes transiliunt rivum, & sunt illico tuti ab insectatione; nam ibi canes hærent, nec audent prosequi, sed sine præda ad suos recurrunt: imò ibidem quasi sit securitas publica, tum aves, tum feræ hominum congressum, consuetudinémque non devitant; sed agunt peinde ac si unà fuissent innutriti.

Nieremb. de Mirac. nat. Europ. l. 2. c. 12.

Quod si ea illi loco à *D. Brendano* securitas etiam feris, audeo dicere major peccatori à Virgine, quæ ex vero Civitas est & locus refugii, in quem quisquis venerit, tutus erit à dæmone, ceu malo animarum venatore, ceu hominum aucupe quàm pessimo: simul enim ac vel solum Virginis limen attigerit, hærebit infamis prædo, nec pedem, nec manum immittet.

Vidisti quî à Virgine securus, peccator, attende quî etiam securæ Civitates, securus & populus, hoc liquido ostendet objecta de cœlo Virginis species, atque imago; quam hic spectare juvent.

Anno à partu Virginis millesimo quingentesimo trigesimo sexto, die Sabbati sexto kalendas Aprilis, tertio ferme lapide ab urbe Savonensi, vir quidam probus, & agricola dum ad rivum os prolueret, bis voce cœlesti appellatus est blandè, simulque mulierem vidit augusta specie, & Solis instar radiantem, quæ sic ad illum: *Antoni noli metuere. MARIA Virgo, IESV-CHRISTI Genitrix ego sum. Abi conscientiam elue sacra exomologesi, synaxim sume, atque insuper die Sabbati ter jejuna; sed & pagi Sacerdotem admone ad istac tria hortetur populum, ut cunctis de Cœlo Deus sit propitius. Tu verò ubi fueris dicto audiens, item die Sabbati huc redi, & scies à me rursum quid facti opus erit.*

Silvester Petra-sancta Thaumasia. Tom. 3. c. 18.

Hæc ubi dixit cœlo recepta est, & loco etiam cœlestem fragrantiam afflavit. Antonius autem in urbe Savonensi ea vulgavit omnia: in qua dum primores deliberant essetnè isti viro præstanda fides, ignei tres globi supra summæ ædis fastigium micuerunt, lucéque sua examinis dubitationem omnem exemerunt: utrobique igitur ea peraguntur quæ Deipara Antonio præscripserat, & is ad rivum die constituto redux, rursus ibi & pulchriorem, & splendidiorem, auróque, ac gemmis nitentem Dei Genitricem vidit; quæ oculis in cœlum elatis, manibúsque deorsum inclinatis quasi Regioni illi divinam opem imploraret, ac laudaret quæ acta fuerant, & præterea injunxit Antonio, ternas indici supplicationes curaret populo Savonensi: fore enim ut irati Numinis remitteret indignatio.

Post hæc ore, ac manu cum rivulum inaugurans ter dixit: *Misericordia, ô Fili, & non justitia*; seséque rursus cœlo restituit.

Et hæc tum Virginis species, hæc oracula, hæc ad Filium oratio; in qua & misericordiam peccatoribus exposcit, & justitiam amat esse procul: quid enim potius à Cœlo exigat quæ miseris, ac periclitantibus opportunum est, ac salutare refugium.

Et hæc paucis dicta sint, ut contra petulantem hæreticorum dicacitatem, & insignem maledicendi licentiam, liquidò pateret quomodo & Castelli nomen MARIÆ conveniret, & ejus in cœlos Assumptioni præsens Evangelicæ historiæ series.

QUÆ

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Maria optimam partem elegit.* verſ. 42.

QVOMODO MARIA DEI MATER optimam partem elegerit?

In via optimam partem elegit Maria.

PECTARI poteſt Dei Mater tum in via, tum io patria: & in hac & in illa optimam partem elegit. Optimam in grana, optimam io gloria: quod more noſtro breviter oſtendemus. Et quidem primùm in via, in qua tres virtutes aliarum veluti priocipes elegit, quibus ſibi gradum fecit ad gloriam, cui oulla in Cœli Regia par eſſe poteſt.

I. Quia Virginitatem.

Prima virtus eſt, *Virginitas*, quæ cæteras inter virtutes eſſe ſolet quod Sol inter ſidera.

Sol aſtrorum Prioceps, & fons luminis, & Lunæ & planetis & aſtris omnibus longè ſupereminet.

1. Cor. 1.15. *Alia* quippe *claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum*, ut inquit Apoſtolus. Et hoc in aperto eſt, & in confeſſo apud omnes. At iſtud multis in occulto, & fortè io lite ac controverſia: Quid hic per Solis lucem ac ſplendorem, quid per Lunæ nitorem argenteum, quid per micantes toto æthere Stellas intelligatur.

Lib 3. ep.351. Huic quæſtioni faciet ſatis S. Iſidorus Peluſiota, *qui Soli componit eos, qui Virginitatem amplexi ſunt; Lunæ autem eos, qui continentiam; ac denique Stellis, qui honorabile connubium:* Et hoc ut ait D. Pauli calculo: cui *alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria Stellarum.* Hoc eſt interprete D. Iſidoro, alia gloria Virginum; alia gloria continentium; alia gloria conjugatorum.

Quod & alia ſimilitudioe exprimunt SS. Patres, qui ſtatum Virginum cum auro componunt; Viduarum cum argento; Conjugatorum cum plumbo: Sed de hoc pro inſtituto ſatis.

Vidimus qui Virginitas Continentiæ præſtet, & Conjugatorum caſtitati: Vidimus qui etiam, aliis cœli donis antecellat: ſi enim evicerimus illud, Virginitate nihil eſſe melius, evincemus quoque MARIAM, cùm Virginitatem elegit, elegiſſe partem optimam.

Serm. 2. de Contin. S. Zeno de Virgine Matre pronuntiavit illud: *Dei Mater fuit Virgo poſt connubium, Virgo poſt conceptum, Virgo poſt Filium. Si eſſet aliquid Virginitate melius, Dei Filius hoc magis potuerat Matri ſuæ præſtare, cui præſtiterat ut Divinæ Virginitatis polleret honore.*

Hîc oculum, hîc animum ſiſte, mi Lector. Si Dei Filius parenti ſuæ quàm optimæ præſtare nihil melius Virginitate potuit; certè nec illa quid melius eligere: adeoque cùm illam elegit, partem optimam elegit.

Si *Divinæ Virginitatis* pollere honore voluit; nihil & illa melius eligere: Quid enim melius eſſe poteſt Divino? At S. Zenone judice *Divina eſt Virginitas.*

Et verò quidni Divina ſit, cùm prima Virgo ſit ipſa Sanctiſſima ac Divina TRINITAS, in qua ſi Filium generat Æternus Pater, ſine Matre generat, adeoque Virgo.

Et hæc eſſe voluit MARIA: hinc & votum ſervandæ in perpetuum virginitatis emiſit; nec priùs admiſit, ut eſſet Dei Mater, quàm etiam ut ſimul Virgo.

Inde ſic ad Filium loquentem inducit D. Auguſtinus:

Ego te Filium, generavi, & Virginitatem meam non violavi. Regnum teneo Virginitatis, & Regem genui caſtitatis. Ingredientem, & egredientem habui in palatio ventris Filium Imperatorem, & de manibus meis non amiſi clavem Regni pudoris. Porta facta ſum Cœli. Ianua facta ſum Filio Dei: ſed janua clauſa, quæ nulli viro patuit unquam: Et hinc meritò inter omnes mulieres benedicta; Benedicta, inquam, meliore & altiore modo, quam olim Jacob: *In pinguetudine terræ, & in rore cœli. Ros cœli, Virginitas; pinguedo, terra, fœcunditas*, inquit Richardus à S. Laurentio: & ab hac & ab illa optimam partem elegit ſibi MARIA. Serm. 18. de Temp.

II. Quia Humilitatem.

Sed & ab inſigni humilitate ac demiſſione; à qua cùm Dei Mater audiſſet, ancillam ſe, quà voce, quà mente teſtari voluit. *Quæ vocatur ab Angelo Domina, ipſa ſe cognoſcit & confitetur ancillam*, inquit D. Chryſologus: Ecce humilitas, quam eligit Dei Mater, ut partem optimam: Quidni enim pars optima humilitas?

Humilitas procreatrix virtutum cæterarum, inquit S. Antoninus Ulyſſiponenſis. *Humilitas virtutum terminus*, ut Manuel Imperator inquit. *Humilitas primogenita filia ſummi Regis*, ait Petrus Bleſenſis. Serm. 90. in Dom. 2. poſt Epiph. Orat. 7. Serm. 15.

Humilitas divinum quiddam, ut ille ipſe Manuel Imp. Et certè quidni eſſe divinum quiddam pronuntiemus, quod de Cœlo traxit quod divinum eſt, Dei ſcilicet Filium. Verum enim illud D. Bernardi de Virgine Matre: *Etſi placuit ex Virginitate de humilitate tamen concepit.* in feſto S. Auguſtini.

Et hoc ipſum eſt, quod aliquando *B. Margaretæ* contractæ revelavit ipſa Dei Mater, dum inquit *fuiſſe ſe humilitatis abyſſum, ad quam implendam oportebat ipſum Deum deſcendere.*

Latuerat æternitate tota in ſinu Patris Dei Filius, cùm ſeneſcente mundo deſcendere debuit in ſinum Virginis; at noo priùs deſcendit, quàm ab illa audiit Angelus: *Ecce ancilla Domini:* at ubi audiit, illicò deſcendit, & *VERBVM CARO FACTVM EST, & habitavit in nobis.* *Magna* ſcilicet *humilitatis virtus, cui etiam Deitatis majeſtas tam facilè ſe inclinat.* Imò & quodammodo miſcetur, quod amoris, quod humilitatis eſt miraculum, de quo ſic aliquando ipſe Chriſtus S. Birgittæ: *Medulla Deitatis medulla miſcetur humilitatis.* Et ita miſcetur in MARIA, cujus humilitas erat *Paradiſi porta, & ſcala Cœli*, per quam Deus in terras deſcenderet. *O verè glorioſa humilitas!* exclamat D. Auguſtinus: Verè beata, verè divina humilitas, quam dum elegit MARIA, optimam partem elegit. An non enim optima, quæ *virtutum cæterarum eſt procreatrix*, quæ *virtutum terminus*, quæ *divinum quiddam*, quæ *Paradiſi porta*, quæ *Cœli ſcala?* Optima certè etiam Cœlo Deoque judice. Ioan. c. 1. Bernard. Serm. 42. in Cant. Serm. 35. de Sanctis.

III. Quia Crucem.

Sed & optima quoque portio Crucis, quam ſibi in partem elegit MARIA. Senſerat illa Dei Filium & ſuum, *propoſito ſibi gaudio elegiſſe Crucem confuſione contempta.*

Rupertus. Nimirum amabili Patris Æterni Providentia Filio jam Incarnato pro redimendo humano genere hinc gaudium propoſitum, & auguſta quædam ac divina gloriæ Majeſtas; & inde Crucis horror, infamia, pœna, & mors denique ipſa per extrema ſupplicia exigenda. Et data eligendi optio. Crucem elegit

elegit Deus homo, MARIÆ Filius; Crucem dico veluti partem optimam: Et Crucem quoque elegit MARIA, & in ea partem optimam.

Ubi primùm Christo injecta vincula, fugêre Discipuli omnes, ad Crucem nemo omnium stetit nisi unicus Joannes, & Virgo Mater, quæ ut ait Arnoldus Carnotensis una cum Christo victima, *unumq; holocaustum, quod ambo pariter offerebant Deo Patri hac in sanguine cordis; hic in sanguine carnis.* De Laud. Virg.

Ita Christus carnem, MARIA immolat animam: optasset & carnem quoque immolare si ita Divinæ Providentiæ visum fuisset: at cùm aliter visum esset, animam in se, & carnem offerebat in Filio.

De Abrahamo pronuntiavit illud D. Chrysologus: *Quid aliud Abraham, quàm corpus suum immolabat in Filio?* Et quid aliud quoque MARIA, quàm corpus suum immolabat in Filio? Utque immolaret; ad Crucem stabat, & stans Crucifixum Filium referebat, ut *statura ipsius imago quædam esset Crucis, & Crucifixi effigies, possetque dicere melius quàm deinde Paulus: Christo confixa sum Cruci.* Serm. 108. Lud. de Ponte.

Potuerat antè cum illo ascendere in montem *Thabor*, & ibi Filii vestes nive candidiores, faciem Sole clariorem, & speciem aliquam ejus gloriæ ac beatitatis intueri, & cum Petro dicere: *Domine bonum est nos hic esse*: at maluit in Calvariæ verticem ascendere, cruentum à vulnere Filii corpus, & faciem à sputis deformem, & à colaphis lividam, & infami ligno affixum contemplari, & unà cum illo pati, ac quodammodo crucifigi. *Ubi ad hoc ventum est, ut bajulans sibi Crucem IESVS exiret in Calvariæ locum; tollebat & ipsa Virgo Crucem suam, Crucem interioris hominis sui, & sequebatur eum, crucifigenda cum eo*, inquiebat Guilielmus.

Ita Crucem, quam Filius exterius tollebat, interius tollebat Mater, cujus *cor fuit clarissimum speculum Passionis Christi, & perfecta mortis ejus imago*, ut aiebat B. Laurentius Justinianus. Lib. de Christi agone.

Ecce ut Crucem, ceu optimam partem, elegit MARIA, à qua nimirum quantum alieni filii Adæ, alieni peccatores: Hi enim ex omnibus non eligunt quod optimum; sed proh dolor! potiùs quod pessimum.

Excurre si Jubet animo ac cogitatione per creaturas omnes, & liquidò perspicies, quomodo ex iis omnibus eligant quod pessimum, & quod vitiosum est quàm maximè.

Et quidem primò ex Cœlis ac planetis: si quod in his à maligniore quodam, ut opinatur, influxu, vitium fit, illud eligunt.

Sic ex Saturno odium atque invidiam; ex Jove ambitionem & jactantiam; ex Marte vindictam & truces iras; ex Sole concupiscentiæ æstus atque ignes; ex Venere putidæ carnis illecebras, & lenocinia; ex Mercurio dolosas fraudes; ex Luna decrementa virtutum, & incrementa vitiorum.

Ut ex Cœlis; sic etiam ex elementis. Ab igne, qui omnia vorat, alienarum facultatum insanabilem quandam voracitatem; ex aëre tumidos atque inflatos spiritus; ex aqua quandam in omnia scelera profusionem; ex terra & ariditatem & stuporem & duritiem ad Divina.

Quod ad elementis, & inanimis corporibus; hoc & à brutis animantibus: quod in iis pessimum est eligunt: ex avibus rapacibus furta & rapinas; ex psittacis loquacitatem; ex piscibus potentes infirmos deglutire: ex terrestribus alia atque alia vitia; ex vulpe dolos, & malas artes; ex lupo rapinas; ex equo libidinem; ex asino stupiditatem; ex tauro superbiam; ex camelo simulationem; ex serpente atrocitatem: & sic de aliis, quod in iis à natura vitium est, id eligunt, sibique proponunt imitandum infelices Adæ & Evæ filii, mirum quantum degeneres à communi omnium fidelium Matre MARIA,

Hæc enim quod in tota virtutum serie optimum erat elegit, ut optimam sibi in hac via mortali partem; à qua etiam in patria optimam partem invenit, quæ non *auferetur ab ea in æternum.*

Ascendit enim super omnes creaturas quæ gratia & perfectione super omnes ascenderat. In Patria optimam partem elegit.

Ascendit super terram quæ fuerat olim terra Virgo, & quæ aperta genuerat Salvatorem.

Ascendit super aquas quæ pelagus fuerat & mare quoddam granarum.

Ascendit super aërem quæ instar aquilæ posuerat in sublimi nidum suum.

Ascendit super sphœram ignis quæ tota igne meliore, id est caritate, arserat.

Ascendit supra Lunam quæ illam calcarat, & sub pedibus habuerat. I. Sibi ipsi.

Ascendit supra Solem quæ Justitiæ Solem Orbi dederat.

Ascendit supra Firmamentum quæ olim virtutum omnium fuerat Firmamentum.

Ascendit supra Empyreum, Dei sedem, quæ antè Dei domus & habitaculum fuerat.

Ascendit super omnes Sanctos, cujus scilicet fundamenta in montibus Sanctis.

Ascendit super omnes Angelorum choros quæ Angelorum erat Domina: supra Virtutes Virtutum parens; supra Thronos Dei Thronus; supra Cherubinos, quos Sapientiâ; supra Seraphinos, quos Caritate vicerat, & superarat ardore.

Ecce ut in patria optimam quoque partem elegit sibi MARIA: nec sibi tantùm; sed & fidelium animabus, quas hoc ipso die, vel etiam anniversario è Purgatorio igne in Cœli regiam evexit; evehitque in annos singulos ut ostendit objecta quondam species Beatæ Veronicæ de Binasco. II. Animabus fidelium.

Hæc die Assumptæ Virgini sacro in excessu mentis sibi aspicere visa:

Primùm Reginam Mundi inter æstus amoris suavissimè expirantem.

Dein resumpto corpore à morte, ceu suavi quodam somno, excitatam ac surgentem. Bollandus in ejus vita 13. Ian. c. 9.

Tum Angelorum ministerio, tum sua vi, dotèque beatitatis elatam è tumulo, mirabili quadam ac cœlesti luce, ceu veste, conspicuam.

Tum etiam, antequam in superas sedes veheretur per medium Purgatorium ab Angelis deductam, illud & suo lumine illustrasse, & suâ præsentiâ animas ibidem detentas mirum in modum recreasse.

Tum sensim ad Cœli Regiam evectam esse, in cujus aditu primo Filium obvium habuit, à quo excepta eo amoris eoque gaudii sensu, qui & Filium decebat & Matrem, eâ gloria ac beatitate quæ Patris Æterni Filiam, quæ Filii Matrem, quæ Sponsam Spiritus Sancti addecebat.

Denique inter festiva Beatorum gaudia cœlestesque cantus collocatam in sede gloriæ Filio quàm proximâ, à quo & duplici coronâ etiam donata.

Et hæc B. Veronicæ oblata species, anniversaria quidem die Assumptæ in Cœlum Virginis; sed tamen, quæ exhiberet quid actum illa ipsa luce Assumptionis, in cujus etiam anniversario aliud eidem Virgini oblatum est dignum Mariana miseratione spectaculum.

Fuit autem illud ejusmodi: Veronica de more post sumptum Eucharistiæ Sacramentum inter ipsa Missarum solemnia à seipsa discessit, & ad Purgatorii carceres sibi visa est duci. Ibid. c. 10.

Hic virum conspexit (cujus nomen neque tunc illi, neque postea expressum) miri sanè decoris, & tum suo aspectu, tum Angelico comitatu conspicuum, & multum amabilem. Ubi hic in media veluti Purgatorii sede constitit, ad eum è flammis educta

ea multitudo animarum, quam ut rebatur vix caperet media urbs Mediolanensis; singulas autem ducebant singuli olim tutelares Angeli.

Spectaculum fuit tum, visu terribile, tum jucundum; primùm enim visæ sunt illæ animæ igne, ceu veste, cingi; dein luce, ceu niveo quodam candore, tegi. Mox etiam virenti corona redimiri; tum Christo sisti, in cujus conspectum ut venêre coronas illicò posuêre, & ad illius pedes abjecêre.

Hic porrò placido vultu serenisque oculis excipere atque exporrecta manu benedicere, Virginique ac Matri suæ beatissimæ offerre veluti spolia quædam, quæ venirent in partem triumphi etiam hoc ipso die, qui illi in Cœlos olim assumptæ sacer erat ac solemnis.

Ecce partem optimam quam elegit sibi MARIA, animas scilicet, quas è tenebris in lucem, è flammis in refugium, ex ipsis inferis in Superûm regiam extulit.

Vis etiam ut è terris ad certamina, ad trophæa, ad victrices palmas, ad cœlos ipsos ac beatitatem? Attende quid invictis è Cisterciensi familia Martybus. Erant illi numero quadraginta in Cœnobio Magiensi (quòd in Hibernia est nominatissimum) eratque Vigilia Assumptæ in cœlum Virginis, cùm ecce derepentè irrumpunt hæretici, factoque cuneo in chorum involant; & Abbatem unà cum Religiosis omnibus, numero novem supra triginta, immiti ferro capite truncant; ac deinde expilato Monasterio, quasi peracta crudeli scena, discedunt.

Henriquez in Fascic. Ord. Cist. l. 2 Dist 37. p. 358.

Redit interea ejusdem Cœnobii Oeconomus, & dum effracta, diruta, expilata cernit omnia, tandem ad Templum venit, commune afflictorum asylum.

Sed, eo illi immane, efferumque in choro spectaculum, cadavera omnino quadraginta suo non tam fœdata sanguine, quàm mersa.

Quid hic ageret? quò se verteret? ad quem confugeret in ea Præsulis sui, hoc est Parentis optimi, ac fratrum longè carissimorum strage, atque orbitate? Refugium illico obtulit illa ipsa, quæ vertebatur dies, Virgini Assumptæ jam inde à primis Vesperis sacra. In hac ergo genua supplex ponit, obsecrat, obtestatur, per quidquid in terris pium, in Cœlis sacrum, ne abeat lux illa sine ejusdem Virginis laude, sine sacra de more psalmodia.

III. Martyribus in tormētis.

Mirum auditu! sponte sonant campanæ omnes iterum, iterumque, ad Vesperas solemnes signum daturæ; quod in ære sonoro dum stupet, amatque Vir in paucis religiosus atque in Virginem pius; en illi aliud visu novum, ac mirabile.

Assurgunt cadavera humo instrata, capita manibus prensant singula, atque humeris imponunt, aptantque, ac deinde in sedilia sublimes evadunt; ipseque imprimis Abbas sonora voce, cantuque intonat lætum illud, ac solemne: *Deus in adjutorium meum intende.* Responsant alii omnes festivo cantu, si unquam alias hilari, pióque: sicque Vespertinum officium decurrunt, ac deinde quasi soluto Virgini assumptæ sacratiore penso, è subsellis in mediam Chori aream descendunt, corpora solo insternunt, truncáque cadavera terris relinquunt, animas beatiores in Cœlos emissura.

Hic te volo, te compello, mi Lector. Unde istorum Christi pugilum mors invicta? unde victrices palmæ? unde corona beatitatis? unde ascensus in Cœli regiam? Usque à tenero in Virginem amore; ab hujus lucis cultu, ac veneratione. Illas si ambis, & amas, & hanc ut ambias, amésque est necesse: Amor enim Deiparæ, cultúsque illius, via certa ad palmas, ad beatitatem; ad Cœli regiam.

Est enim MARIA *scala*, quâ in illam facilis est, & certus ascensus.

IV. Religiosis in Cœnobiis.

Appello objectam illam B. Leoni speciem. In æstu orationis, raptúque videbat apertam, atque effusam planitiem, in eáque homines longè, latéque sparsos jam jam ad judicium Deique tribunal evocandos. Et certè ad illud jam dabatur signum, & insonabant Angelicæ tubæ; quas dum arrectis auribus excipit, ecce oculis objiciuntur *scala bina*, quæ à cœlis in terras demitti videbantur.

Prima apparebat purpurei coloris, & hujus vertici innitebatur Christus, vultu sanè severo, & quasi subirato: sub illo visebatur Franciscus, qui fratres suos blandè invitabat, ut per illam ascenderent, & in Cœlos evaderent, quod dum moliuntur, ecce triste, ac luctuosum spectaculum. Hic enim de tertio scalæ gradu, ille de quarto, alter de decimo, alii etiam de ultimis propè gradibus præcipites in ima recidebant.

Wadingus tom. 1. An. Minor. anno 23.

Hac suorum clade, lapsuque formidando territus Franciscus, suos illico monet, hortaturque ut ad alteram scalam deflectant. Erat illa candidi, & nivei coloris, qui etiam suo candore, lucéque nivea ad ascensum per eam invitaret. Et verò invitavit vel eò maximè, quòd illi incumberet Virgo, amœna, blanda, amabilique facie, & conniventibus oculis, quibus etiam ad ascensum proritabat.

Bonum profectò factum, nam & ad illam propiùs accedere, & illos gradus subire, pérque illam sublimes ascendere visi omnes; descendere, aut delabi nemo unus omnium. Tantum interest quibus scalis in Cœlum tentes evadere, Christíne, an Virginis.

V. Omnibus in terris.

Si enim ad Christi, ceu Judicis, scalas accesseris, ad ejus quoque Justitiam accessisti, à qua facilis, & præceps est ad ima lapsus. Sin autem ad Virginis scalas venisti, ad illius etiam misericordiam venisti, à qua tritus, certusque ad Superos est ascensus. Ut hunc iis scalis attentes, author tibi sum, Amice Lector, imò author est D. Bernardus, qui sic olim in terris ad suos, sic modò è cœlis ad nos ipsos de Virgine MARIA:

Serm. de Nat. B. V.

Filioli hæc est peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.



DE

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO.



DE Divo BARTHOLOMÆO Apostolo duæ nobis incidunt quæstiones: Una quid nominis; altera quid hominis.

Ad primam duæ sunt nominis illius Etymologiæ: D. Hieronymus ait quod *Bartholomæus* idem sit ac *Filius suspendentis aquas*. *Bar* enim id est *Filius*, & *thala*, *suspendit*, & *maim* sunt *aquæ*. Bartholomæi Etymologia.

Hinc Rupertus opinatur Christum occasione BARTHOLOMÆI aquas in vinum vertisse in Nuptiis Canæ Galileæ, quasi in iis fuerit ipse sponsus: quod aliis minus probatur.

Verius videtur Hebraïcum *Bartholomæi* idem esse, quod *Filius Tolmai*: ut *Bariona filius Ionæ*.

Et hæc de nomine est quæstio: major de re ipsa; quis scilicet fuerit Divus BARTHOLOMÆVS? Quis Bartholomæus?

Volunt plerique eundem fuisse cum Nathanaele; tum quia BARTHOLOMÆI vocatio nusquam legitur à Christo facta, nisi sit hæc ipsa Nathanaelis; tum quia Ioannes Philippo Nathanaelem jungit: alii verò Philippum Bartholomæo, quasi unus idemque sit, tum quia Ioannes Nathanaelem Petro, Thomæ, & Ioanni Apostolis conjungit in piscatione, & visione IESV associat; tum denique quia *Bartholomæi* nomen, non est proprium; significat enim *Filium Tolmai*. Unde relinquitur illi proprium, quod non aliud videtur, quàm Nathanael.

Ut ut sit, quia in occulto adhuc est illud, & sub lite, in aperto, & extra controversiam hoc est; Christo Domino in paucis familiarem fuisse, propter candidam indolem ingenuosque mores, ac vitæ innocentiam: de quibus infra paucis, ubi de Evangelio quæstiones aliquas movero; de quo Angelicus Doctor, & Seraphicus nihil posteris reliquerunt; alio cogitationes, & stylum verterunt, & ego cum illis initio vertam: & quidem primò

EX D. THOMA.

PRothemate sumpsit sibi locum Ioëlis Prophetæ, ut videtur consonum ei supplicio, quod passus est D. BARTHOLOMÆUS quem sub specie ficus decorticatæ ante oculos ponit.

Cap 1. *Ficum meam decorticavit, & albi facti sunt rami ejus*, inquiebat Propheta.

Per Ficum S. BARTHOLOMÆUM vult designari, propter tria, quæ sunt in Ficu; videlicet *Lignum*, *Folia*, *Fructus*.

In ligno sanctitas cordis: ea petitur è tribus, quæ sunt in ligno: 1. *Medulla*, in qua est candor: & hæc candorem Fidei, sive Sapientiæ, designat, *quoad rationalem*: 2. *Lignum*, in quo robur: & hoc significat *Fortitudinem spei, quoad irascibilem*. 3. *Cortex*: & in hoc *utriusque conservatio*: Et hæc est *in Caritate quoad concupiscibilem*. Sic in ligno expressam habes veram sanctitatem, quæ residet in Fide, Spe & Caritate, & perfecta subjectione ac consensione trium appetituum: Rationalis, Irascibilis, Concupiscibilis.

In foliis, locutionis utilitas. Hæc ducitur è tribus, quæ sunt in foliis Ficus: 1. Est *lacteus humor*, & hic index est puritatis in locutione. 2. *Viriditas in colore*: & ut hæc delectat; sic etiam delectet *locutio, in honestate*. 3. *Asperitas quædam in palpatione*: ita subinde aspera locutio utilis est, quia corrigit.

In fructu actionum suavitas & utilitas: & hæc quoque notatur in Ficu, in qua. 1. *Intus est rubicunditas*: Et hæc est nota Caritatis, quæ rubore notatur. 2. *Extra est viriditas*, & variis color medius, & in medietate virtus. 3. *In gustu suavitas*: Et hæc index est hilaritatis, à qua in Dei obsequio suavia omnia.

Et ista cadunt in BARTHOLOMÆUM: 1. Ut Ficus decorticatur, hoc est excoriatur, propter tria: 1. Ut instar agni, cui detrahitur pellis, in holocaustum offerretur. 2. Ut omni terreno humore, hoc est affectu, exueretur: ita exuuntur arbores, dum decorticantur. 3. Ut instar serpentis, qui veterem pellem exuit, renovaretur.

Ita *albi facti sunt rami ejus*: *Rami animæ*, inquit, *sunt ejus potentiæ*; *Rami corporis sunt sensus*: Et hi, & illi ab excoriatione albi, id est gloriosi facti sunt; albus enim color index est gloriæ.

EX D. BONAVENTURA.

Serm 2. Psal. 20. SEraphicus Doctor pro themate, ponit illud Vatis Regii: *Posuisti Domine in capite ejus coronam*; & ait: In Scriptura triplex legitur corona.

Vna aurea; & hæc datur Virginibus: ut enim purum, speciosum & incorruptibile est aurum: ita & Virgines, in quas cadit illud Ecclesiastici: *Corona aurea super caput ejus*: Et hæc convenit D. BARTHOLOMÆO, qui creditur fuisse Virgo. Cap. 45.

Altera Stellea; & illa datur Prædicantibus: ut enim illa à lumine nitet; sic & hi à luce doctrinæ: ideóque *fulgebunt sicut Stellæ in perpetuas æternitates*: Et hæc quoque cessit D. BARTHOLOMÆO.

Tertia est *Lapidea*; & istâ donantur Martyres: *Corona* scilicet *de lapide pretioso*:. & hac etiam donatus D. BARTHOLOMÆVS.

Et istæ Apostolorum sunt coronæ; has in capita sua erigunt, alias ad pedes abjiciunt, & calcant: contrà verò mundani, alias sibi parant coronas.

Prima Corona est *Lascivia*: hanc illis imponit *Corpus inficiens*.

Secunda Corona est *Avaritia*: & hanc dat *Mundus insipiens*.

Tertia Corona est *Superbia*: & hac suos donat *Diabolus decipiens*.

Coronam Lasciviæ sibi assumunt carnis ac ventris mancipia, dum aiunt: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant*; sed malo suo: Etsi enim eæ *Coronæ manè sint virides, at serò sicca: manè redolescentes, at serò fœtidæ; manè speciosæ, at serò nullæ*. Sap. c. 2.

Coronam Avaritiæ sibi texunt divites omnes mundique amatores: hæc corona appenditur in rota fortunæ; adeóque cum illa semper volvitur, nec stare permittitur: *Corona magis nobilis, quàm felix*.

Coronam Superbiæ, à diabolo accipiunt vanuli ac superbi: à quo enim potiùs, quàm à superbiæ Rege? sed hæc quoque *tota est vana super vano fundata*, adeóque immani ruinæ parata: Ideóque *Væ Coronæ Superbiæ, væ, & quidem æternum*, inquit Isaias. Cap. 28.

Non sic Apostoli; non sic D. BARTHOLOMÆUS: elegit ille sibi coronam Castitatis, quæ nunquam marcescit; Coronam Evangelicæ Paupertatis, quæ nulli revolutioni obnoxia; Coronam Humilitatis, à qua ad Regium ac cœleste Diadema evectus.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Exiit in montem orare; & erat pernoctans in oratione Dei.* Lucæ c. 6. v. 12.

CUR EO LOCI AC TEMPORIS in montem exiit CHRISTUS?

INCARNATA Dei Sapientia sibi Discipulos eligere parabat: quod priusquam faceret, exiit in montem orare: Sed cur in montem? Cur non potiùs in Synagogam? Cur non in Templum? Et hoc & illa aptior orationi videri poterat.

I. Ratio. Erit fortasse qui referre volet ad malesanam Judæorum etiam in Templis libidinem, in quam Origenes detorsit illa D. Matthæi verba: *Vt veniat super vos omnis sanguis justus, à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, quem occidistis inter Templum & Altare.* Sic nimirum *ab impiis*, inquit, *memoria intersicitur Dei, quoniam templum Dei à lascivis corrumpitur, & Altare ejus per negligentiam orationum sordidarum sordidatur.* Matth. c. 23. v. 35. Tract. 26. in Matth.

Et quia sic sordidabatur à Judæis; hinc & sordidas illas orationes damnare, & ipsa loca iis quodammodo sordidata declinare visus Servator Optimus.

Hæc ratio si minus arrideat, dic age, exisse in montem Christum, in locum ab arbitris remotum, remotum à turba, & populi tumultu, ut nos doceret etiam longiùs abire à mundi strepitu, à populi frequentia in opportunam solitudinem: Et verò quidni sic oraturi abeamus?

II Ratio. In sacrum oratorem incurrit mundus, incurrit turba sociorum, & agmina ducit distractionum mille, quæ valido impetu ingruentes, animum à Cœlo, à Superis, à Deo avocant, & traducunt quàm longissimè: Quî declines, quî evadas earum incursiones?

De laud. vita solitaria. In montem, in solitudinem evade, & evaseris. *Solitudo* est veluti quædam *arx spiritualis*; sic enim eam vacandam censuit D. Basilius etiam sua doctus experientia: didicerat nimirum vir Sanctus quàm in ea arce homini Christiano tutum esset, quàm securum, quàm extra ejus septa periculosum.

Quod ipsum didicit D. Nazianzenus, qui si quando à solitudine ad hominum cœtus rediret, jactabat illud: *Ab arce nostra, id est solitudine, redeo* ad mundi pulverem ac tumultum: à quo deinde, ubi egerat quod ex illius bono esset, rursum in arcem suam, hoc est solitudinem, sese recipiebat, etiam velut *in Asylum*. Sic enim vocare solitus, quòd illi esset solitudo quod reis asylum. Si casu aliquo quis in crimen incidit, unde capitis periculum sit, unde ab armatis Justitiæ ministris vincula, manicæ, compedes ferrumque ipsum; in asylum evolat futurus ibidem à vi secutus; reverentia quippè asyli exarmat etiam severissimæ Justitiæ armatam manum, & procul esse jubet à noxio capite. Orat. 2.

Et hoc solitudinis, ceu arcis spiritalis, ceu asyli beneficium est: addo & aliud, quod *cœlestis doctrinæ schola sit, & divinarum artium disciplina*, teste etiam D. Basilio. Suprà.

Hic Orbis, quantus quantus is est, vallis est, & vallis quidem miseriarum, id est ignorantiæ, cæcitatis ac stuporis; quo qui tenetur, cœlestia sapere, divina gustare non potest: Quî enim saperet, quî gustaret cùm in valle sit, & schola vanitatis? At sapit, at gustat in monte, hoc est in solitudine, quæ cœlestis Doctrinæ schola est: & quia in eam venire te vult Servator, hinc exit in montem, ut te à mundo exire doceat etiam exemplo suo, hoc enim evocat in montem veros adoratores, qui Patrem Æternum adorent in spiritu & veritate. Joan. c. 4. v. 23.

Qui autem sic adorarint, & illud quoque consequentur

quentur

quentur boni, quod vitia, quæ in sæculi convalle contraxerunt, exuent, & virtutes induent Christo suppares.

Et certè quidni induant in monte hoc, id est in sacra cum Salvatore solitudine, io Eremo, de qua

Suprà. sic magnificè D. Basilius: *O Eremus mors vitiorum, fomes ac vita virtutum!*

Rectè *Mors vitiorum*: ubi enim solus esse cœperis, ubi tuus, quæ in te à multitudine & à frequentia fociorum enata sunt vitia, morientur: uti contrà, ubi cum aliis, renascentur illa: quia, ut olim Seneca:

Epist 7. *Facilè transitur ad plures: nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Malignus comes, quamvis candido & simplici rubiginem suam affricuit.*

A candido & simplici ingenio candorem duxeras, & amœnam quamdam simplicitatem, imò & nitorem: at & malignus comes rubiginem aliquam affricuit. Unde detritus ille nitor, candor mutatus, simplicitas extincta? Si cum Christo in montem exisses, si solus ibi ab arbitris, si inibi tuus & Dei; & candor animi, & virtutum nitor & simplicitas tibi mansisset nunquam peritura. Et hoc est, quod te doctum voluit Salvator, cùm exiit in montem orare.

III. Ratio. Sed & alterum; ut scilicet rebus in arduis aliquam tibi moram facias, dum interim tecum ipse meditens, tecum loquaris, tecum agas, & sedulò disquiras quid opus facto.

Ita fecisse visus bic Christus: Res magna, res ardua erat in manibus & consiliis; eligendi ex toto mortali genere Discipuli, Apostoli, Ecclesiæ Principes, & spiritualis ædificii columnæ: non id subitò, non præproperè, non ex tempore factum: data mora longior coosiliis cum Æterno Patre quasi capiendis: Et hoc quidem in monte, loco opportuno, procul ab arbitris, procul à strepitu, in alta solitudinis, imò & noctu quiete: *Erat* enim *pernoctans in oratione* Christus, ut ex illo disceres, sana consilia quæ tarda, tuta quæ à Cœlo, à Deo in æstu orationis petita. Quæ verò vel à terra, vel ab homine, vel ab impetu quodam naturæ bausta; & malesana, & pa-

Lib. 4 ep. 7. rum tuta: Ut eoim scitè Cassiodorus: *Omnia subita probantur incauta.*

Et ea plerumqoe sunt mortalium consilia; imò & beneficia: at non sic Dei ter Opt. ter Max. ut enim Eusebius Emissenus:

Hom. 2. de Pascha. *Beneficia Dei nostri cùm magna ac mirifica sint, tamen nec nova probantur esse, nec subita.*

E pulvere ad Solem, ex aquis ad sidera vocandi erant Discipuli (quod ingentis erat beneficii) quod ne subitum esse videretur, ne minimè præmeditarum: *Exiit IESVS in montem*, & quidem oraturus: *Erat* enim *pernoctans in oratione Dei.*

Scitè notat Sacer Historicus orationem Christi, non hominis fuisse orationem; sed *DEI*: quod non vacat mysterio: Innuit enim *Omnipotentem* fuisse, ut qui omnia posset quæ vellet.

In hist. Relig. *Omnipotens oratio cùm sit una, omnia potest*, inquiebat Theodoretus: quod de oratione Christi verum erat quàm maximè.

Si enim de oratione etiam hominis onius audacter pronuntiavit Ennodius: *Præcipit oratio cùm deprecatur*; Quid de Oratione Christi dicendum? Dicendum enimverò, quod præcipit cùm deprecatur.

Ita præcipit cùm Lazarum, orans, è tumulo vocavit, ac luci vitæque reddidit etiam paucis voculis: *Lazare veni foras.* Cùm enim sic ad Patrem: *Pater gratias tibi ago, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Mox subjecit imperiosam illam vocem: *Lazare veni foras*; & illicò venit, erupit, evasit è sepulchri nocte, è putri loco jam puttidus totus: Ecce ut *præcipit oratio, cùm deprecatur.*

Et quia ita præcepit oratio Christi; hinc *DEI* oratio dicitur: Et in hac pernoctavit Servator Optimus, priusquam Discipulos ad se, suamque scholam, è mundo evocaret; ut vel oratione sua pervigili, vel etiam exemplo doceret, cùm aliquid ardui in consiliis, in manibus est, ad Deum supplices venire, & orare; sed oratione *DEI*; hoc est Omnipotenti. Ita oravit olim Josue, cùm io quinque Amorrhæotum Reges armatus venit, *& dixit coram* *Iosue c. 10.*

eis. Sol contra Gabaon ne movearis. stetitque Sol in medio *v. 12.*

cœli, obediente Deo voci hominis.

Nimirum ut rectè Clemens Alexandrinus, *Oratio* *1. Stromat.* *dominans est*, imò *Omnipotens*: & ea quoque erit nostra si Josuanæ similis sit, si imitatrix Servatoris.

Et ea fuit D. BARTHOLOMÆI. Cœlesti forte illi *D. Bartholomæi oratio.* Hierapolis obtigit excolenda, inculta, barbara, & vanis Idolorum cultibus addicta regio: Quid hîc ageret Apostolus? Quò consilia, quò aoimum verteret in re vel maximè difficili, in qua de animarum salute, de Magistri sui nomine, luce, gloria agebatur? Ascendit cum illo in montem, & pernoctat in oratione Dei sui: nimirum ab illa doctus petere præsidia, lucem, & vim omnem ad evertenda dæmonum simulacra.

Cum his scilicet congressus erat, cum inferni potestatibus, cum rectoribus mundi & tenebrarum harum: Unde in ea lucta præsidium? Ab oratione.

Dissipandæ erant tenebræ, & nox alta infidelitatis, qua tegebatur Hierapolis, & circum circa vicinæ regiones: Unde petenda lux erat? Unde melior aurora? Unde Justitiæ Sol? Utique ab oratione. Et ad hanc oculos animumque flectit BARTHOLOMÆUS, ut ad Orientem Solem qui jacuit in profunda tristique nocte.

Erant dirueoda, & solo æquanda profana Idolo- *Vis orationis illius.* rum fana ac simulacra: Unde ad tam ardua molimina vis altior? Unde robur invictum? Certè non aliundè, quàm ab oratione.

Ad hanc, ceu ad *Arcem* quandam *spiritualem*, recurrebat vir Sanctus: in hanc, ceu ad *asylum*, sese recipiebat; in hanc intrabat velut in *scholam quamdam cœlestis doctrinæ*, & divinarum artium disciplinam: ab hac petebat argumenta concionum suarum & Apostolicæ prædicationis: Ad hanc ex occupationum quasi tumultu veniebat tanquam ad solitudinem reficiendæ menti opportunam, tanquam ad eremum suam, in qua illi *mors vitiorum*, in qua *fomes & vita virtutum.*

Erant ex corporibus, velut ex malè usurpatis hospitiis, depellendi morbi, ægritudines, lepræ, aliáque corpusculi hujus mala: Unde ad hoc vis medica? Non aliunde quàm ab oratione: hæc cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum reddebat Vir Dei: ita illi *Omnipotens erat Oratio.*

Erant indurata capita rebellésque animæ flectendæ suaviter in partes Christianas: Qui id fieret? Etiam ab oratione.

Erat detetenda rubigo vitiorum, & inducendus virtutum nitor ac splendor: Unde & illud boni? Utique ab oratione.

Quod à Christo Servatore quàm optimo, quod *Imitatio Apostoli.* à D. BARTHOLOMÆO usurpatum; hoc & à nobis: Quid enim potiùs? Est nobis Apostolo teste *colluctatio, non adversus carnem & sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum*: Unde ratio obsistendi? Non alia quàm ab oratione.

Sunt in animis nostris per summum nefas, Deique ter Opt. ter Max. injuriam & contemptum erecta idola quædam vanitatis, Veneris, Adonidis, aliaque ejusmodi propè innumera: Quomodo evertentur illa, nisi ab oratione?

Est in nobis profunda ignorantiæ nox, & caligo quædam maligna mentis: Unde dissipari possint eæ tenebræ, unde lux oriri nisi ab oratione?

Sæculi curia, mundi negotiationibus, aliisque impedimentis mille detrahimur, & à nobis ipsis

quodammodo avocamur: Unde revocari possumus, & ad Deum, & ad nos ipsos? Certè non nisi ab oratione.

Erit hæc nobis quod Apostolo fuit adversus hostes invisibiles *asylum*; Erit *arx spiritualis*; Erit *schola cælestis Doctrinæ*; Erit *mors vitiorum*; Erit *vita virtutum*; Erit & *cæli clavis*, *clavis thesaurorum Dei*.

Messanæ in Parthenio Cœnobio, cui sanctæ Mariæ à scala nomen est, arcula visitur lectissimis Sanctorum reliquiis dives, donum scilicet unius Reginæ Galliæ. Neque clausttum habet, neque clavem, qua obseretur, manet nihilominus semper clausa, ita ut patere, aut aperiri nequeat quantalibet vis adhibeatur, nisi cum oratio præmittitur. Post vota, nimirum & preces vel unius infantuli digito reseratur, & nullo negotio à quovis panditur.

Silvester Petra-sancta Taumasia, Tom. 3. c. 6.

Id expertus alios inter, P. Balthassar Bellus è Societate JESU, loci Antistitam, Amitam suam invisens. Nempè periculum fecit, conatúsque est quanta vi potuit, aperire; sed frustra. Mox precibus collatis ipse videlicet cum socio, voti compotes fuerunt, patuitque arcula sacrarum earum reliquiarum: cujus prodigii testem schedulam etiam scripto exegerunt Moniales ad posterorum memoriam, & Sanctorum venerationem.

Quod illi Arculæ, hoc cœlo, cœlique thesauris, qui non aperiuntur nisi fusa ad Deum oratione: illa vim facit, sed amicam, sed suavem: cætera omnia frustra sunt.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit.* vers. 13.

CUR INCARNATA VERBI DIVINI SAPIENTIA Discipulos suos Apostolos nominavit.

Apostoli dici poterant.

NON deerant alia, eáque speciosa nomina, quibus Discipulos suos, ceu stemmate nobili, signaret Christus: & quidem

I. *Oculi Ecclesiæ.* Primò, Acutos, & perspicaces, *Oculos* appellare potuit, quod Ecclesiæ, ceu sacro Corpori, essent, quod oculi sunt homini. Ita deinde S. Leo & ipse Christi in terris Vicarius SS. Apostolos Petrum & Paulum dixit, in Ecclesiæ corpore *geminum esse lumen oculorum*. *Serm. 1.*

II. *Lumina.* Secundò, Dicere potuit Ecclesiæ, ceu Cœli novi esse *Lumina*; si enim Isidoro Pelusiotæ, *Sacerdos*, quisquis is est, *Ecclesiæ Lumen vocatur*. Si D. Cyrillo Apostoli dicuntur, & sunt *Oecumenica lumina*; Quidni & ea quoque nuncuparit Servator optimus? *Lib. 1. In c. 40. Isay.*

III. *Soboles.* Tertiò, Appellare potuit & *Soles*, à quibus alii omnes etiam Sanctissimi velut Stellæ Ecclesiæ Firmamento insitæ lumen Divinioris Sapientiæ mutuari possent: Et verò illustre illud Areopagi Decus Dionysius, Evangelistam Joannem, *Evangelii Solem* esse pronuntiavit: Quidni & Apostolos omnes Soles esse pronuntiarit Christus? Et certè aliquando pronuntiasse videtur, cùm sic ad illos: *Vos estis Lux mundi*. *Epist. 10.*

IV. *Patres.* Quartò, Amabili *Patrum* nomine, & posteris commendare potuit, & amabiles Christianis nobilibus, ceu filiis, reddere: Et ita Moysen & Aaronem, primos Sacerdotii Præsules, Patres appellavit Rex David, *Honoru gratiâ propter curam pietatis*, inquit Augustinus, qui deinde Melchiadem Summum Pontificem appellavit *Patrem Christianæ plebis*, nomine dignitatis, venerationis, amorisque plenissimo: Quidni igitur & illo Discipulos suos honorarit Christus? *In Psal. 77. Epist. 162.*

V. *Medici.* Quintò, *Spirituales animarum Medicos* vocare potuit; & ita lapsis deinde sæculis vocavit D. Augustinus, & S. Gregorius Nazianzenus in Theologia, & virtute summus, de seipso deque Antistitibus Apostolorum in officio successoribus audacter & verè extulit illud: *Divina animarum Medicina nos ministri & adjutores sumus, quicumque aliis præsidemus*. Quod & de Apostolis potiori jure jactari potuit: Cur igitur non jactarit Christus Magister sapientissimus? *Hom. 12. ex 50. Orat. 1.*

VI. *Columnæ.* Sextò, Cùm Ecclesiam, ceu spirituale quoddam ædificium, moliretur summus ille Architectus, Apostolos ut illius *Columnas* erigere potuit, quæ illud fulcirent ac sustentarent; & verò ut tales erexit: Cur igitur eo nomine non est dignatus?

De S. Petro, qui primus à Christo, ceu Columna principe, Ecclesiam suis humeris sustentavit, liberè & elatè dixit D. Augustinus:

Quod ædificandis in domo Dei populis, Lapis esset ad fundamentum, Columna ad sustentaculum, Clavis ad Regnum. Quod & in alios Apostolos transfundi aliquo jure potuit: Cur igitur non transfudit Incarnati Verbi Sapientia? *Serm. 29. de Sanctis.*

VII. *Salvatores.* Septimò, Appellari potuerunt *Salvatores*, ac veluti secundi Redemptores generis humani. Ita dicturè quondam & clarè de iis Abdias: *Ascendent Salvatores in montem Sion*: quem locum D. Hieronymus interpretatur de Apostolis, quos Christus inquit, *Mundi voluit esse Salvatores*: Quod si voluit; Quidni & appellavit? *Ibidem.*

Sed ista, inquies, nomina speciosa sunt ac plena lucis, dignitatis, majestatis, gloriæ, ac propè beatitatis. Alia probavit atque amavit Servator optimus, quæ ita splenderent à gratiæ lumine, ut simul etiam horrerent à passione: non abnuo: sed hinc,

VIII. *Domus Eburneæ.* Octavò, Dici potuerint Discipuli Christi, *Domus Eburneæ*: & ita Vates Regius inarcanis suis symbolis eos censuit appellandos. Sunt illæ pretio atque elegantiâ nobiles: at labore multo, sudore multo stat id pretii & elegantiæ: ut enim doctè animadvertit D. Hieronymus: Ebur nisi radatur limis, dividatur serris, ac subulis perforetur, obscurum & horribile est: sic & Apostoli erant antequam vocarentur, atque à Domino inhabitarentur: Sed ubi vocati sunt, ferris secti, ungulis rasi, scalpellis scalpti, flammis exusti, ac diversis suppliciis elimati; facti demum sunt veluti *Domus Eburneæ*, Domus Dei pretiosæ, pulchræ ac nitentes. Cur igitur Discipulos suos non vocavit domos Eburneas? Cur potiùs *Apostolos*, id est, à se missos, ut prius ipse ab Æterno Patre: sic enim ille aliquando: *Sicut misit me vivens Pater & ego mitto vos*. *Psalm. 44. In Psal. 44.* IX. *Apostoli.* *Joan. c. 20.*

Erit aliquis qui opinabitur (nec omninò abs re, & instituto nostro) sub hoc uno Apostoli nomine, ea omnia quodammodo latere ac tegi, quæ priùs luci dedimus.

Si enim Magister sapientissimus Discipulos suos misit in Orbem universum, ut eo cum fuerat ab Æterno

Æterno Patre missus; hoc est eo consilio, ea lege, ea virtute. Igitur ut ille *Mundi oculus*, ut Lux vera, ut *Sol* alter spectabili illo longè potior, ut *omnium Pater*, ut *Medicus* corporum & animorum, ut *Lapis angularis*, ut *Columna* Princeps, ut verè *Salvator mundi*; sic & Discipuli hujus Orbis Oculi, Lumina, Soles, Patres, Medici, Columnæ, denique & secundi Salvatores.

Ut qui à Christo missi sint, ut ipse priùs ab Æterno Patre.

D. Bartholomæus. Ne in alios excurram (quod hujus loci ac diei non esset) hærebo in D. BARTHOLOMÆO; nam & hic à Christo, ceu Magistro quàm optimo, in Discipulum adlectus, & Apostolus nominatus, hoc est missus ad ea, ad quæ vel ipse prius Magister, Discipulorum in hoc exemplar & norma.

Oculus, Lux, Sol. Sicut igitur Christus, Orbis oculus, Lux vera, & veluti *Sol* alter; sic & Divus BARTHOLOMÆUS. Surrexit ille, & Evangelicæ prædicationis jubar primum in Lycaoniam Cappadociæ provinciam, deinde in Indiam citeriorem, denique in Armeniam longè latèque diffudit, & populos ingentes idololatriæ tenebris antè mersos luci Fidei Deòque reddidit. Atque cæteros inter Regem Polemonem cum universa familia Christo adjunxit; factus illi & toti ejus Regno, quod Sol aspectabilis huic Orbi. Et hoc primùm.

Medicus. Factus deinde & corporum & animorum Medicus: Corporum quidem dum ejus filiam lunaticam, quam nec idolum Astaroth, nec inferi ac tartareæ potestates curare potuerant, curavit ipse vel unico Crucis signo, & perfectæ sanitati restituit: sanitati dico primùm corporis, dein animi per sacrum Baptismi lavacrum: factus etiam illi ut & aliis quamplurimis ex vero Pater; imò Patre longè potior:

Pater. Hic enim vitam hanc mortalem donat, & exiguæ carnis portiunculam; at ille vitam immortalem dedit, & spiritum, qui potissima hominis pars, & sibi & Cœlo & Deo reddidit. Factus etiam in hoc ve-

Salvator. lut Salvator alter. Fatendum enim etsi Christus & illi & nobis & omnibus Salvator sit, & quidem hoc in genere primus: at Apostoli secundi ab illo Salvatores: & secundus ab illo etiam D. BARTHOLOMÆUS; quem dum Apostolum nominavit, simul etiam mundi lucem ac Solem, Patrem, Medicum ac Salvatorem visus est nominasse, & in unico Apostoli nomine ista omnia brevi compendio comprehendisse.

Quod ut ita esse fateamur; at fatendum etiam aliò spectasse Incarnati Verbi Sapientiam, & quidem fortè præcipuè: dum enim Discipulos *Apostolos* appellavit, hoc est, *à se missos* ut olim ipse è Cœlis ab Æterno Patre; tacitè innuit eos ad mundi contemptum, ad extremam paupertatem, ad probra, ad scommata, ad immanes injurias tolerandas, ad vincula, ad carceres, ad ferrum & ignes, ad cruces, ad mille mortes missos esse: ad has enim & ipse Dei Filius missus ab Æterno Patre & eadem ab illo

Apostolus. lege missi Discipuli cùm *Apostoli* nominati. Missus & D. BARTHOLOMÆUS. Et quidem

Primò ad insignem mundi contemptum, ac divitiarum, quas ut in oculis & manibus habent stulti mortales; ita & Apostoli sub pedibus ponunt.

Testis erit ille ipse, de quo hic scribo D. BARTHOLOMÆUS: cùm Regis filiam à morbo graviore liberasset, memoris animi causâ regia munera illicò ei submisit Rex Polemon: at à famulis nusquam

Cõtemptus terrenorum. inventus Apostolus: ad alia omnia omnibus propè obvius; ad munera ne visus, ne inventus quidem: diceres ad hæc sola nec videri nec inveniri posse.

Nec mirum, quia ea non spectabat altior illi sanimus; sed alia omnia; scilicet animas, & earum bonum ac salutem, quam quærebat. quod & Regi Polemoni apertum esse voluit: cùm enim hic nocte concubia solus esset, & sine arbitris in suo conclavi, se illi visendum dedit D. BARTHOLOMÆUS, subingressus vi Divina, januis clausis, ut indicaret Regi, se eo non venisse ut opes caperet & munera, ut divites ejus gazas; sed regiam animam, ac totius subjecti populi salutem; quam ut procuraret impensiùs longâ illi serie præcipua Fidei Christianæ mysteria explicuit: tum re quasi perfecta (cujus ergo venerat) ex oculis evanuit, non sine amabili Regis stupore. Zelator animarum.

Ecce ut verè *Apostolus*, id est *Missus* ad despicientiam terrenorum. Vt etiam ad probra, ad vincula, ad supplicia, ad mortem esse missum? Enimverò missus est, vel hoc nomine quod *Apostolus*.

De genere mortis, quo è vivis elatus est, inter Authores non constat. Hippolitus vult affixum infandæ cruci, verso tamen in terram capite, eo modo quò Petrus Apostolorum Princeps; & hoc quidem ex voto suo; nam & hoc ipsum à carnificibus petiisse dicitur, atque impetrasse; & illud quidem in Magistri sui reverentiam, quocum etsi consentiret in mortis genere ac cruce; non tamen in modo cui affixus. Martyr inclytus.

Ex hac porrò cruce velut è pulpito & Cathedra veritatis benè longam ad populum concionem habuit; nec loqui desiit, nisi eum simul & vivere. Atque ea fuit Hippoliti sententia, cui subscribit Surius. *In ejus vita.*

Metaphrastes tamen & Nicephorus volunt affixum cruci, ea ratione modoque, quo alii.

D. Ambrosius, D. Isidorus, aliique è Patribus antiquiores, contendunt excoriatum immani sanè barbarie, & post homines natos inaudita.

Et huic opinioni favet ipsa Ecclesiæ traditio, quæ manavit in posteros: cui libenter subscribimus.

Ita nimirum cum pelle veterem hominem exuit Apostolus, & novum induit: vitamque mortalem deposuit, ut immortalem assumeret: ut de illo verum esset quod altiore stylo de Martyribus scripsit D. Chrysologus:

Morte nascuntur, fine inchoant, occisione vivunt, & in Cœlis luceat qui in terra putabantur extincti. *Serm. 128.*

Sic violenta morte natus est D. BARTHOLOMÆUS; natus Cœlo, terris mortuus: sic fine glorioso inchoavit; ibique cœpit, ubi alii desinunt: sic occisione vixit, & huic inferiori mundo occidit, ut superiori oriretur; cui scilicet, ut deinde Clemens Alexandrinus,

Mors porta fuit, & principium veræ vitæ: Porta ad Deum, & Aula boni, & quidem æterni, ut olim pronuntiavêre Ægyptii Theologi. *L. 4. Strom.* *Iamblicus l. de Myster.*

Quod D. BARTHOLOMÆO, hoc & nobis, si modò ii sumus qui esse volumus & debemus Christiani; hoc est etiam missi à Deo: Missi, *inquam*, ad labores, ad sudores, ad luctam, ad certamina, ad quæ ducimur vel ipso, quo gloriamur nomine *Christiani*, id est, *inuncti*. Inuncti dico primùm intrinsecus per Gratiam; deinde etiam extrinsecus per sacram & religiosam Unctionem: cujus usus jam inde invaluit ab ipsa nascente Ecclesia, in qua Sacramento Baptismi ritè initiatus ungi consueverat, ut tanquam pugil fortis & erectus in Palæstram induceretur, & præmiorum spe ad laborem, ad pugnam, ad victoriam animaretur; uti & animati quondam Apostoli, animati Martyres, animati Christiani omnes, qui laborum acerbitatem spe gloriæ, veluti melle temperabant, & hac cogitatione sese erigebant, ac quodammodo juvenescebant ad exsorbendas difficultates. Et meritò. Ejus imitatio.

Verum enim illud Euvodii: *In Antiquam sudoris juvenescit affectum qui necessitatem gratiæ melle, & gloriæ suavitudine commutat.*

DE

DE NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS.



Serm. de Nativit. Orat. de Virg. HIC dies Natalis est Sanctissimæ Virginis MARIÆ: At quis ille? B. Petro Damiano, *Natalis est lætitia.* S. Germano Constantinopolitano, *Commune totius mundi gaudium.* Et hæc magnorum Præsulum fuit opinio, confirmata etiam ipsius Virginis vel oraculo, vel testimonio; sic enim illa ad D. Mechtildem:

Lib. 1. Revelat. *In mea Nativitate ex abundantia gaudii, cœlum & terra; & omnis creatura, licèt tamen nesciens, exultavit.*

Sed unde ista gaudii abundantia? Unde exultatio? Respondebit ille ipse B. Petrus Damianus: Quia scilicèt

Serm. de Nat. Virg. a. p. *Hodie nata est Regina mundi, Fenestra Cœli, Ianua Paradisi, Tabernaculum Dei, Stella maris, Scala cœlestis, per quam Deus ad ima descendit, & homo ad suprema conscendit.*

Ecce amplissima gaudii seges, ecce tot argumenta lætitiæ atque exultationis quot honoris tituli, quot illustria Virgini data nomina.

Non abnuo ex istis omnibus, imò & singulis peti posse ubertimam gaudii materiam. At, bonâ veniâ tanti Præsulis, ex hoc uno in præsentia desumam, quod hodie editus sit *Liber generationis IESV-CHRISTI.*

Enimverò *MARIA liber est*, in quo velut in compendio legas quidquid in tota Christi genealogia, quidquid in Avis, Proavis, Abavis, Atavisque est illustre, augustum ac sanctum.

Liber est, & quidem *Vitæ*, in quo candido charactere, & cœlestibus typis inscripta Electorum omnium nomina: & hinc gaudii materia. Unde enim potiùs?

Exultabunt aliquando Christi Discipuli, vel ex eo quòd sibi dæmonia subjiciantur; sed audient illud à Magistro. In hoc nolite gaudere, quòd dæmonia subjiciantur vobis: sed in hoc gaudete, quòd nomina vestra scripta sint in Cœlis.

In hoc enim uno bonæ menti gaudendum, quia in hoc uno tota beatitudo.

Quod si ita est; meritò dixerim diem Virgini natalem, diem esse *lætitiæ*, & *commune totius mundi gaudium*: quo dum fruimur, ex D. Thoma pauca subjiciamus.

EX D. THOMA.

CONCIONE prima de Annunciatione, Virginem etiam enascentem

Cap. 11. Primò componit cum virgâ, ex illo Isaiæ: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet.*

Hæc virga erit aliquando *speciosa*, à candore virginitatis, à rectitudine intentionis, à floribus ingenuæ conversationis, à foliis amœnæ locutionis.

Exod. c. 14. Erit & *gratiosa*, à gratiis, & favoribus, quos ex illa decerpent infirmi mortales. Hæc enim *mare*, id est, *mundum* dividet, ut securi transeamus: sicut olim

Num. 20. Israëlitis virga Mosis: Hac percutiet petram, id est Christum, ut ex illo, gratiæ fons effluat: Hac dabit

1. Reg. c. 13. mel devotionis, feliciori sorte, quàm olim Ionathæ virga: Hac percutiet Ægyptum, id est dæmonem,

2. Reg. c. 23. atque exarmabit: Hac denique ad nos Dei Clementiam inclinabit longè efficaciùs, quàm Assuerus olim Estheri. Esther c. 4.

Erit & *gloriosa*, quia florebit aliquando sine humore, frondebit sine corruptione, parturiet sine læsione; & sic *flos*, id est Christus, *de radice ejus ascendet.*

Secundò, comparat ferculo Salomonis, ex hoc Canticorum: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* Rex ille Cap. 3. Christus, Virgo *ferculum*: Factum illud *de lignis Libani*; en candor puritatis in Virgine: *Columna ejus argentea*; en rectitudo sanctitatis: *Reclinatorium aureum*; en pretiosa humilitas, in qua aliquando requiescet Deus homo.

Ascensus purpureus; en honestas, & decor morum: media instratus caritate; en ardens Dei amor; en incendium caritatis.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Liber generationis IESV Christi.* Matth. cap. 1. vers. 1.

QVIS ILLE LIBER, ET QVID DEFORIS, atque extrinsecùs ostendat?

ENIAM dabis, Amice Lector, si discedam à sensu litterali ad mysticum. Quòd Evangelista hîc longa majorum serie texat genealogiam MARIÆ; adeóque etiam CHRISTI, & & hoc quidem per JOSEPH maritum ejus, ac contribulem, io aperto est; adeóque ab illo in præsentia recedo, & cum bona Lectoris venia

Descendo ad alia, quæ ad Virgiois recèns natæ laudem faciant, quæ ad ejus decora atque ornamenta, quæ denique ad mores in nobis ritè formandos: Et quæro quid mysticè sit ille liber? Quando excusus? Et quid deforis, quid iotus legenti ubjiciat?

D. Joannes Damasceous Oratiooe secunda de Virgine in Cœlos assumpta, ait Deiparam Virginem (quam ad genealogiæ calcem adjicit Evangelista

B. Virgò Liber est.

his verbis, *de qua natus est IESVS*) esse librum, & quidem novum; sic eoim de illa scribit: *Novus liber, in quo menarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus operam mscriptus est.*

Quod si Diva Virgo liber est, videndum nobis erit, quod in aliis libris: Primùm quid deforis ostentet; deinde quid intus. Ad illa spectare possunt,

Circumstantiis quasi involucro tegitur.

quæ librum illum circumstare visa cùm primùm editus in lucem. Hoc est, ut clariùs eloquar, Nativitatis illius circumstaotiæ, quæ sint, & quo ordine. In eas veniet primò annus, mensis, & dies ipse, deinde locus, tum ipsa ratio modusque, tum etiam progenitores.

Anno.

Ad aonum quod attinet, aliqua inter Authores est controversia, & adhuc sub judice, dum hi illum, isti alium Virgini nascenti designant.

Nimirum illi tum usu venit, quod aliis, quos celebriores habuit, suspexit atque amavit antiquitas, quos proinde quasi inito inter se certamine, & æmulatione quadam, sæcula deposcunt. *Ita*, ut inquit

Orat. de Nat. Virg.

D. Damascenus, *certabant sæcula, quodnam Virginis ortu gloriaretur.* Certamen diremit Dei Conditoris Providentia, quæ uti cuique suum sæculum, suum annom assignat, quo è nihilo in lucem veniat; sic & Virgini assignavit. Fuit hic ex sententia probabiliore ab Orbe condito annus ter millesimus noogentesimus quadragesimus septimus, quo Romæ regnabat Augustus; in Judæa verò Regnum tenebat Herodes, qui per summum nefas, & immanitatem Regium Davidis genus extinguere moliebatur; sed irrito conatu: adversus Superos nihil omoinò possuot humana consilia: concidunt hæc, ruuntque sua mole.

Ita conciderunt Herodis insana molimina; enata quippè Virgo de Regia Davidis stirpe, quæ Regem daret cujus Regni oulla finem afferret ætas; sed ipsa quanta, quanta est Æternitas amplecteretur: Et hæc de anno natæ Virginis.

Mense.

De mense satis constat. Fuit is September, qui Hebræis dictus est *Ethanim*, id est *Fortitudinum*, *seu virium mensis*: ex antiqua Traditione, quæ apud illos invaluit, & ex qua celebriores eorum Doctores,

Pagninus.

mense Septembri *natos credunt fortes mundi*: quæ traditio si in aliis locum invenit; at in Virgine quàm maximè, utpotè quæ Dei Filium vicit traxitque è sinu Patris suos in sinus.

Hugo Char.

Addit Hugo Charensis non sine læto omine, Septembri mense natam esse; mense scilicet benè ominato, ut qui audit *mensis plenitudinis*. Plena quippè Virgo fuit: plena primùm sibi, deinde plena & nobis; imò superflua nobis, in quos scilicet de plenitudioe gratiarum suarum effudit.

Rationem è Natura si petas cur September dicatur & sit *mensis fortitudinum*; hanc accipies: Quod in eo terra vires suas exerat ad froctus edendos: Vis quippè terræ hujus etsi plusculum sese explicet in foliis, & herbescente quadam viriditate, etsi niteat in floribus; at maximè paret in fructibus, quorum scilicet causâ, & folia explicantur, & nitent florea: at sine fructibus, & hi & illa omnis propè boni vacua.

Et hinc etiam audit September *mensis plenitudinis*, quia in eo fructuum ubertate plena sunt omoia, pleoæ areæ, plenaque horrea. Scilicet exaruit amcena illa herbarum ac foliorum viriditas; languit, emarcuit, excidit florum decor, & gratia: at sua stant mole fructus, & etiam in loogas durant hyemes.

Et hæc Septembris gloria, hæc laus & commendatio: sed major illi à oascente Virgine, quæ non folia, id est bona dumtaxat vota, quæ ventus inconstantiæ facilè discutit; non etiam leves virtutum flosculos, quos adurit atque exsiccat primus æstus concupiscentiæ; sed solidos & natos æternitati dedit virtutum fructus, mense etiam primo, qui September fuit, id est Virgini meosis *Fortitudinum*; mensis *Plenitudinis*.

Sed & alia succurrit ratio, eaque & Septembri, & nascenti tum Virgini conveniens. In eo Hebræi ex Dei nutu ac præcepto celebrabant festum Tabernaculorum, quo scilicet sub Tabernaculis esse jubebaotur, in memoriam accepti beneficii.

Nos potiori jure festum Virgineæ Nativitatis, quo scilicet Deo homini extructum est Tabernaculum, quo deinde lapsus è Cœlo Deus homo uteretur, & habitaret in nobis. Et hæc ratio Deum aliquando in Virginis utero concipieodum respicit; ea, quam subjicit, placandum ab eadem edocet.

Septembri mense, Sol qui caleote Augusto per signum Leonis decurrit, illud deserit in Septembri, & ingreditur signum Virginis: Felici sanè præsagio, quo scilicet ostendit Deum ter Opt. ter Max. qui antè rugiebat ut Leo, iras omnes, ferociamque omnem positurum, cùm primùm in Virginis sigoum, hoc est, gremium venerit.

Deinde September nascenti Virgini sacer, inouit à MARIA inchoandos nobis esse dies & annos, velut à priocipio anni nostri, hoc est vitæ nostræ mortalis, ut olim Hebræi suum annum inchoabant à mense Nisan, qui nobis dicitur & est September.

Denique Septembri mense ex sententia probabiliore conditus hic Orbis, creatus Adam, & ex hoc deinde producta Eva, quæ esset omnium viventium mater, vel potiùs à culpâ suâ morientium mater:

Et eadem nata est MARIA futura semper viventium mater, morientium nunquam.

Ecce ut in ipso Nativitatis Virgineæ mense lusit amabilis Dei Providentia; ecce, quæ desoris ostendit Mananus liber. Descendo ad diem.

Die. Is Sabbatum fuit: Quis enim potius? Fuit illud jam inde ab Orbe condito, *Sanctum Domino*, fuit Divinæ vocis oraculo *benedictum*.

Gen. c. 1. *Benedixit enim Deus diei septimo, & sanctificavit illum.*

Deinde in eodem requievit ab omni opere, quod patrarat: die septima requievit, ut sacer enarrat historicus: & hoc quoque nata Virgo, quæ à Domino benedicta, quæ sanctificata, & in qua deinde ipsius in hoc inferiori mundo requies: De qua, & illa Sapientis ore voceque. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

Quid porrò Orbi universo ab illa requie boni fluxerit, accipe ex miraculo quod olim spectavit Palæstina.

Lib 7. de bell. Iudaic. c. 24. In ea visebatur fluvius vulgò dictus *Sabbathicus*, quòd sex diebus deficeret, & siccum alveum exhiberet; Sabbato autem exoriretur, imò & pleno alveo exundaret. Hunc fluvium à Tito Imperatore conspectum asserit Josephus non sine stupore.

De B. Virg. l. 1. tract. 5. p. 134. Pater Posa piis conjecturis opinatur, id miraculum cœpisse illoipso die Sabbati qui Virgini natalis fuit; quia ante Virginis ortum nemo illius meminit; post autem historici plerique. Brochardus Monachus in suo Itinerario censet fluvium illum alluere regiones Nephtalim & Zabulon, ubi situm oppidulum Nazareth. De quo infrà.

Hæc prodigia si vera sint (de quibus sit penes illos Authores fides) indicant omnes dies vacuos à MARIA nascente implendos aquarum, id est gratiarum, abundantiâ. Et hæc de die.

Loco. Venio ad locum, qui Virginem nascentem excepit. De hoc sua quoque inter Antiquiores lis est ac disceptatio.

D. Damascenus Oratione prima de Natali Virginis existimat natam esse *Ierosolymis*, urbe Regia: sic enim inquit: *In lucem editur Virgo in domo probatica Ioachim*, hoc est vicina probaticæ Piscinæ, in qua deinde ad natæ Virginis memoriam, locique venerationem, extructum templum sanctæ Annæ, ejus parenti. D. Damasceno consentit Adrichomius.

Tostatus Episcopus Abulensis opinatur editam in lucem in oppido *Sepporo* tribus leucis à Nazareth.

D. Hieronymus libro de ortu Virginis censet natam esse in oppidulo *Nazareth*, cui libens subscribo. Ubi enim potiùs? *Flosculus* erat MARIA; ubi melius nasceretur quàm in terra florida? Quàm in Nazareth, quod *Floridam* significabat nomine benè ominato.

Lectulus erat MARIA, & quidem aliquando futurus lectulus veri Salomonis; igitur floridus esse debuit, & in Nazareth, hoc est florida, nasci.

Parentibus. At quibus parentibus? (nam & hi ad Virginis, ceu libri editionem spectant) quæri enim solet de libro, cùm editur, quis illius Author: sic & de MARIA, Qui illius parentes? Quis Pater, quæve etiam Mater?

Pater *Ioachim*, Mater *Anna*: magna, & speciosa nomina; quod vel ex ipsorum nominum etymologia agnosces ac prædicabis.

In Galatinum. *Ioachim* enim Latinè, idem est ac *Deus elevabit*, *Deus eriget*: & verò etiam elevavit, atque erexit.

Primùm ex opprobrio diuturnæ sterilitatis, qua laborarat ad magnæ & nobilissimæ prolis fœcunditatem.

Deinde ad eam prolem, à qua hic Orbis, quantus quantus erat, abjectus atque prostratus erigi debuit atque elevari.

Denique ad prolem, quæ eò assurgere debuit, ut & terræ Domina, & Augusta Cœli Regina, & Dei Mater esset. Hinc ad calcem Genealogiæ Christi ac Virginis, Evangelista rectè subjecit excelsum istud: *De qua natus est IESVS.* Et hæc à Joachimo Virginei libri authore ac parente laus & commendatio. Nec minor ab *Anna* Matre, quæ illum in utero, ceu officina nobiliore, excudit, ac dein publico dedit.

Anna quippe Hebraicè *gratiam* sonat: fœlici ac fortunato nomine: quod quia magis exprimit cœli beneficium atque indulgentiam; inde etiamnum hodie nonnullis puellulis inditur nomen proprium, non *Anna*, sed *Gratia*; cujusmodi fuit Japonica fœmina, cui nomen gratia, quæ Firandi cum quatuor prolibus, totaque familia gloriosam mortem fidei causâ oppetiit, ut nomen Gratiæ, quod in aquæ Baptismo acceperat, etiam servaret intactum in eruento sanguinis Baptismate, & à Gratia, quam ipso nomine præferebat, transiret ad Gloriam. Litt Iapon. anno 1624.

Sed ne longiùs: Oculos refero ad librum Virgineum, qui extrinsecùs in fronte ostendit *Anna*, id est *Gratia*, ceu parentis nomen. Quod enim potius? Gratia virtutum est quasi fœcunda parens; & parens MARIÆ Anna, quæ dum Gratiam sonat, sonat & virtutes omnes; ut intelligeres MARIAM à Gratia, id est à virtutibus, generatam.

De viri Sancti formatione pronuntiavit illud Boenus: *Viri Sancti corpus virtutes ædificârunt.* L. 4 de Consol. Prosa 6.

Et Virginis MARIÆ corpus futurum aliquando Incarnati Verbi librum, ædificavêre virtutes, hoc est, *Ioachim*, & *Anna*. *Ioachim* quidem erectus atque elevatus à spe atque singulari in Deum fiducia: Anna verò cœlesti Grana, hoc est virtutibus plena. Ita dum MARIAM legis Joachimi & Annæ filiam; unà etiam legis Gratiæ ac virtutum filiam: ea nimirum esse debuit, quæ deinde debuit esse Dei Mater: quem titulum, ceu inter omnes facilè principem, stylo notat Evangelista, dum ait: *De qua natus est IESVS*: Sed de hoc quæstione sequenti; ad quam priusquam delabar, te paucis compellare velim, amice Lector, & ex te quærere sisnè ipse liber, quid in te, & quibus typis excusum.

Si te penitus inspiciam, ô homo, si animi tui recessus intimos, si conscientiæ tabulam; ea liber est, modò quidem involutus; at explicabitur aliquando atque evolvetur: & hoc in magno illo divini Judicii die, in quo ferenda de omnibus mortalibus sententia, & quidem ut ait D. Joannes, *Ex hisque scripta erunt in libris*: At quibus libris? Utique animis, & conscientia, in qua refert quamplurimum quibus typis notata, quo charactère excusa: Video enim alios, atque alios tum in hominum animis legendos esse characteres. Apoc. c. 20. v. 12. Apoc. c. 13. v. 17.

In quibusdam erit *character bestiæ*: scilicet id illis, qui in hac aura mortali belluinam vitam egerint, abjecti ad pastum, ad ventrem, ad gulam, ad venerem. Ibidem.

In aliis erit *character Anti-Christi*, qui Primasio & Ansberto interprete dicitur futurus, ῥόδον, sive *Rosa*, & *Voluptas*. Hic legetur in iis, qui voluptatis plus æquo amantes sese totos illi vitamque omnem inscripserunt.

In nonnullis videbitur *Caini signum & character*. Quod illud quæris? Genebrardo est *Aleph* prima littera nominis *Abel*, quem scilicet per immanem invidiam occidit: & hic character legetur impressus animis invidorum, homicidarum, & eorum, qui fraternis odiis ardent, calentque inimicitiis.

Ex his porrò, quæ scripta erunt in libris, ferenda tum ab æquo judice sententia, & decernenda cuique aut sua præmia, aut supplicia: verum enim illud quod diu ante spiritu præsago ac voce dixit D. Joannes: *Si quis acceperit bestiæ characterem in fronte sua, aut in manu sua; & hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius.* Apoc. c. 14. v. 9.

Vide,

Vide, ô homo, quî liber es? Vide an in extremo illo Divini Judicii die characterem illum præferre voles, an exhibere legendum Christo judici, an Orbi etiam universo; ac non potiùs amabilem ac Virginem *MARIÆ* characterem? Hunc certè si ostenderis, & *in fronte*, id est, libera & aperta ejus cultus professione; & *in manu*, hoc est, in motibus, & vita: tunc ingenti cùm gaudio aspicies & leges librum alterum; librum, inquam, vitæ, in quo & nomen tuum Dei manu inscriptum & Cœli typis expressum videbis, atque amabis.

Indubitatum enim illud, quod olim D. Bonaventura:

In Psalterio.

Qui acquirit gratiam MARIÆ, agnoscetur à civibus Paradisi: & qui habuerit characterem ejus annuntiabitur in libro vitæ.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Iacob autem genuit IOSEPH virum MARIÆ.* vers. 16.

CUR HIC EVANGELISTA MARIÆ nomen exprimit?

NOVERAT omnino sacer Historicus Angelum è Cœli Regia ad Virginem elapsum, illius nomen alto silentio pressisse (quod reverentiæ fuit, ac debitæ venerationis) extulerat quidem lætum & augustum illud: *Ave gratia plena*; at nomen reticuerat. *Non nominavit eam Angelus, volens potius venerari silentio quod non potuit exprimi eloquio*, inquiebat S. Bernardinus Senensis.

Tom. 3. Tra. de B. Virg. Serm. 2.

Cur igitur nomen, quod siluit Angelus, edit Evangelista? Aliæ atque aliæ proferri possunt rationes. Hæc ad institutum prima, quod cùm Virgo sit liber, illius nomen in fronte poni debuit, ut inde acciperet commendationem atque authoritatem. Quod ut in aperto sit.

MARIÆ nomen.

Primùm ostendam, quæ sint illius Virginei nominis notiones atque etymologiæ; tum etiam quæ sanctitas; deinde quæ dignitas & majestas; tum quæ ab illo privilegia, quis Cœlo propitio favor & gratia; denique quis illius amor esse debeat, quæ invocatio.

Ejus etymologia.

Ad primum quod attinet, sunt qui MARIÆ nomen ex hebræa origine deductum, velint significare *mare amaritudinis*.

Alii ex syro idiomate trahunt, ut *MARIA* idem sit ac *Domina maris*.

Nonnulli etiam ex hebræo fonte (quod aliter atque aliter fluit) existimant, quod *MARIA* idem sit ac *Luminare*, vel *Illuminatrix*; & secundùm aliquos *Stella maris*.

In c. 1. Luc.

Has interpretationes paucis complexus est Albertus Magnus: *MARIÆ nomen interpretatur, Illuminatrix, Stella, Amarum mare; & Syra lingua, Domina. Illuminatrix quidem, quia illuminat in dubiis; Stella poli, quia ducit in deviis; Amarum mare, quia compungit in illecebris; Domina, quia protegit in adversis.*

In c. 24. Eccles. v. 24.

D. Epiphanius censet MARIÆ nomen *Spem* significare: *MARIAM*, inquit, *interpretari solemus Dominam, atque etiam spem.* Quæ notio si vera est, boni est ominis; indicat enim vel solo nomine MARIAM spem esse mortalium.

Lib. 2 super Magnificat c. 22. dub. 5.

Aliis MARIA idem est ac *Dei imitatrix*. Hæc interpretatio placuit Rutilio Benzono, estque Virgini quàm aptissima, ut quæ Deum apprimè imitetur, ac referat ut imago prototypum.

D. Ambrosius in ipso MARIÆ nomine invenisse se credit, quod ante nec Sol vidit, nec terra tulit, nec superi dedêre: ut scilicet *Deus esset de conceptu MARIÆ, deq; ejus genere.*

L. de Instit. Virg. c. 5.

Speciale, inquit, *MARIA Domini Mater hoc nomen invenit, quod significat Deus ex genere meo*: quo quid illustrius, quid augustius, quid divinius dici potuit? Certè si hæc notio est genuina (cujus rationem tanto Doctori relictam velim) nihil magis consonum ineffabili Incarnationis mysterio, nihil Virgini magis honorificum, quàm illud suo quodammodo nomine expressisse ac circumgestasse: Ecquid enim? Dum MARIAM audis, ipsum Dei ter Opt. ter Max. genus & conceptum audis.

Et hæc de notione atque etymologia nominis, quæ ut fœcunda est, & in varias ducitur significationes; ita à virtutibus fœcundam esse docet MARIAM, facitque ad magnam ipsius dignitatem ac majestatem: Ut enim Deus ipse apud Hebræos non uno exprimitur nomine; sed in decem nomina sese diffundit: sic & MARIA futura aliquando Dei Mater, quod sic piè & doctè advertit S. Bernardinus:

Suprà.

Neque immeritò non unam tantùm nominis habet interpretationem MARIA, nullum enim nomen unum puto Virginis gloriam posse enuntiare: sicut Deum ipsum non uno tantùm nomine nominamus; sed multis, ut sic ejus incomprehensibilitatem enunciemus.

Ejus dignitas.

Et hinc descendo ad secundum, quod initio mihi proposui; quæ scilicet nominis illius dignitas, quæ majestas.

Ser. de Annunt. Virg. — *Luc. 0. 10.*

B. Petrus Damianus eam è duobus capitibus petiit: Primò, è fonte unde hauritur, è thesauro unde educitur, tum etiam ex illius Divina quadam vi ac potentia ad reparandum genus humanum; sic enim inquit: *De thesauro Divinitatis MARIÆ nomen evolvitur:* aliorum nomina plerumque petuntur è terræ sinu, è paterna aut materna domo, ex avis proavisque; paucorum è Cœlis, & quidem Sanctorum: ea sunt nomina, quæ priùs *scripta sunt in Cœlis*, quàm in terris nota.

At MARIÆ nomen ex ipso Divinitatis thesauro evolvitur, in quo scilicet tota æternitate, quanta quanta illa fuit, fuerat involutum; & inde Divina quædam illius dignitas, à qua scilicet MARIA fuit Orbi reficiendo, quod Dei potentia faciendo.

Per ipsam, inquit ille ipse D. Petrus Damianus, *& in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur: ut sicut sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit.*

Ecce ut Virgo non solùm nomen hausit ex ipso thesauro Divinitatis; sed etiam unà cum nomine vim quandam Divinam, ut per eam reficeretur quod factum erat per Omnipotentem.

Serm. de Assumpt. — *In Specul. Virg. Lect. 8.*

Et hinc MARIA jure meritissimo vel sono nominis sui audit *Domina*: *Domina mundi*, ut inquit D. Petrus Damianus: *Creaturarum omnium Domina*, ut scitè D. Damascenus: *Universalis omnium Domina*, ut rectè D. Bonaventura.

Ut enim Deus ter Opt. ter Max. dicitur & est omnium Dominus, quia omnia facit: ita omnium Domina est MARIA, quia omnia reficit.

De vita Christi part 2. c. 56

Sicut Deus sua potentia cuncta patrando, Pater & Dominus omnium; ita MARIA suis meritis cuncta reparando, Mater est & Domina rerum, inquiebat Ludolphus de Soxonia.

Quod si Domina est MARIA, Quæ, inquies, illius famulæ? D. Bonaventura, piè ut aliàs solet, vult esse Angelicam & humanam naturam, quæ illi serviunt ut olim Estheri *duæ famulæ, super* quarum *unam innitebatur, dum altera sequebatur Dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.*

Suprà. Cap. 15.

Duæ famulæ, inquit, *quarum Domina est MARIA, sunt Angelica & humana natura: Angelica quidem super quam Domina innititur in Cælo, dum humana Dominam sequitur in mundo, colligens vestimenta Dominæ, scilicet virtutes & exempla MARIÆ*: hoc uno beata, si ita mente ac cogitatione ea colligat, ut deinde in seipsa ac moribus exprimat.

Ejus sanctitas.

Sed ne longiùs: De dignitate Mariani nominis hæc paucis attigisse sit satis. Subdamus aliqua de ejusdem eximia sanctitate: hanc aureo stylo notavit D. Chrysologus; eum attendamus.

Serm. 146.

MARIÆ nomen, inquit, *Virginitatis insigne, pudicitiæ decus, indicium castitatis, Dei sacrificium, hospitalitatis virtus, collegium Sanctitatis.*

Virgines animæ in oculis habent & amoribus insigne Virginitatis: & hoc habent in uno MARIÆ nomine.

Pudicitiæ decus æstimant etiam in conjugio nuptæ: & illud æstiment in uno MARIÆ nomine.

Indicium Castitatis etiam extrinsecus amant ostentare, quæ ut ait Apostolus, *verè viduæ sunt*: & illud quoque osteotat vel unicum MARIÆ nomen.

Assurget, alius, & in Dei sui laudes totus ibit, totus in orationem, & sacrificium labiorum: & hoc quoque videbit in uno MARIÆ nomine.

Volet alius effundi in opera misericordiæ & charitatis, hospites tecto, pauperes mensa, afflictus etiam aperto amoris sinu excipere gestiet: & hæc omnia leget in uno MARIÆ nomine, in quo hospitalitas, id est Charitas, & Misericordia sedem sibi posuit.

Denique ad Sanctitatem, hoc est ad virtutum omnium cumulum, aspirabit alius: & MARIÆ nomen *collegium* est *Sanctitatis*, ad quod scilicet virtutes omnes conveniunt, & in quo exercentur, ut solent in bonarum artium collegiis Discipuli.

In Hypop.

Ita nimirum, ut pulchrè S. Germanus: *MARIÆ nomen divinis benedictionibus & gratiis omni ex parte refertur*, ut ad alios quoque sacra ipsius munificentia referatur. Et hinc delabor ad aliud, quod mihi etiam præfixum volui: ad gratias scilicet, & favores, quos in mortale genus à Virgineo MARIÆ nomine derivari voluit quæ nobis invigilat Dei Providentia.

Ejus utilitas

Quod in hoc ævo breviore summum habetur bonum, est vita: & hæc habetur à MARIÆ nomine. Ubi à morte ad vitam revocandus fuit Lazarus, ubi, evocandus à sepulchro, *Martha mittitur ad MARIAM; quia sine MARIA nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat MARIA; veniat Materni nominis bajula, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris.*

Chrysolog. Serm. 64.

Venit MARIA, & ecce illicò mors fugatur, reparatur vita, prodit ab inferis Lazarus, exitque è sepulchro: Quæ causa? Quia venit *MARIA Materni nominis bajula.*

Quod si veniente Magdalena, vel eò tantùm, quòd Mariani nominis esset bajula, & à Lazaro mors abit, & vita redit; quid censes futurum si venerit MARIA? Si nomen suum interposuerit? Futurum enimverò est, ut & mors fugetur, & vita reparetur.

Et hoc primum à MARIÆ nomine beneficium est: accedit illi proximum: quod vitæ periculum, si fortè aliquod immineat, avertat: quo in genere lepidum illud quod narrat Bernardinus de Bustis de Coronatione MARIÆ.

Parte 12.

Puellula quædam Virginis obsequio & invocationi addicta, aviculam, quam cavea clausam tenebat, docuerat garrire sacrum illud ac lætum: *Ave MARIA*: quod & garrire probè docta, & inter cantus suos miscere sæpiùs: Sed ô ingens aviculæ malum! dum fortè è cavea longiùs evolat, mylvus, avis rapacissima, eam arripit, asportatque. Quid inter ejus ungues avicula? Recurrit opportunè sacra lectio, & lætum *Ave MARIA*, quod & accinit: & ecce (mirum istud!) ad illas voces quasi fulmine percussa rapax avis, effera licèt & prædæ assueta, & prædam dimittit ex unguibus, & mortua concidit pœnas datura pro furto & rapina unius aviculæ, quæ dixerat *Ave MARIA*. Hæc eo periculo libera ad puellulæ sinum revolavit.

Quod si MARIÆ nomen voce tantùm, non ratione ac mente invocatum ita profuit; quantum proderit ubi ex rationis dictamine, & sensu pietatis erit invocatum. Proderit certè etiam in ipsis quasi mortis faucibus, etiam inter infernalis mylvi, & mali dæmonis ungues, è quibus vel unicum MARIÆ nomen opportunè prolatum liberabit: uti fecit olim Theophilum, & alios, qui se etiam signata proprio cruore syngrapha, illi devoverant.

Ecce ut vitæ periculum evadat etiam propè perdita hominis animula à solo MARIÆ nomine: Vis etiam ut pudoris? Audi quid Vincentius Belvacensis. Virgo fuit, cui ut MARIÆ nomen inditum; ita & illius amor & cultus. Inciderat illa in militem à libidine effrænem atque efferum, à quo parata jam vis pudori; nam & manus in illam injecerat, & oculos, & amores suos: nec erat, qui eos declinaret sola sine teste, sine adjutore virguncula: declinavit tamen, ubi illum rogare, urgere, obtestarique cœpit, ut pudori parceret, vel per illud quod MARIÆ gerebat nomen; hoc enim ut audiit miles, quasi alius à seipso, totus mutari ac mitescere cœpit, nec infando ausu, infamique venere in virguncula MARIÆ nomen devenustare unquam est ausus: Et verò qui ausus fuisset?

In Specul. hist. lib. 7. c. 102.

De Turno cecinit olim Virgilius.

Magnum Reginæ nomen obumbrat.

11. Æneid.

Et Servius: *Nobilium*, inquiebat, *nomen umbra est aliis.*

Quæ ego de MARIÆ nomine jure potiori dixero: obumbrat magnum Reginæ cœlestis nomen: obumbrat, inquam, dum ab æstu infandæ libidinis defendit; obumbrat, dum à vi tuetur; obumbrat, dum à periculo liberat, dum pallio virginali, hoc est singulari favore, ac gratia protegit, & quodammodo obvelat. Quo in genere mirum illud, quod aliquando abjectum Viro in paucis religioso, & Virginis amantiori Ordinis Cisterciensis.

Hic in altiore orationis excessu etiam in ipsam Empirei regiam abreptus, perspicaci mentis oculo Beatorum choros, maximè verò religiosos intueri cœpit, atque contemplari: quod dum sedulus facit, incredibili lætitia perfundi se sensit, at eam mox diluit illud, quod inter agmina è suis ne unum conspiceret.

Hinc primum stupor, & rei (ut videbatur insolentis) admiratio: dein etiam dolor, & piæ apud Virginem, ceu Matrem, querelæ.

Bollandus in vita B. Alberici Ord. Cist.

Quid enim, inquiebat, quid istud, ô Diva Mater, quod ex universo Cisterciensi Ordine, tibi, tuóque cultui aliàs addictissimo, ne unus quidem videantur in aula cœli, sedéque beatitatis? Ubi ubi illi, ô magna Cisterciensium Parens MARIA?

Quem pro suis piè anxium ut vidit Dei Mater, sic ad illum: Latent illi sub veste mea, sub virginali

pallio,

pallio, tum illud explicari, atque in immensum distendi à beatis geniis voluit.

Et ecce illi grande spectaculum, amabilis Beatorum turba, ac propè innumerabilis ex utroque sexu, Monachorum scilicet, ac Monialium multitudo sub Virginali syrmate.

At cur, inquis, sub illo: certè vel ideò tantùm, quòd eos seu Clientes, seu etiam amantes filios protexisset olim, ac modo etiam tegeret, imò & coronaret magna Divûm, hominumque Mater.

De ineffabili Dei nomine, quod olim summus Sacerdos in fronte gestabat, pronuntiavit illud D. Hieronymus:

Epist. ad Paulinum.

Totam Pontificis pulchritudinem sanctum Dei nomen coronat & protegit: quæ ego de Virginea mente ac pulchritudine dixero: illam nimirum sanctum MARIÆ nomen coronat, & protegit. Ita simul ei est corona, & scutum: scutum quidem ad defensionem; corona verò ad ornamentum.

Ejus invocatio, amor, imitatio.

Et hinc descendo ad alterum, quod ultimo loco proposui; nimirum invocationem SS. nominis MARIÆ, quam nolo è lingua tantùm & ore peti, inanique syllabarum sono; sed potiùs ex imo corde affectuque: quem in finem sculpi primùm velim in tabulis cordis; deinde etiam in manu. Clariùs rem expono ipsis Richardi verbis:

Lib. 4. de Laud. Virg.

Quidam, inquit, *habent Christum & MARIAM in corde per dilectionem; alii in lingua per laudem; alii in codice per scripturam; alii in manu per operationem.* Et tu ex illis sis amice Lector.

Primùm, MARIAM in corde habe per amorem: fuit olim hoc Augustini votum in excessu æstuque pio meditationum, in quibus sic ad Deum.

Aufer Domine à me si velis substantiam, manus, pedes, oculos: solùm relinque Cor, quo te diligam.

Quæ ille ad Dominum; hæc ego ad Dominam, id est ad MARIAM: à qua ut tollantur cætera, vel quæ nos circumstant; ut opes ac facultates: vel quæ corporis machinam compingunt; ut sunt illius membra: At cor relinqui velim, quo MARIAM diligam: si enim verè dilexero, tum & in lingua habebo per laudem, & in codice per Scripturam, & in manu per operationem.

Ita habuit *Ioannes* Anachoreta, Vir in paucis Divæ Virgini addictus; habebat ille in spelunca sua illius imaginem, ante quam lucernam accendere solitus erat, etiam cum peregrinationis ergo ad dies multos, imo & menses abscederet: tum enim sic ad illam, stylo simplici; sed puro, sed cordato:

In Vitis PP. à Ioan. Moscho LX. c. 182.

Sancta Domina nostra, Dei genitrix, quia longum iter suscepturus sum, candela tua curam habe, eamq; ne extinguatur juxta propositum meum serva.

Hæc ubi dixerat, securus sui abibat: imo & securus de candela, perennique illius lumine, perenni dico, non naturæ vi, sed divina, sed virginea, quæ illi nunquam defuit. Etsi enim subinde ad duos trèsve menses abfuisset à cellula: etsi aliàs ad quinque, imo & sex, eóque amplius: semper tamen candelam suam & integram, & ardentem reperiebat: nec unquam illam vidit à seipsa extingui, quia scilicet nec ejus in Virginem pietas extinguebatur unquam. Hinc illam Diva Mater miraculo & probatam, & commendatam voluit. Uti & S. Hedwigis Poloniæ Ducissæ.

Erat huic exigua Divæ Virginis icuncula, cum qua & tumulari voluit, ut eam quam vivens manu gestarat, gestaret & mortua. Probata Deo, Divæque Matri ea in Virginem pietas etiam miraculo. Cùm enim à Clemente hujus nominis IV. in Divos esset relata, exhumari debuit, ut celebris ejus translatio institueretur, & tum aperto sepulchro primùm ex eo emersit mira odorum fragrantia; dein reliquo corpore in ossa, & cineres resoluto, soli digiti tres integri atque incorrupti visi sunt, quibus scilicet in sepulchrali urna Deiparæ icunculam attinuerat: adeo Superis etiam post fata, grata fuit ea in Dei Matrem religio, & qualis qualis digitorum operatio, ut hac quoque te gratum reddere studeas, benevole Lector; amat enim cœlum eam pietatem, quæ non in lingua; sed in manu est reposita: clariùs eloquar, eam quæ in facto est, non in verbo, & ventosa lingua: in hac enim otiosus est amor; in illo autem negotiosus; ubi enim amor est magna operatur.

Surius in Octob.

Sic operatus olim in Converso Fratre Cisterciensis Ordinis, qui adeo rudis, & ignarus erat, ut nihil omnino calleret præter *Ave Maria.* quod singulari piæ mentis affectu identidem repetebat. Et quidem inter sylvas, & silentia nemora, in quibus ex superiorum nutu, ac voluntate cùm esset ipsa nocte Virgini Annuntiatæ sacra, illa ipsa verba Angelicæ salutationis & voce expressit, & corde, idque quàm sæpissimè, quod dum facit aliis quidem in choro de more psallentibus, D. Bernardus cœlesti oraculo monitus, didicit, Fratrem illum obita ab aliis omnibus religiosæ pietatis officina, non æquasse modò, sed multis partibus superasse.

Henriquez l. 1 Ord. Cist. D. 4. c. 37.

Quod ipsum etiam suis omnibus post expletum nocturnum officium aperuit S. Præsul. Ut vel ex hoc uno discerent, quo apud Virginem & Deum ipsum in pretio esset vel unum *Ave Maria.* expressum tamen imo corde, & pio in Virginem amoris sensu, atque æstu. Uti etiam expressit ille ipse lacteus Doctor Bernardus, qui in Monasterio Affligemensi, cùm fortè ante Divæ Virginis statuam transiens dixisset Angelicùm illud *Ave Maria.* Illa ipsa magnæ Magnæ matris, magnæ Virginis statua sic respondit, sic clientem suum resalutavit: *Salve Bernarde*, non sine amabili audientium stupore, & miraculo.

Cap. 38.

Ita nimirum ipsi Virgini gratum illud *Ave*, ita Bernardo, ita nobis omnibus proficium, utpote cui redditur *Salve*, imo & ipsa salus æviterna.

Exemplo erit B. Arnardus Abbas Cisterciensis. Hic pro eo, quo erat in Virginem affectu, in ejus officio: non solum singulos versus; sed etiam singula verba ad Divam Matrem referebat: nec voce tantùm; sed & mente salutabat. Placuit magnæ Virgini, magnæ Matri illa salutatio, ægro quippe sese visendam obtulit; tum hæc ad illum paucis: Quia me plus cæteris invocasti, tibi faciam, quod nulli mortalium hactenus. *Tum eam amplexu dignata, atque osculo.* adjiciens & illud Virginea voce: Die ab hoc septimo te ad me, superósque evocabo.

Henriquez l. 1 Fascic. Cist. D. 22. c. 2.

Hîc expende, benevole Lector, Cœli favores, ac Virginis: castos amplexus, & oscula, atque ab his & illis gloriam ac beatitatem; in quam venit pius ille MARIÆ cliens, venietque quisquis ad illius aures orator venerit, atque exorator.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *De qua natus est IESVS.* vers.16.

CVR SACER HISTORICVS ALIA SILENTIO premit, & hoc altè prædicat de MARIA?



B avito regióque sanguine, à longa Patriarcharum serie, à parentis Joachimi & Annæ Matris quàm sanctissimæ virtute, ab immaculata Conceptione, ab ipso MARIÆ nomine, in quo uno expressa dignitas quædam, excellentia, majestas, à Virginis & Matris nexu supra naturæ leges & pacta, à Spiritus Sancti obumbratione, & alijs propè innumeris cœlestium decorum ornamentis peti potuit MARIÆ laus & commendatio. Cur igitur ex his non est petita? Cur ex hoc unico: *De qua natus est IESVS.* — *Ratio dubitandi.*

Tantumnè in eo momenti, dignitatis, gloriæ, majestatis? Tantumnè natum è Virgine JESUM? Tantumnè Dei Filium in Virgine hominem factum? Certè ex hoc quòd homo factus, non accessisse laudis aliquid est dicendum; sed decessisse.

Serm in Epiph. Scitè D. Bernardus de hoc ipso argumento: *Christus Dominus noster, qui à Patre coronatur semper coronâ gloriæ, à MARIA Virgine coronatus est coronâ infirmitatis & Humanitatis nostræ.*

Quod si corona illa infirmitatis fuit; Cur ab ea ducitur laus Virginis, excellentia, majestas unde in Filio infirmitas, in Deo Humanitas? Fatebor equidem si Filium, si Deum ipsum eâ coronâ redimitum attendam, abjectum ex illa video, non elatum; at si Virginem, si Matrem, ex illa vel maximè sentio eminere: non enim hîc specto quid Filio Mater contulerit; sed quid Filius Matri, & quidem is Filius.

Filio Mater dedit Diadema; sed carnis: ad quod spectandum invitat Sponsa Sponsi amantior, dum sic ad filias Sion:

Cant. c. 3. *Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua*: Diademate utique carnis, quod Filio Mater; at Filius Matri Diadema gloriæ ac divinæ cujusdam contulit majestatis. — *Responsio.*

Cùm Jobi filios una domus ruina oppressisset, eâ quoque, si non corpore, at animo propè obrutus pater exclamavit illicò: Quisquis is fuit, qui filios meos oppressit, *Spoliavit ille me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* — *Cap. 19. v. 20.*

At quæ illa gloria tua? Quæ corona, virorum optime? Audio, *Filii*, inquit; nam & hi gloria mea, corona mea: & verè, quia filii gloria sunt & corona patris ac matris. Quod etiam longa post sæcula, mœstosque soles agnoscent, & multo cum gemitu efferent sanctorum Innocentium matres, quæ, ut ait D. Augustinus, *Crines capitis dissipabant, quia ornamentum capitis*, hoc est, filios, infanda cæde ferroque *sublatos amittebant.* — *Serm. 1. de Innocent.*

Ita nimirum bonis illis matribus filii, Innocentes animulæ, erant pro capitis ornamento, pro corona ac diademate: quod non in humanis solùm, sed & in divinis locum aliqua ratione habere videtur, in quibus Æterno Patri Filius est quasi pro corona ac diademate, quo redimitur: absit injuria Verbo, absit censura gravior; authorem illius habeo Synesium, Hymno primo, in quo sic accinit:

Supersubstantialis verò fons.
Coronatur pulchritudine prolis.

Quod si cœlestis Pater à Filio quodammodo coronatur; ab eodem coronatur & Mater. Quod & lactea, id est suavi oratione, notavit etiam D. Bernardus, qui sic ad Virginem Dei Matrem:

Nescies virum; sed gignes Filium: Qualem Filium? Ubi hanc quæstionem intulit, sic respondet: *Filius paternæ Charitatis, erit corona tuæ Castitatis.* — *Serm. 3. super Missus.*

Ita quippè divino beneficio factum est, & factum quàm optimè. Pater Æternus dedit MARIÆ Filium, hoc est capitis sui coronam ac diadema, unáque gloriam suam quam nulli dedit, nec dabit unquam nisi MARIÆ; dixit enim aliquando, dicit modò, dicet & in ævum omne Deus Pater: *Gloriam meam*, id est Filium meum, *alteri non dabo, quàm MARIÆ: quia soli MARIÆ hoc privilegium debebatur*, ut scitè notat Richardus à S. Laurentio. — *Lib. 4. de Laud. Virg.*

Quantum porrò ab illo privilegio MARIÆ laudis accesserit, quantum & gloriæ, colliges ex eo, quod quantus sit Filius: Quantus enimvero Filius, quantus & Deus; Deus enim est, adeóque æternus, interminus, infinitus: quod si æternus, interminus, infinitus Filius; & gloria, quæ à Filio Matri accedit, ut intermina atque infinita sit, est necesse.

Inde factum ut Angelicus Doctor liberè pronuntiarit illud; tria esse in Orbe, creata quidem, adeóque in se finita; quæ tamen quamdam habent infinitatem.

Primum est Unio Hypostatica, quæ sive modus sit, sive Physica qualitas (de quo inter se disputant Theologi) est infinita in se; quia ens creatum, ens per participationem: adeóque & in se finitum; infinitum tamen quodammodo ratione termini, scilicet Personæ Verbi Divini, ad quam terminatur.

Alterum est lumen gloriæ, & visio beatifica: illud qualitas est intellectum creatum elevans: hæc vitalis actus ab intellectu manans, illíque inhærens, adeóque finita in se uti & finitum illud: at quia & lumen gloriæ, & ipsa beatifica visio Deum ut objectum infinitum respicit, in illudque tendit; infinitum quodammodo ut sit, est necesse.

Postremum est Maternitas Dei, quæ etsi etiam in se finita sit; quia tamen Deum aspicit, Deum spectat, ut à se per generationem emanantem; hinc & dignitatem quamdam sortitur infinitam.

Maximum & ineffabile est fuisse Matrem Dei, inquiebat Petrus Blesensis: & verò quidni maximum atque ineffabile à Filio maximo atque ineffabili, qui Parentis maximæ atque ineffabilis est veluti fructus? — *Serm. 28. de Assumpt.*

Omnis arbor ex fructu suo dignoscitur, & ex propria ubertate pensatur; ut palma ex dactilorum suavitate, vitis ex vini liquore, Oleaster ex olivæ pinguedine: Ita nimirum laus nati, Genitrici exuberat, & honorem puerperæ partus divinus accumulat, ut piè S. Amædeus Episcopus: quod si arbor ex fructu dignoscitur atque æstimatur; & MARIA ex Filio nosci debet atque æstimari. — *Hom. 1. de Laud. Virg.*

De Bethleem parva, imò minima in Principibus Juda, dixit olim D. Bernardus: *O Bethleem parva; sed jam magnificata à Domino: Magnificavit enim te qui factus est in te, parvus ex magno*: Si, inquam, adeo magnificata Bethleem, quia in ea natus est Universi Dominus; — *Serm. 1. in Vigil. Nat.*

Dominus; quidni & magnificata MARIA, *de qua natus est IESVS* Filius, Deus ipse.

Orat. 29. *Si Paulus Vas electionis cognominatus est, quòd Augustum Christi Nomen extulerit, quòd ubique terrarum id evulgarit; Quale Vas erit Dei Mater?* inquiebat S. Basilius Seleuciæ Episcopus: Vas scilicet quod non Christi Nomen, sed Christum ipsum portavit.

Hom. 1. de Anna. Si uterum Annæ, cùm Virginem MARIAM gestaret, *pretioso thesauro onustum* dixit D. Chrysostomus; Quid de MARIA JESUM & Deum utero gestantem? An non pretioso, cœlesti divinoque thesauro onustum esse dixisset? Dixisset enimverò; & cum religiosissima illa fœmina ad Christum etiamtum dixisset, *Beatus venter qui te portavit.* Luc. c. 11. v. 27.

Epist. 43. De Matre SS. juvenum Eusebii & Chromatii audacter extulit illud D. Hieronymus: *Verè venter aureus potest dici, quia tales vos genuit:* Quod si illi venter aureus, quia verè Filios genuit aureos; & Divinus MARIÆ venter, quæ Divinum Filium genuit.

Quod si Divinus inde MARIA venter, quid mirum est si sacer Historicus ad illius laudem & gloriam sempiternam id solùm annotet: *De qua natus est IESVS*: Hoc enim instar est omnium, quæ dici, quæ cogitari, quæ fingi possunt; Virginem scilicet esse, & unà Dei Matrem.

Ab hoc, ut rectè notat D. Bonaventura, *Antonomasticè opus Domini est MARIA*; quia ad MARIAM, ad Dei Matrem cætera opera vix Dei esse videntur, quia ad illam propè nihil sunt, & ea produxisse, propè nihil est fecisse: at fecisse Dei Matrem, hoc enim verò *opus est Domini.* In Specul. c. 7.

Hinc & ipsa à conceptu Filii & hoc extulit in suo Cantico: *Fecit mihi magna qui potens est*: Verè enim fecisse Dei Matrem, est quid magnum, quid cœleste, quid divinum fecisse.

****

DE SANCTO MATTHÆO APOSTOLO ET EVANGELISTA.



SANCTI hujus Apostoli & Evangelistæ laus & gloria in tribus potissimùm emicat.

Primùm in ipso nomine: Deinde in scriptis, in quibus & vivere, & spirare solet author etiam post fata: Denique in vita, & rebus præclarè gestis, quæ & nomini dant lucem, & scriptis authoritatem; vita enim velut orationis sigillum est.

Itaque primò videndum quid nominis sit MATTHÆUS; de eo enim non una est opinio, sed alia atque alia. D. Matthæi nomen.

Origeni & Isidoro MATTHÆVS hebraïcè idem est quod *Donatus.* Lib. 7. Etymolog. c. 9.

Pagnino idem est ac *Donum*: *Matthan* enim est *Donum*. Donum utique cœleste MATTHÆVS.

Anastasio Antiocheno MATTHÆVS dicitur & est *Mandatum altissimi.* Lib. 1. Hex. Quæ etymologia si vera est, consonat insigni ipsius obedientiæ, quâ ad illud Christi vocantis, *Sequere me*, ceu altissimi mandato, illicò paruit.

A nomine transeo ad illius scripta, seu Evangelium; cujus inscriptio Syriaca sic habet: *In virtute Domini Deiq; nostri IESCHVA Christi, incipimus scribere librum sacro-sancti Evangelii, primumq; Evangelium, Mattai præconium.* D. Matthæi Evang.

Iure meritissimo dicitur *Mattai*, seu Matthæi *præconium*; quod scilicet eximium illius in Christum amorem, & singularem in posteros omnes charitatem prædicet ac testetur.

Certè illo impulsus, calamum duxit in Christi gesta: quod ipsum sic aperuit aliquando D. Brigittæ ad sepulchrum ejus in urbe Malphi oranti.

Cùm illud (Evangelium) *scriberem, tantus Divinæ inflammationis ardor perseverabat mecum, quòd si tacere voluissem, nullatenus præ ardore intenso potuissem.* Lib. 1. Revel. c. 129. Ecce amoris, ecce ardoris in Apostolo incendia.

Vis etiam caritatis in proximum? In hunc, cùm in Palæstina sæviret immanis persecutio, à qua huc & illuc dispergi & à Pastore, ceu oves errantes, abire necessum erat; tum à Iudæis, tum ab Apostolis rogatus est D. MATTHÆVS, ut quæ de Christi vita, miraculis, ac rebus Divinè gestis, & auribus & oculis fidelibus usurparat ipse, certa Fide exscriberet. Paruit ille, & Evangelium primus omnium conscripsit;

conſcripſit; quod D. Bartholomæus exſcriptum ad ipſos Indos extulit, & D. Barnabas ſua manu exaratum in Cyprum aſportavit; quodque ad pectus ejuſdem Apoſtoli Deo revelante inventum injuria temporum intercidit cum incredibili jactura: quam ut reſarciret Nicolaus hujus nominis V. Pontif. Max. quinque ducatorum millia ei adpromiſit, qui Evangelium Matthæi Hebraïcum ad ſe deferret; tanto in pretio fuit illud apud Summum Pontificem, tanto etiam apud Apoſtolos.

Præf. in Matth. Certè illud ex Hebræo in Græcum verſum eſſe à ſancto Iacobo Apoſtolo vult D. Athanaſius: alii etiam à D. Barnaba Apoſtolo: alii denique à ſanctis Luca & Paulo etiam Græcæ linguæ redditum: eo ſcilicet apud omnes erat in pretio. *Serm. de S. Matthæo.* Et rectè: quia, ut ait B. Petrus Damianus: *Inter omnes planè Sanctos primus fuit, qui cœleſti gloriæ de triumphato mundo victoriæ titulos intulit*; ut proinde *nemo poſt Chriſtum ſit cui magis debeat ſancta univerſalis Eccleſia.*

D. Matthæi breve elogium. Et hæc de ſcriptis: De laboribus ejus Apoſtolicis, de vitæ curſu, de morte fortiter obita Virginitatis in Iphigenia tuendæ causâ, dicam in Quæſtionibus. Hic tribus tantùm verbis: *Evangeliſta fuit, Æthiopiæ Apoſtolus, & Virginitatis victima.*

Venio ad Sanctos Doctores, qui nobis præludere ſolent.

D. Bonaventura diſcedit ab Evangelio hujus feſti, & accedit ad locum illum *Cap. 1.* Apocalypſis: *Converſus ſum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum.*

Cap. 9. At D. Thomas examinat illa MATTHÆI verba: *Vidit Deus hominem ſedentem in telonio*: Ex hoc & illo pauca: & quidem primùm

EX D. THOMA.

TRia hîc notat Angelicus Doctor:

Primum eſt, *magna Chriſti benignitas*; ea explicatur in collatis D. MATTHÆO quinque beneficiis: 1. *In ejus Iuſtificatione.* 2. *In Vocatione ad Apoſtolatatum.* 3. *In familiari cum eo commeſtione.* 4. *In Phariſæorum confutatione.* 5. *In ipſius Miſericordiæ commendatione.*

Secundum eſt D. MATTHÆI *Sanctitas*: & hæc petitur ex quinque, quæ ipſemet annotavit: 1. *In omnium deſertione: Relictis omnibus.* 2. *In veloci obedientia: Surgens.* 3. *In Chriſti imitatione: Secutus eſt eum.* 4. *In hoſpitalitatis exhibitione: Fecit enim ei convivium magnum.* 5. *In omnium peccatorum ſuorum manifeſtatione: Publicanus nomine.*

Tertium eſt *magna Phariſæorum cæcitas*: ea dignoſcitur ex quinque: 1. *Quòd peccata ſua, licèt gravia, non viderent.* 2. *Quòd aliorum minus gravia judicarent.* 3. *Quòd quem laudare debuerant, vituperarent.* 4. *Quòd inviderent unde potiùs deberent gaudere & gratulari.* 5. *Quòd excæcarentur unde & illuminari debuiſſent.*

EX D. BONAVENTURA.

AGit S. Doctor de converſione S. MATTHÆI: quam ut ſub oculos ponat, duo ſtatuit:

Primum eſt, quòd peccatum ſit averſio ab incommutabili bono, & converſio ad commutabile bonum.

Secundum, quod per pœnitentiam è contrario fiat: converſio ad incommutabile bonum, & averſio à commutabili bono.

Et hanc oſtendit in MATTHÆO, qui Publicanus cùm eſſet, & à Deo averſus erat, & converſus ad mundum, ad pecuniam, ad infame lucrum; ideóque neceſſe habuit & ad Deum converti, & averti à mundo: quod & fecit; ideóque Chriſto Salvatori quàm optimo dicere potuit.

Apoc. c. 1. *Converſus ſum*: corde ſcilicet: & en prima converſio: *Vt viderem*, id eſt, audirem vocem Chriſti me vocantis, ut audirem, & obaudirem: & ecce ſecunda converſio quæ eſt *in opere*: Ex hâc & illa fit perfecta converſio, ad quam movere nos debent quatuor:

Primum eſt *Culpa*, in quam incidimus, & quæ labes eſt; & animæ macula: Ab hac ut te illicò eripias,

Attende primò: ſi veſte pulchra ornatus in lutum incidas, ſtatim inde exilis. Da animæ quod veſti: culpa lutum eſt: in hoc incidit anima, educatur illicò.

Attende ſecundò: ſi mortalis Regis gratia excidiſti, ad eam quàm primùm redire ſatagis: quod Regi das, hoc Deo.

Attende tertiò: ſi ſponſa à ſponſo in adulterio deprehenſa eſt, ſtatim ad virum ſupplex revertitur: Et tu, ô anima, ad Deum, ceu ſponſum, à quo in adulterio, id eſt peccato, deprehenſa es, revertere.

Secundum eſt *Gratia*, quam peccando amiſimus. Perdis frumentum in horreis repoſitum, & doles; vinum è vaſe effunditur, & gemis; aſinum, bovem, equum amittis, & conquereris; theſaurum arca ſecretiore reconditum neſcioquis latrunculus eripit, & indignaris: gratia frumento potior, vino generoſior, aſino, bove, equo utilior, theſauro pretioſior; nec tamen de amiſſa doles, gemis, quereris, indignaris: dolebis enimverò, gemes, querêris, indignaberis ſi apud te gratia juſto ſit in pretio.

Tertium eſt *Pœna*, quam peccando incurrimus: & hanc non timemus, non fugimus. Timet agnus lupum, & fugit; mus felem, & ſe abſcondit; cervus urſum; aquilam falco; & ille antro ſuo ſe continet, & hic non evolat: at peccatum lupo, fele, urſo, aquila, timendum eſt magis.

Judicem reus, latro ſuſpendium timet & perhorreſcit; & paratas ſibi æternum pœnas non timeat peccator? Non perhorreſcat?

Quartum est *Gloria*, qua peccando excidimus. Brevioris ævi regno excidisti, & ingemiscis; summis opibus exutus es, & nudus tremis; deliciis ac voluptatibus, quibus diffluebas totus, fortè privatus es, & illacrymaris: & Cœli gloria Regnum est, & quidem æternum, opes affert, & immensas quidem; voluptates ac delicias præbet, & quidẽ sine nausea, sine fine: nec tamen de amissa gemis, tremis, lacrymaris.

Ut porrò gemas, contremiscas, illacrymeris, & sic à Deo aversus ad eum convertaris; hæc quatuor in oculis hebe: habere certè vult D. Bernardus, qui hæc olim ad suos, modò ad te.

Considera unde venis, & erubesce; ubi sis, & ingemisce; quò vadis,& contremisce; ad quid vadas & concupisce. *Serm. de primis, mediis, novissimis.*

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm transiret inde IESVS, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me.* Matth. cap. 9. v. 7.

QVÆ SINT POTISSIMÆ CIRCVMSTANTIÆ vocationis D. MATTHÆI *ad Apostolatum?*

Circumstantiæ.

Serm. 10.



NTER circumstantias recenseri possunt ac debent, Primum quis vocet? Deinde quem? Unde? Quomodo? Quo? Quando? De his aureè Divus Chrysologus; è quo petemus:

I. Quis vocet?

Primum itaque est, Quis vocet? Deus, qui pro ea, qua est in misellos indulgentia, *inclinat se homini, conjacet peccatori, esurit pœnitentiam, sitit reditum peccatorum.*

Christus est, in quo *venit ad humanitatem Divinitas, ut ad Divinitatem veniret humanitas.*

Medicus est, qui *ad languentes venit, ut reficeret convescendo defessos.*

Pastor est, & quidem *bonus, qui inclinavit humeros suos ut ovem perditam salutares reportaret ad caulas.*

Iudex est, qui *ad reorum prandium venit, ut humanitas præveniret reatus sententiam*: & hic est qui vocat.

II. Quem vocet? *Serm. 28.*

Sed quem? MATTHÆUM, eumque *Publicanum*, *quem divitiæ sic cupiditatis publicabant magistrum, fornace avaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, ut levari ad innocentiam, ad Iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret.*

III. Quò vocet?

Et tamen ut is esset, *ad sua vocavit Christus*, *elegit ad Divina*: & sic quidem elegit, *ut daret fraudulento fidem, venali gratiam, cupiditatis magistro officium largitatis, doctori fœnoris magisterium sanctitatis, Publicano sæculi cœleste secretum.*

Ecce amabilem, ecce admirandam Servatoris optimi indulgentiam, qui talem ad se evocat.

IV. Unde vocet?

Sed unde? *Ex usura*, quæ *vastat terram*: & tamen ex hac *tollitur ad Cœlum; & hanc quam detestantur homines Deitas advocat.* Sed unde? *De Telonio divitem, de usuris locupletem, lucris sæculi onustum in Apostolatum Christus elegit*; Contrà quàm aliàs fecisse visus; nam *ad virtutis officium pauperes elegit.* Ita paulò antè *electi Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, pauperes censu, loco humiles, viles arte, obscuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, injuriis dati.*

Ita nimirum in Apostolis *amica virtutum, & Deo chara, electa paupertas.* Cur non eadem in MATTHÆO?

Hîc divini consilii, & admirabilis illius Providentiæ reddenda hæc ratio: quòd *Deus suscipit pauperes, sed divites non repellit. habentes suscipit, & ad se attrahit non habentes.*

Ita Abraham divitem, divitem Jobum, Davidem divitem attraxit: verùm obtrudet unus aliquis & Abrahamum & Jobum & Davidem sic *possedisse divitias, ut à divitiis non possiderentur; habuisse eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium*, Ita nimirum *Sanctis* illis *innocentes fuere divitiæ; utpote à Deo datæ, non turpiter acquisitæ; concessæ ad usum vitæ, non ad mortis usuram.* Secus omninò agebatur in MATTHÆO, ut superiùs ostendimus. Cur igitur etiam hic ad Apostolatum evocatus? *Serm. 30.*

Juvat hîc agnoscere, hic amare cœlestem Medicum, qui ad ægrum venit; qui vocare venit non justos, sed peccatores. Unde, benevole Lector, *si vis in te curam, agnosce languorem; si cupis misericordiam, confitere peccatum. Christus* quippe *misericordiam vult, & non sacrificium: quod enim sacrificium quæreret, qui ut te quæreret, sacrificium factus est ipse.*

Quomodo vocet?

Sed ne longiùs: Vidimus quem & unde, & quò vocarit; attendamus quo modo: Modus autem spectari potest tum in Christo, tum in MATTHÆO.

In Christo primùm spectat D. Chrysologus duas causas, duoque mysteria, quæ in eo transitu latere videntur.

Ex parte Christi.

Primum est, ut eo transitu ostenderet Servator optimus, se à Judæis ad gentes, à Synagoga ad Ecclesiam, à via hac mortali ad patriam transire. quod sic explicat:

Serm 30.

Cùm transiret inde IESVS; benè transiret inde: transibat Iudæam, ut veniret ad Gentes; præteribat Synagogam, ut in Ecclesia permaneret; prætergrediebatur carnis patriam, ut Deitatis sua remearet ad sedem. In Christo quippe *transitoria est carnis injuria, in quo Divinitatis honor est sempiternus.*

Et hic transitus ad Christum attinet, & viam aperit Gentium vocationi, ipsiusque Salvatoris à terra in Cœlos ascensioni.

Alter verò MATTHÆUM respicit, servitque mysterio conversionis illius, cùm è Publicano factus est Apostolus, & à statu peccati transiit ad statum gratiæ, à divitiis malè partis ad divitem in Christo paupertatem, quem transitum sic exponit S. Præsul;

Serm. 28.

Cùm transiret inde IESVS; non dixit cùm staret ibi: transivit enim, & pertransivit inde IESVS, ut Matthæus remaneret ibi: transivit inde IESVS, ne Matthæus ibi taliter permaneret; ne scilicet in telonio suo, in usuris suis: ideo transivit JESUS, ut ad alia studia, eáque meliora, transiret MATTHÆUS.

Transivit ergo JESUS, & *vidit hominem*: Hæc est alia circumstantia, in qua tria similiter expendit D. Chrysologus: Unum quod Christus pro ea, qua erat intentione longè purissima hominem quæreret; non autem, quæ hominis sunt. sic enim ait:

Serm. 28. *Vidit hominem, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat.* Et hoc primum.

Secundum, quod miserationis est *Vidit, hominem; non dixit, vidit Matthæum; quia in Matthæo hominem liberarat, hoc est homines, quos pecunia possidebat:* & hoc quàm optimè; quia *servire Deo nequeunt pecuniæ servientes*: & hinc

Ternum, quod indulgentiæ fuit: *Vidit hominem; Vidit*, inquam, *plus divinæ oculis, quàm humanis.*

Vidit enim *hominem, ut peccata hominis non videret: Vidit opus suum, ut despiceret opera peccatorum: Vidit illum Deus, ut ille videret Deum: Vidit illum Christus, ut ille pecuniæ latebras amplius no videret.*

Ex parte Matthæi. Ecce quæ MATTHÆO, quæ Publicano, quæ peccatori bona vel ab uno Christi aspectu: ab hoc quippe ductum initium Divinæ vocationis & Apostolatus: Sed institutum prosequamur.

Vidit hominem; sed *sedentem*: in quo corporis situ

Serm. 29. gravis MATTHÆI infirmitas denotatur: *Sedebat* enim *quia stare non poterat, utpotè pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incurvus.*

Nec mirum; quia *aurum natura grave, gravius fit avaritiâ: hinc est quod plus habentem deprimit, quàm ferentem; & vehementius aggravat corda, quàm corpora.* Adeò immane est illius pondus, quo qui gravatur, stare non potest, imò nec surgere.

Et hinc vidit illum Christus sedentem, quiâ *pressus*

Serm. 30. *cupiditatis pondere surgere non valebat*: quomodo enim surgeret qui non tantùm gravatur eo quod habet, sed & illo quod cupit: cujus sanè cupiditatis onus est longè gravissimum; quia cupiditas modum nescit, ignorat finem, terminum nec habet, nec verò etiam habere potest: ut porrò haberet aliquando, dixit illi JESUS:

Serm. 28. *Sequere me, hoc est depone pondera, disrumpe vincula, solve laqueos, & me sequere; id est quære te, perde usuram ut te valeas invenire.*

Et hoc Christum secututo primò necessarium est, ut peccatorum pondera deponat, vincula cupiditatum disrumpat, laqueos solvat occasionum: ubi hæc feecrit audiet rursum à Christo fortunatum illud:

Serm 30. *Sequere me, hoc est, ut sequendo me, repares quod consequendo pecuniam, perdidisti.* Et hoc secundum est; quisquis enim vocantem Christum sequitur, jacturam gratiæ & bonorum, quam fecerat, reparat etiam cum fœnore: ubi deinde repararit, iterum audit benè auspicatum illud:

Serm. 29. *Sequere me, hoc est, me sequere de supernis ad superna tendentem; & non aurum de inferis ad inferna mergentem.* Et hoc Tertium est, quod sequenti Christum conceditur beneficium: ut de supernis ad superna tendat magnis passibus.

Et hoc in MATTHÆO factum amamus ac demi-

Serm. 30. ramur: Dominus enim duabus illis vocibus, *Sequere me, Publicanum sic in Apostolum commutavit, ut qui erat*

V. *fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor: & de impietatis*

Quò vocet? *schola, ad pietatis Magisterium perveniret; fieretque Doctor misericordiæ, qui avaritiæ fuerat institutor.*

Ecce quò Publicanum vocavit Christus, & quæ ab illa vocatione metamorphosis.

Publicanus erat, hoc est infami lucro, immanique usuræ addictus; & ecce mox Apostolus, hoc est, à Superis missus, Cœli nuntius, Evangelii præco, vox Verbi, tuba Dei, Ecclesiæ Princeps, Lux mundi, Dux animarum.

Fraudator erat, & quidem pecuniæ, hoc est auri, argentique è terræ visceribus ad mortalium perniciem erui; & en illicò *Distributor gratiæ*, hoc est cœlestis gazæ, divinorumque thesaurorum: Gratiæ dico, quæ *Cœli don*, quæ delibata quædam Divinæ Essentiæ portio.

Erat in schola impietatis, non jam discipulus, sed Magister, qui alios ad impia mundi dogmata formaret, qui aliena rapere doceret, non tam verbo (quod perniciosum) sed exemplo (quod perniciosius est) & ecce ad duas Christi voces, pervenit *ad magisterium pietatis*, ut hanc non in se tantùm, sed ut in aliis quasi Discipulis suis imprimeret, factus ipse Magister antequam Discipulus.

Telonio vacarat, usuris, avaritiæ malus institutor, ut qui ad illam alios institueret, instrueretque, sibi liberalis & prodigus, egenis parcus & sordidus; & ecce ad has Christi voces, *Sequere me*, in pauperes redditur munificus, in afflictos misericors, benficus in omnes, in misericordiæ schola Doctor Laureatus.

Tantùm interest qui Dominum vocantem audias, qui sequaris: & verò audivit ac secutus est MATTHÆUS.

Surgens enim *secutus est eum*: nulla hîc mora, tergiversatio nulla; ut audit, surgit: & hoc primum est, quod ut inquit Chrysologus, fecit hic *generosus animus.* Surrexit à Telonio, in quo abjectus ac prostratus malè sederat, & propè jacuerat: Surrexit à malis artibus, ab usuris, ab insana habendi libidine; & ea, *quæ magna putarat, quasi nulla contempsit; & qui lucra præsentia concupierat, raptus est ad divina.* Serm. 29.

Christum enim secutus est: & hoc alterum est, quod dedit *generosus animus*, quod vocanti dedit MATTHÆUS, qui, ut eleganter & ingeniosè D. Chrysologus, *Non substrahitur operi; sed mutatur: & telonium suscipit magis, quàm relinquit: ut mansura Deo, non homini peritura conquirat.*

Ubi sic malo operi subtractus est MATTHÆUS, ubi mutatus in melius, benefactori suo convivium instruxit, in quo & discubuit Christus; qui ut advertit D. Chrysologus, *Plus discumbebat in Matthæi mente, quam sigmate; & epulabatur non cibis, sed reditu peccatoris*: Et hoc eo consilio ut etiam alios *discumbentes revocaret convivio, collegio, humanitatis affectu, & dulcissima sui confabulatione.*

Sed, ô grande malum invidia! ô insanas Pharisæorum oblocutiones, qui hæc Discipulis Christi importunè obtrudunt; *quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester?* Matth. c. 9.

Hoc nimirum Pharisæus detestatur & arguit, qui prandium Dominicum putat non virtutis esse; sed ventris: non spiritus; sed carnis: non Divinæ bonitatis; sed voluptatis humanæ: terreni luxus, non gratiæ cœlestis.

Sic nempè *sic se videt, qui Deum non videt*; sic perperàm sentit, qui cum Deo non sentit: Quisquis is est, pro se, pro Publicano, pro peccatoribus Christum orantem audiat, atque exorantem: *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus.* Supra.

E cœlo in terras Medicus veni, quid mirum si cum malè habentibus agam, si ægris convivam atque conjaceam, qui illos sanaturus veni: Hi quippe Medico egent, non benè sani.

Non veni vocare justos; sed peccatores: Quid ergo mirum, si inter hos sim medius?

Hæc olim ad Pharisæos Christus, qui *ad Matthæum venerat, ut avaritiæ curaret vulnera, ut saniem sanaret usuræ.* Serm. 28.

Ad peccatores autem, non ut cum peccatoribus commaneret; sed ut eorum peccata deleret: quod misericordiæ fuit; quam scilicet voluit Servator optimus, & non sacrificium: *Voluit*, inquam, *misericordiam, ut quod Matthæum, quod peccator omnis, tulerat per miseriam, in misericordias prerogaret.*

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Vidit hominem.* Matth. cap. 9. vers. 9.

QVO OCVLO? ET QVÆ VIS IN oculo CHRISTI?



Quid oculus?

SPECULUM oculus est artis: & oculus speculum est naturæ, in quo nescio quid elucet sidereum, ac cœleste; ut meritò dici posset io homine id esse oculum, quod in cœlo Stellæ; imò Sol ipse.

Ita microcosmi Sol erit oculus, quod in eò fulgor sit, & radii quidam æmuli sideribus ipsique Soli.

Qui oculi Augusti?

De Cæsare Augusto scribit Justinus, eum oculis fuisse præditum, non fulgentibus modò; sed & fulgurantibus: en simul in oculis Augusti fulgor, & fulgur; hoc ad terrorem, ille ad levamen animorum, utrumque ad quandam majestatem Augusto dignam, de quo sic Suetonius io ejus vita:

Oculos habuit claros & nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris, gaudebatq; si quis sibi contuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret.

Et ita gavisus dicitur aliquando: cùm enim miles unus aliquis eum intuitus, illicò oculos demisisset, rogatus ab Augusto cur id fecisset? Respondit, quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum: an id ex veritate ab illo dictum, an studio adulanonis, hîc non disputo: ut ut sit de Augusto, de Christi Domini oculis illud ex vero pronunnavit D. Hieronymus: *Igneum quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis Majestas lucebat in facie.*

Qui oculi Christi? In cap. 21. Matth.

Scitè igneum quiddam, quod terreret improbos; sidereum autem quod alliceret probos, & ad se pertraheret etiam aversos.

Ita hîc Publicanum à se, à Cœlo Deóque aversum attraxit, vel ipso oculorum conjectu: bis enim primò captus, deiode voce.

Ita postea & Petrum, trina negatione à Magistro quàm optimo alienissimum, ad se traxit: *Respexit enim Dominus Petrum, & conversus, flevit amarè.*

Ecce ut in oculis Christi igneum quiddam, quod terrorem; & sidereum, quod amorem conciliet: ecce quæ vis io illius oculis, vis quæ avertat à malo, & ad bonum convertat; sic ab illo MATTHÆUM avertit, & ad hoc convertit.

Quid viderunt? Serm. 28.

Vidit enim illum: sed quo oculo? Hoc est caput primæ quæstionis, io qua sic D. Chrysologus, *Vidit plus Divinus oculus, quàm humanus.*

Hominem, & quomodo hominem?

Ut io Christo duæ eraot naturæ, una Divina, Humana altera; sic & divinæ mentis unus erat oculus intelligentiaque una; & duo pariter oculi corporis; bis *vidit hominem*, sed extrinsecus tantùm; illo autem intrinsecus: pervasit enim interiora omnia altiore illa ac divina intelligentiæ vi: quid autem hac viderit attendamus.

Chrysol. Serm. 28.

I. *Explicatio.*

Vidit hominem, inquit Evangelistà, *non dixit, vidit Matthæum*; non enim spectabat Matthæum, sed in Matthæo humanam naturam, quam liberaturus venerat: erat illa iofame peccati & avaritiæ mancipium; nec enim pecuniam ipsa, sed pecunia ipsam possidebat; nec servire Deo poterat, quæ pecuniæ serviebat. Ne porrò diutiùs serviret, *Vidit hominem* JESUS; sed *plus divinus oculus, quàm humanus*: His enim MATTHÆUM vidit; illis autem hominem.

Homioem dico; non verò quæ hominis sunt: hæc enim Deus non atendit.

Avita majorum & generis nobilitas, opes, divitiæ, sacculi auro argentoque pleni, externa oris species ac pulchritudo, vestium ornatus ac luxus non videt, non spectat, oon æstimat divious oculus; sed hominem, eumque nudum, hoc est humanam naturam: hanc videt, hanc spectat, hanc æstimat: huic oculos affectusque inclinat suos: Et ita inclinavit in MATTHÆO, quem ut vidit illicò ait, *Veni, sequere me: non dixit affer ad me; quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat.* *Serm. 28.*

Secus omninò faciunt malè oculati mortales: hi enim & in Matthæo, & in aliis, non tam Matthæum, quàm Matthæi sacculos videot, amant, requirunt.

Ita è Magistris, è Doctoribus plerique fortunas vident, & opulentiores probè erudire sataguot, non tam illorum causâ, quàm sui.

Ita judices, & divitum causas & patrocinium suscipiunt: si quis autem pauperculus, si quis orphanus, si quæ vidua egentior accesserit; non sunt domi.

Ita hujus sæculi amici, non tam amicorum bona spectant, quàm sua; & si illis deferre obsequia videntur, non tam illis, quàm sibi deferunt: *Amico agro aliquis assidet*, ioquit Seneca, *probamus: at si hoc hæreditatis causa facit, vultur est; cadaver expectat.* *Epist. 96.*

Et ita vultures plerique mortalium; oculis vulturis aspiciunt, & ore cadaver expectant quod vorent.

Næ illi mali sunt: *Malus enim est vocandus qui sua causa est bonus.* *Publ. Minut.*

Ne ex eo geoeresis, mi Lector, vide ut oculus tuus simplex sit: erit autem si unum hominem videat; non quæ hominis sunt, uti vidit Christus. *Luc. c. 11. v. 34.*

Vidit ille *hominem, ut peccata hominis non videret*, inquit D. Chrysologus. *Serm. 30.*

II. *Explicatio.*

Pro ea, qua in misellos peccatores est iodulgentia, eos non aspicit ut severus judex, sed ut pater; imò ut blanda mater, quæ pro nimia quadam in filium indulgentia, nævos in illo & maculas non videt; sed quid in eo pulchellum est ac nitens, illud aspicit: Quid facias? Pater est, aut mater, quæ filii peccata, aut non videt, aut si videt, dissimulat; non autem Judex qui videt ut puniat.

Diceres hîc Christum in MATTHÆO judicis partes deposuisse, & induisse patris, imò & matris: *Vidit* enim in MATTHÆO *hominem, ut peccata hominis non videret.*

Vidit deinde *hominem*, id est, *vidit opus suum, ut despiceret opera peccatorum.* *Chrysol.*

III. *Explicatio.*

Erat in MATTHÆO opus Dei, ceu summi Artificis; erat natura ad illius imaginem efformata: & hanc vidit Christus, velut opus suum: Erant etiam opera peccatorum, auri sitis & fames immodica, avaritiæ malum, usuræ, doli & fraudes: sed hæc opera despicit IESUS, ut aspiciat opus suum. Crederes ad opera peccatorum cæcum esse, ad opus suum probè oculatum: ita suo operi connivet mens suprema, id est oculus ille Divinus; ad alia opera, quæ peccatorum sunt, quasi clauditur: & hoc miserentis fuit. Addit aliud S. Chrysologus, quod fuit benè facientis; sic enim ait:

Vt supra. IV. Explicatio. *Vidit illum Deus, ut ille videret Deum*: nec enim videre poterat ad telonium sedens, abjectusque ad infame lucrum; abjectus, inquam, ab ipso auri pondere, quod nec oculos, nec mentem in Deum erigi patitur: Quomodo enim pateretur?

Serm. 29. *Aurum natura grave, gravius fit avaritia; nascitur in terra; & dum suam semper petit ad naturam, cœlestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus, alta mentium semper in terrena demergit.*

Et ita demerserat in MATTHÆO, qui proinde ad Deum assurgere, & Deum videre non poterat: Ut porrò videret, vidit illum Deus: Ecce quod & quantum illi bonum ab unico videre Dei.

Inter videre hominum & Dei, plurimum interest; ut experientia docebit.

Videt te homo; & si divitem atque opulentum, si splendidè ornatum, si gemmis auróque nitentem, videt, unà etiam invidet.

Videt te homo; & si pauperculum, misellum, pannis fœdè obsitum, ac pœnè nudum videt, illicò despicit.

Videt te procax fœmina; & tot ex oculis amoris impuri sagittas, tot tela emittit, quot radios: ecce, quæ malorum monstra vel ab uno videre hominis.

Contrà verò, quæ cœlestium honorum affluentia, quæ lux oculis, quis animo splendor, ab oculis Dei, aut Christi.

Ioan. c. 1. v. 50. Vidit hic Nathanaelem sub ficu: & vidisse ad vocationem, ad fidem fuit satis; sic enim ad illum Christus: *Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis.*

Vidit & Petrum jam à trina negatione reum; vidit, & ad se convertit, ad pœnitentiam flexit, ad suspiria, ad lacrymas movit.

Vidit & hominem sedentem in telonio; & inde ad Apostolatus fastigium evocavit.

Lib. 8. Mor. c. 8. Hic nimirum est visus hominis, de quo magnificè D. Gregorius Pont. Max. *Visus hominis, est misericordia Redemptoris, quæ insensibilitatis nostræ duritiam cùm respicit, emollit.*

Cant. c. 4. v. 15. Ita nimirum *oculi tui*, ô Christe, ô Servator optimè, *oculi columbarum.*

Sint hi amoris & miserationis symbolum; quòd sint veluti specula quædam pellucida atque animata, in quibus tam clarè & perspicuè sese mutuo repræsentant columbæ; ut non columbæ species, sed ipsa columba, quanta quanta est, esse videatur; & hinc ut se aspiciunt, etiam sese osculantur innocentes columbæ.

Quod natura oculis dedit columbæ; hoc amor & miseratio Christi oculis: hi enim ut misellos mortales aspiciunt, quasi specula quædam diviniora illorum miserias dum ad animum referunt; aut levant, aut omninò tollunt.

Chrysol. Serm. 30. Quod & in MATTHÆO factum amamus ac demiramur: *Sedebat ille in Telonio; corpore & animo captivus; & avaritia videbatur in crimine*: & in eo, nec se, nec Deum videbat. *Vidit illum Deus, ut ille videret Deum*; & certè vidit, fide vidit atque suspexit: Vidit deinde etiam seipsum, despexit, damnavitque: Et hoc alterum fuit à Divinis oculis collatum illi beneficium.

Vidit enim illum Christus, ut ille pecuniæ latebras ampliùs non videret.

Meritò S. Præsul pecuniæ latebras stylo aperit: ijs enim quisquis abditur, nec se, nec naturam ipsam, quam induit, videt: nec creaturas, nec ipsum creatorem agnoscit. V. Explicatio.

Exempla si voles, pete jam inde à retrò acta antiquitate.

Petes autem ab innocentis Josephi fratribus, petes à populo Judaico, petes à Juda proditore, petes à Publicano.

De primis sic ore aureo Præsul Ravennas: *Aurum Patriarcharum stirpem, progeniem sanctam, tantam germanitatis singularem coronam adeo corrupit, & totam reddidit pietatis exortem, ut Ioseph Ægyptiis, fratrem barbaris, innocentem noxiis, ingenuitatem traderent servituti.* Serm. 29.

Sic nempè siccavit mentes, sic corda depressit, sic quod in eis fuerat humani sensus ferinam in rabiem commutavit, ut non offensam Dei, non sancti Patris dolorem, non proprii sanguinis sensum meminisse permiserit.

Ecce pecuniæ latebras, ecce avaritiæ barathrum, in quod præcipites ivère Josephi fratres: nimirum *nihil auro gravius, quod cùm mores hominum perdiderit, perdit & naturam.*

Vis nosce quomodo etiam & Deum? *Aurum Iudaicum populum sic suo captivavit aspectu, vicit illecebris, specie decepit, ut hoc esse Deum crederent; & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum denegarent: sic convertit homines in jumenta, ut vituli caput suum crederent, & omnium rerum capiti caput pecudis anteferrent.*

Ecce pecuniæ latebras, profundamque avaritiæ noctem; qua qui abditur, Deum non videt.

Vis nosce quomodo nec Redemptorem? Attende quòd illa ipsa avaritia nummorumque cupido, *Iudam fecit esse proditorem, ut hominem cogeret Deum negare, vendere germanum sui sanguinis, distrahere conditorem, & ipsum sanguinem taxare pretio, quem sponte Dominus erat nostrûm largiturus in pretium.*

Eccè quò cogit auri dira fames; ecce in quod vitiorum barathrum demergit avaritia; cujus latebris quisquis est iosepultus, nec se, nec Deum videt. Ita nec vidit MATTHÆUS, dum in illis fuit: at ubi vidit eum Dominus, effecit ut pecuniæ latebras ampliùs non videret; & qui Publicanus erat, Apostolus esset; *& pecuniæ fraudator, gratiæ distributor; & Doctor misericordiæ, qui avaritiæ fuerat institutor.* Serm. 30.

Et hoc ab uno oculorum conjectu, ab uno aspectu mitissimi Salvatoris: tanta vis fuit in illius oculo. O si te eodem oculo aspiceret, quisquis es peccator, emergeres: Enimverò emergeres è peccati latebris, & ad lucem Fidei gratiæque aspirares.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Sequere me: & surgens secutus est eum.* V. 9.

QUÆ IN CHRISTO VIS VOCATIONIS, & quæ in MATTHÆO *obedientiæ promptitudo?*



Vis vocationis. DIVUS Chrysologus, quo authore hic utor, vim divinæ vocationis è duobus capitibus ostendit:

Primum, quòd duabus voculis tantùm usus sit Christus: *Sequere me.*

Alterum, quòd illis Publicanum in Apostolum commutarit.

Serm. 28. *Publicanum, inquit, quem divitiæ sic cupiditatis publicabant Magistrum, fornace avaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, saculorum ponderibus sic premebant,*

bant, ut levari ad innocentiam, ad juſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret: unde & ſedere ejus, erat jam ſubſidere; non ſedere.

Et tamen *hunc ad ſua vocavit Chriſtus. Hunc elegit ag Divina*: Et quidem voculis duabus; non fuſa oratione, non longis verborum ambagibus, non etiam miraculis, quæ ferirent oculos, & animum flecterent. Et verò fecit illud: *Sequere me.* Tanta vis in vocante fuit: Et certè quidni fuiſſet? Deus erat qui unica vocula, *Fiat*, hanc terræ molem vocavit è nihilo; Deus erat, qui dixit aliquando,

Gen. c. 1. *Fiat lux, & facta eſt.*

Etſi MATTHÆUS terra gravior; etſi in tenebris, ut olim facies abyſſi: at ſibi Deoque è peccati nihilo

Finis vocationis. redditus, & Fidei Gratiæque luci, his voculis: *Sequere me.* Illicò enim *ſecutus eſt eum*: Sed quem in finem? Is alius eſt atque alius: & tamen ut is ſit, his vocibus omninò comprehenditur: *Sequere me*; nudum nudus, pauperem etiam pauper: Quomodo enim aliàs?

Chryſol. Serm 28. Novus Eccleſiæ pugil atque Athleta futurus erat MATTHÆUS: ſed *Athleta ad luctamen nudus accedit.*

I. Paupertatis Domini imitatio. Futurus & nauta, qui maria tranaret & vinceret; ſed etiam *confligit cum fluctibus nauta nudus.*

Adſcribendus erat duci Chriſto & militiæ novæ: ſed *miles in acie nonniſi expeditus aſſiſtit.*

E mundi ſchola ad altius Chriſti Gymnaſium erat promovendus: At *qui tendit ad Philoſophiam, totum, quod in rebus eſt, antè contemnit.*

Et ita contempſit MATTHÆUS, ita Chriſtum ſecutus: illicò enim ſurrexit, & abiit à telonio.

Serm. 29. *Generoſus animus*, inquit Chryſologus, *qui ſic ea, quæ magna putarat, facilè & quaſi nulla contemnit.*

Lucra præſentia magna prius exiſtimarat: at parva, at nulla poſtea credidit: & ut iis ſe liberum ſenſit, *raptus eſt ad Divina.*

Et hic finis primus fuit Apoſtolicæ vocationis: Imitatio quædam Dominicæ paupertatis, & inſignis rerum omnium terrenarum deſpicientia.

II. Laborum tolerantia. Alter inertis otii fuga, & amor laboris pro Chriſti cauſa, & animarum lucro. Scitè advertit D. Chryſologus, ex toto hominum genere electos piſcatores, qui, ut ait,

Serm 28. *Erant cenſu pauperes, loco humiles, viles arte, obſcuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, captores piſcium; ſed piſcatores hominum jam de reti, qui de labore tranſeunt ad laborem.*

Ita nimirum *Chriſtus Apoſtolos ſuos humanis laboribus exerceri voluit, ut eos indefeſſos redderet in divinis: voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præſtare virtutem: & quia fructus provenit ex labore, voluit eos labores non perdere, ſed mutare.*

Et ita mutavit in MATTHÆO: aſſederat ille in telonio, & ingentibus curis, vigiliis multis, noctu diuque lucro inſudans & labori: à Chriſto vocatur;

Serm. 29. ſicque *non ſubtrahitur oneri, ſed mutatur: & telonium ſuſcipit magis, quàm relinquit.*

Noſce vis quem in finem novum telonium ſuſcipiat, & vetus relinquat; accipe ex Chryſologo, ut *manſura Deo, non homini peritura conquirat.*

Cùm ſederet ad telonium *pondere cupiditatum oppreſſus, & ipſa totus conſcientia fraudis incurvus*, lucra quidem quærebat; ſed *homini peritura*: cùm à Chriſto vocatus ſurrexit, abiit à telonio, & ſecutus eſt eum: lucra etiam quæſivit, ſed *manſura Deo.*

III. Animarum lucra. At quæ inquies lucra? Ea ſunt animarum, quas religioni Deoque addixit ſedulus negotiator.

Primùm enim Parthos adiit, nationem incultam & barbaram: Deinde Paleſtinæ regiones omnes peragravit, ubi illi varii congreſſus cum populis & lingua & moribus diverſiſſimis: Tum etiam cum fame, ſiti, crebriſque ærumnis, luctam habuit perennem: Tum denique cum ſuperſtitioſæ impietatis præſidibus ac tribunis agendum illi fuit; non ſine labore, ſudore, periculis, quæ omnia generoſo auſu adiit, contempſit, ſuperavitque: ex quibus omnibus ingentia animarum lucra quæſivit; *manſura Deo*, manſura Cœlo, & ipſi quanta quanta eſt, æternitati.

Neque porrò aut Parthorum, aut Paleſtinæ finibus contineri potuit Apoſtoli zelus, & ardor quidam Entheus divini nominis propagandi: in Æthiopiam, quæ illi fœlici ſorte obtigerat, ſeſe extendit, & populos illos à Solis æſtu, & Cœli Solique ardore torridos, melioribus incendit flammis; flammis dico Divini Spiritus, quem eorum animis infudit, dum in corpora ſacras Baptiſmatis aquas infunderet.

Et hi fuerunt Apoſtolici laboris proventus: hæc in negotioſa animarum cura fuère lucra, lucra *manſura Deo*: manſura dico, non ad annos & ſæcula; ſed in æternitatem manſura: non Parthorum, non Paleſtinæ, non Æthiopiæ finibus; ſed Orbe colligenda univerſo.

Etſi enim has tantùm regiones obierit ipſe, etſi in illis Evangelii lucem effuderit, quà vivæ vocis oraculo, quà vitæ Apoſtolicæ exemplis, quà etiam editis ubique miraculis: at calamo longiùs abiit, quàm corpore: illo enim Evangelium ſuum toto Orbe ſparſit; illo Chriſti genealogiam, infantiam, mores, vitam, doctrinam, miracula, paſſionem, mortem, ſepulturam, reſurrectionem, in Cœlos aſcenſionem, miſſionem Divini Spiritus, aliaque Fidei noſtræ myſteria in poſteros omnes, & futuras longè ætates emiſit: & qui vivus ore docuit; jam calamo docet, docebitque in ævum omne: & qui ſua olim prædicatione lucra fecit *manſura Deo*; jam ſcriptis alia facit, facietque dum illa hominum terentur manibus, dum jactabuntur è pulpitis.

Sed tempus monet ut elabar ad ultimum vitæ actum, ad mortem pro religione, pro Cœlo Deoque fœliciter obitam.

De Apoſtolis pronuntiavit illud ore aureo Chryſologus: *Illis ajum laboris indulſit, qui poſtea eis tolerantiam dedit virtutis.* *Serm. 28.*

Ab hac porrò tolerantia, *regna, gentes, carceres, vincula, tormenta, mortes, ſævientes homines, terris omnibus ſic vicerunt.*

Quod ſi vicerunt Apoſtoli; vicit & MATTHÆUS: IV. Victoria de Mundo.
Regina vicit, & Paleſtinæ, Parthorum Æthiopumque gentes: & quidem primum, Egipium Regem, cujus filium vita functum vitæ reddiderat ac patri;

Deinde Reginam ejusque filiam Ifigeniam nomine, quæ ad Fidem, quam ſuſceperat, votum fervandæ caſtitatis adjunxit, & unà cum ducentis Virginibus in nobili Parthenone ſeſe incluſit. V. De Carne.

Et hæc de Mundo, de Carne Apoſtoli victoria fuit: altera, de efferata hominum dæmonumque ſævitia. Vicerunt enim Apoſtoli ſævientes homines: vicit & MATTHÆUS feroces magos, qui malis artibus in populum ſæviebant, quà morbos infligendo, quà immania ulcera, quà ſatorum ſtragem terræque ſterilitatem, quà etiam ex antris dracones evocando in apertam incolarum perniciem: ſed & hos Apoſtolus vel uno Crucis ſigno in ſylvas & antra quaſi cicures & agnellos remiſit, & alia mala miſerorum cervicibus impendentia, fuſa ad Deum oratione avertit. Et hæc eſt ſecunda victoria. VI. De Dæmonibus.

Reſtat poſtrema de tormentis, & ipſa morte, quam inde hauſit Apoſtolus, unde vitam haurire debuiſſet, & ſeros in annos producere.

Egipio Rege mortuo, Hirtacus illius frater per vim & tyrannidem Regnum invaſit: quod ut firmaret magis, Ifigeniam defuncti Regis filiam ſibi in conjugem poſtulavit.

Hic Virgini Caſtiſſimæ pugna fuit, hic Apoſtolo cum Tyranno lucta: in qua cùm multa de virginitate coram Ifigenia & ſociis Virginibus dixiſſet; ad Aras deinde fecit, & cùm in iis primùm immolaſſet incruentam victimam, ſacrum dico Chriſti Corpus VII Victoria de Morte.

& Sanguinem, ſeipſum deinde in victimam obtulit, ipſumque Altare ſuo aſperſit cruore.

Et hæc de morte victoria, quæ tamen hîc non ſtetit, ſed etiam ſe poſt fata necemque fortiter obi-

VIII. Victoria de Igne. tam extulit: cùm enim poſt eam Hirtacus obſtinato conſilio, perdita mente, inſanis amoribus Virginem Ifigeniam deperiret, nec tamen à ſancto Virginitatis ſervandæ propoſito poſſet avocare; Monaſterium, quo claudebatur, incendi juſſit, ut Ifigenia quæ libidinis igne non arſerat, communi cum ſuis arderet incendio. Verùm ne illo, nec hoc arſit, Apoſtolo utriuſque flammas extinguente. Qui enim & conſilio & præceptionibus & oratione Ifigeniam Virginem ſervarat, etiam illæſam à flammis ſervavit. Viſus enim medio aere conſpicuus, immiſſum ignem extinguere, & à ſacris tectis, à Virginibus, ab Ifigenia procul arcere ſceleratas flammas: & hæc altera eſt de igne & incendiis victoria.

IX. Victoria de Tyranno. Accipe, ut etiam de immani Tyranno. Hic, Apoſtolo vindice atque ultore, adeo infami atque intolerandâ lepra tactus eſt atque infectus, ut illius impatiens, ſibi ipſi vim intulerit: Sic à flammis, quas innoxiis Virginibus inferre tentabat noxium caput, ad incendia deſcendit ſempiterna.

Sed ne longiùs; ad te venio, mi Lector: Spectaſti qua via ad illud Sanctimoniæ culmen aſcenderit D. MATTHÆUS; eadem & ipſe aſcendas eſt neceſſe.

Videbit te Deus oculo aperto Divinæ miſerationis ſedentem, ut ille, vel in otio torpentis vitæ, vel in curis malè negotioſis, in curis hujus ævi mortalis, in telonio fortè & iniquis lucris, & dicet illicò tibi ad aurem mentis:

Surge, & ſequere me. Vocem ut audies, ne dubita, ne tergiverſare; ſed aſſurge & citato pede Deum vocantem ſequere: Ita ſurgens MATTHÆUS *ſecutus eſt eum*; & inde ſanctitatis initia, inde primus gradus ad gratiam, ad culmen Apoſtolicæ dignitatis, ac deinde beatitatem.

****

IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.



T hoc Feſtum religioſo cultu & præcipuo quodam devoti animi ſenſu colamus faciunt tria:

Primum, ſumma inter cœleſtes genios S. MICHAELIS dignitas; de qua paucis infrà.

Alterum, ſumma generis noſtri, noſtrûm omnium in ultima vitæ periodo neceſſitas, in qua adeſſe ſolet cœleſtis militiæ Princeps MICHAEL; ut etiam poſtea patebit.

Poſtremum, Virginis Deiparæ in Clientes ſuos indulgentia, qua fit ut in extremo agone nos ſuo præſidio, ceu umbra tegat ac protegat; nec ſuo tantùm, ſed & & D. MICHAELIS, & Angelorum; quos veluti auxiliares copias ſubmittit: patent enim hi, paret & ille Auguſtæ illi Cœlorum Reginæ. Quod agnovit & amavit D. Auguſtinus, & ſecundùm illum D. Bonaventura; qui ſic in ſpeculo Beatæ Virginis.

Lect. 1. *MICHAEL Dux, & Princeps militiæ Cœleſtis cum omnibus Spiritibus adminiſtratoriis, tuis Virgo paret præceptis in defendendis in corpore, & in ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium ſpecialiter tibi, Domina, die ac nocte ſe commendantium.*

Hîc ſuſpice, hîc ama, mi Lector, caſtos MARIÆ amores, quæ non voluntate tantùm & nutu Angelos, & Angelorum Principem è Cœli Regia in auxilium noſtrum emittit, quod ſatis eſſet; ſed & præcepto quodammodo impellit, quod plus ſatis.

Hîc etiam dilige ac demirare Angelicos amores (qui omnes Dominæ ſuæ nutus, omnia ſequuntur imperia; ut tibi benè ſit in primo vitæ limine, in ejus decurſu, ac tandem in ipſa meta. Sed de his poſtea.

Angelicus Doctor de hoc duas poſteris reliquit conciones. In prima argumentum ſumpſit ex Proverbiis; in ſecunda ex Evangelio legi ſolito hac ipſa ſacra Divo MICHAELI luce.

Pſal. 90. Doctor autem Seraphicus ex illo Pſalmiſtæ: *Angelis ſuis Deus mandavit de te.* Ex hoc & illo de more pauca.

EX

EX D. THOMA.

Prov. c. 15. *IN omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Hîc tria, inquit, notantur.

Serm. 1. Primò, *Locus*, qui triplex est: 1. *Luminosus totus:* is est Empyreum Cœlum, ubi lumen sine tenebris. 2. *Tenebrosus totus:* is est infernus, ubi meræ tenebræ, & lumen omninò nullum. 3. *Luminosus & tenebrosus:* & hic est mundus, in quo & lumen & tenebræ.

In primo loco contemplatur oculos Domini solos bonos. In secundo solos malos. In tertio malos & bonos; aliter tamen atque aliter.

Bonos enim aspicit, primò, ut ab omni malo eripiat; Secundò, ut eorum orationes exaudiat; Tertiò, ut misericordiam exhibeat; Quartò, ut bonum gratiæ conferat; Quintò, ut in omnibus protegat; Sextò, ut bonum gloriæ tribuat: Et hæc quidem ex amabili quadam bonitatis suæ inclinatione.

Malos autem videt: Primò, eorum opera considerando; Secundò, super illis indignando; Tertiò, condemnando; Quartò, eis non parcendo; Quintò, pœnam Inferendo: quod est æquitatis ac justitiæ.

In secunda concione explicat versum illum: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*; in quo, ut ait, notantur tria: Matth. c. 18.

Primum, est Angelorum in nos *Benignitas*, quæ ex eo patet, quòd & nostri dicantur & sint, & nobis etiam serviant: serviunt autem tripliciter: *Purgando, Illuminando, & Perficiendo.* Ita eorum beneficio *purgamur à malis, in intellectu illuminamur, in affectu perficimur.* Serm. 2.

Secundum, eorum *Iucunditas*, quæ ex eo manat, quòd videant faciem Æterni Patris, quæ *admirabilis est propter majestatis infinitatem, delectabilis propter gratiarum multiplicitatem, amabilis propter ineffabilis pulchritudinis claritatem, desiderabilis propter gloriæ æternitatem.*

Tertium, Beatitudinis illorum *Æternitas*, quæ notatur hac vocula, *semper*, id est sine intermissione, sine fine & simul: & in hoc sita est æternitas, quæ est *beata vitæ possessio tota simul.* Boëtius.

EX D. BONAVENTURA.

Serm. 1. IN illis Psalmistæ verbis, de quibus suprà, tria inquit exprimuntur:

Psal. 9. Primò, In hoc, *Angelis suis*, exprimitur nomen officii, non naturæ: Nam Angelus idem est quod nuncius, in quo & summa dignitas, Dei ter Opt. ter Max. esse nuncium.

Secundò, In illo, *Mandavit de te*, ostenditur Angelorum ministerium, in quo elucet Divina pietas, quæ Angelos, altiores illos spiritus, pusilli hominis ministerio destinavit.

In isto denique, *Vt custodiant te in omnibus viis tuis*, patet impensum ab illis generi nostro obsequium, atque beneficium, ex quo summa ei accedit utilitas.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est.* Matth. cap. 18. vers. 10.

QVID ILLA PARTICVLA CAVSALIS, Dico enim vobis, *faciat ad parvulorum commendationem?*



Matth. c. 18 v. 1. CUM intulisset Magister optimus eam quæstionem, *Quis putas major est in Regno Cælorum*, ad se illicò evocavit parvulum, & statuit in medio Discipulorum; tum illum commendavit à tribus:

Parvuli cõmendatio. Primò ab innocentia vitæ & candore morum: in quibus scilicet nulla labes & macula, quæ superum oculos offendat, quæ arceat à Cœli Regia:

Deinde ab aliqua etiam secum similitudine: à qua, inquit, *qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit*; parvulus enim est velut alter ego, imitatione quadam innocentiæ meæ, meæ humilitatis ac demissionis. Et hinc Vers. 5.

Denique severè cavet prohibetque contemni talem parvulum, & rationem hanc subjicit, & quidem Oraculo primæ Veritatis; ait enim: *Dico vobis, quia Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est.* Vers. 10.

Et hinc summa dignitas parvuli, summa laus & commendatio; licèt enim & mole corporis & ipsa ætate pusillus sit; at sua apud cœlites æstimatione magnus est: habet enim Angelum suum, Custodem sui, & quasi suum in terris Pædagogum ac Tutelarem.

Ab hac porrò Angelorum de pusillis cura, & imposita magnis illis Cœlorum Intelligentiis à Deo veluti provincia, factum credo ut Ecclesia, ceu provida Mater, hoc Evangelium die S. MICHAELI, festo legendum inter sacra Missarum solemnia proposuerit: Et quidem graves ob causas. E quibus

Et dignitas. Prima, ut inde pateat quo apud Deum in pretio sit parvulus; cui scilicet pro custode & pædagogo sit Angelus, & Cœli Princeps.

Dic enim, amabo te, mi Lector, si fortè è rustica casa exeuntem parvulum vidisses, etiam viliore lacerna tectum, tibique vix de facie notum, nedum à genere & prosapia; si tamen illi ad latus pro pædagogo assisteret Princeps aliquis purpura ostroque decorus: sat scio stuperes illicò, hæreresque suspensus animo, & apud teipse diceres, Ecquis ille puer? Ecquis illi Pædagogus? Ex custodia Angelorum

Hæc ubi dixisses tibi, tum subiret animum ea cogitatio; aliquid intrinsecus est in hoc puero,

quàm

quàm quod paret extrinsecus; & rustica casa & vestis & oculi & frons ipsa metiuntur; aliquid enim majus, augustius latet aliquid: & verò indubiè lateret; nec enim viri principes ad rusticorum curam abjicere se solent: principe major sit oportet puer ille.

Hæc apud te cogitares, hæc sentires, hæc loqueteris: Et rectè. Idem cogita, idem senti, idem loquere cùm audis à Christo, pusillis istis suos esse Tutelares Angelos, imò & Angelorum Principem MICHAELEM.

Et hoc Dei ter Opt. ter Max. beneficium est, hæc etiam beatorum Angelorum in nos inclinatio: quam ut æstimes magis, ut ames, ut suspicias, paucis exponam, qui sint Angeli, quis Angelorum antesignanus MICHAEL.

Et quia mens nostra carni immersa & corpori, ad spiritus capiendos non ascendit, nec eorum definitionem, & inde etiam naturam, ut in se est, attingere non potest; descendam ad appellationes quasdam metaphoricas, abjectas illas quidem; sed à quibus tamen ad altiora mente ac cogitatione gradum facies: Quod priusquam facias,

An ii sint?

Primùm ex naturæ Principiis id statuo, Angelos esse puros spiritus, expertes corporeæ molis, quam proinde si aliunde assumant, assumunt ut humanis oculis serviant.

Deinde, hominibus jam inde à nativitate datos esse Custodes Angelos: & hoc ex Scripturæ sacræ oraculis, SS. Patrum consensu, & Ecclesiæ Traditione colligitur, quidquid contra sentiat Calvinus, & Magdeburgenses, quos temeritatis & erroris arguit damnatque Suarez.

Lib. 6. de Angelis c. 17. num. 8.

An omniũ hominum custodes?

Denique singulis omninò hominibus, quicumque demum ii sint, assignatum à Deo Custodem Angelum: adeoque non fidelibus tantùm ac justis, ut aliquando sensisse visus Origenes; verùm etiam infidelibus, atque injustis. Unde & ipsi Antichristo suus erit Tutularis Angelus: quod amabilem Dei Providentiam & Angelorum in omne genus hominum propensionem mirum quantum commendat.

Quæ eis nomina?

His ex saniore & Catholica doctrina sic constitutis, videndum qui sint Angeli, & hoc aliis atque aliis appellationibus metaphoricis. Ab his

Ezech. c. 28. v. 12.

I. Signaculum similitudinis.

Dicuntur primò *Signaculum similitudinis*; quòd in se, velut in sigillo quodam, exprimant similitudinem Dei sui, imò & in aliis etiam imprimant: priùs illud est de natura Angeli; hoc autem posterius ex officio & ministerio: Sigillum enim non modò stemmata regis insculpta refert; sed etiam rebus aliis apprimit, puta ceræ molliori: sic & Angelus impressam sibi velut in sigillo conditoris sui imaginem, clienti suo, id est, homini imprimit; ut & hic ab illo sit etiam signaculum similitudinis Dei sui.

Iob. c. 1. v. 6.

II. Filii Dei, imò primogeniti.

Dicuntur secundò *Filii Dei*, imò Dei primogeniti; quòd scilicet ante universam creaturam & mente conceperit eos Deus & creaverit, ut notat S. Athanasius Sinaita: & hinc etiam illis, utpotè filiis, inditum ineffabile nomen *IEHOVAH*. Unde summa eis debetur obedientia, observantia summa, etiam Scriptura judice; à qua & illud ad mortales. *Observa eum*, scilicet Angelum, *& audi vocem ejus, quia est nomen meum in illo*.

Exod. c. 23. v. 21.

III. Elohim, id est Dii.

Dicuntur tertiò *Elohim*, quod etiam alterum est Dei nomen, & unum è decem nominibus, quibus Hebræi Deum exprimere solebant. Vocatur autem Deus *Elohim* ex eo quòd mundum hunc regat, quòd Judex sit & vindex scelerum: Et is quoque dicitur Angelus communione quadam divini nominis; à quo habet quòd hominem, ceu parvum mundum, regat ut Princeps, ut Judex, ut Vindex.

Exod. c. 7. v. 1.

Ubi Moysem efferre voluit Deus; hæc ad illum: *Constitui te Deum Pharaonis*, id est Principem, Judicem ac Vindicem.

Quod illi, hoc Angelo Custodi jam inde à prima Universi molitione; hoc, inquam, illi Deus: *Constitui te Deum hominis*, Deum istius parvuli. Quod si Deus est; quæ illi submissio, quæ debetur veneratio? Quod si regit ac gubernat; quæ illi obedientia? Quod si Judex est; quis ex illo timor, & sacer horror? Si vindex & ultor scelerum; quod horum odium, quæ aversio, quæ fuga?

L. de anima, c. 37.

IV. Divina officia.

Dicuntur quartò Angeli à Tertulliano, *Divina officia*, eo quòd in hoc Orbe aspectabili Divina officia & munia præstent, & in iis, ut notat Sophronius, divinam authoritatem suo munere sic exprimant, ut non tantùm fungi Divino officio, sed ipsa quodammodo *Divina officia*, nuncupari possint.

Levit.

Ita quondam apud Hebræos expressit Angelus, qui in nube apparuit super oraculum: formaverat ille sibi corpus ex nube densiore, & collocarat inter Seraphim super Arcam, respondebátque ex Propitiatorio, & Divina effundebat oracula. Deum esse credidisses: & verò Deus erat; sed in Angelo, qui eo in officio erat vice Dei, ut populo quærenti responsa redderet atque oracula, & è cœlestibus gazis etiam dona gratiásque largiretur. Ab his

Serm. 40.

V. Cœlorum officinæ.

Dicuntur quintò Angeli *Cœlorum officinæ*; sic enim appellandos censuit Petrus Damianus. Nimirum in Cœlis id usu venit quod & in terris: in his ab institoribus exstruuntur officinæ, in quibus reconduntur merces omnis omninò generis, quas justo pretio sibi comparent viatores ac peregrini, imò & ipsi cives atque incolæ. Simile quid in cœlis parant Angeli, ceu divini quidam institores; merces, inquam, non quæ corpori serviant, sed animæ; non quæ paucos annos ferant, sed ipsam æternitatem: eæ porrò sunt cœlestia dona, gratiæ uberes, quas in ipsis Angelis velut Cœlorum officinis Deus ipse reposuit. Et inde

VI. Cognitionis fontes.

Dicuntur sextò Angeli *Cognitionis fontes ac scaturigines*: sic eos vocavit Athanasius: cùm enim præditi sint magna perspicacia & vi intelligendi; eam quoque parvulis, ceu clientibus suis, communicant; & dum altiora ac cœlestia infundunt lumina, etiam igne meliore, hoc est, divino succendunt: Et certè quidni sic accenderent illuminando, cùm dicantur

VII. Dei oculi.

Septimò *Dei oculi*: sic eos nuncupari posse credidit D. Hilarius, motus vel ipsis Scripturæ sacræ oraculis, vel authoritate D. Joannis, qui Christo, id est Deo homini, fuit à secretis.

Apoc. c. 5. v. 6.

Apertis Cœlorum valvis vidit ille *in medio throni Agnum stantem, tanquam occisum, habentem oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram.*

Ecce ut septem oculi Agni, sunt septem Spiritus Dei, & hi quidem missi, id est Angeli è Cœli Regia emissi in omnem terram, ad commune mortalium bonum.

Appellantur autem hi oculi Agni, oculi Christi, imò & Dei: quia ut in oculis sua est vis ad videndum, sua perspicacia; ita & Angelis ad prævidendum, & humanis rebus providendum sua est intelligentia, & sua promptitudo ac celeritas. A qua

VIII. Spiritus.

Psal. 103. v. 4.

Dicuntur octavò *Spiritus*. Sic eos vocandos censuit Propheta Regius, qui hæc de illis ad Deum ipsum: *Qui facis Angelos tuos spiritus*. At qui, inquies, spiritus? Alii certè atque alii esse possunt.

Primùm enim *Spiritus* hic ventum significat, quo nihil subtilius, nihil agilius, celerius nihil, ut qui ab uno orbe in alium celerrimè transferatur: & ita transferuntur & transvolant Angeli, è Cœli culmine in ima terræ, & ab his rursum in illud in clientium suorum gratiam ac favorem.

Deinde *Spiritus* est aura illa, quam respiramus, & qua cordis æstum temperamus opportunúmque in præcordia trahimus refrigerium: & hi quoque nobis sunt Angeli; ab horum enim spiritu & afflatu spiritali respiramus, & omnem seu vitæ, seu libidinis

dinis æstum extinguimus, & cœlestem quasi auram in mentis intima ducimus.

Denique *Spiritus* idem est quod anima, qua vivit mortale corpus: & Angelus Custos, spiritus est, & veluti anima vitaque sui clientis: ab hac etiam

Psal. 103. v. 2.

IX. Ignis urens. Dicuntur nonò Angeli, *ignis urens.* hoc eos nomine notavit Propheta ubi sic ad Deum: *Qui facis ministros tuos ignem urentem.* Ministri sunt Angeli, & hi quidem velut ignis urens: ut enim hic inter omnia elementa summæ est (ut ita loquar) activitatis, ut qui non vicina tantùm corpora adflambat, sed etiam sese in iis medullitus insinuet, imò & in se vertat: sic & Angelis summa inest vis agendi, & ea quidem, quæ dum blandè, fortiter tamen sese animis nostris insinuat, nos quasi in se convertat, & ex hominibus Angelos faciat: facit autem dum ignis more modoque & vitiorum rubiginem detergit, & ab animo vitiosum omne quasi naturæ recrementum & scoriam excutit; quod enim in metallo spurcitia, hoc & in anima est peccatum: hoc ab Angelo, ceu igne quondam cœlesti, dum purgamur, jam mundi & puri quasi in terrestres Angelos transformamur: inde nos *Angelorum candidatos* appellavit Tertullianus. *L. de Orat. c. 5.*

X. Dicuntur decimò Angeli *Cœlestia lumina*: sic eos dixit D. Jacobus, ubi asseruit *Omne datum optimum & omne donum perfectum descendere à Patre luminum*, id est Angelorum: lumina enim sunt Angeli, qui ut ait D. Nazianzenus, *Secundi splendoris procreati sunt primi splendoris administri*: & tales sunt Angeli, qui in hac vitæ mortalis caligine nobis sunt quod in nocte minora sidera, & veluti secundi à Sole splendores *Lumina cœlestia. Cap. 1. v. 17.*

XI. Dicuntur undecimò quasi quidam Ecclesiæ ceu urbis *Murus*: tales esse voluit D. Augustinus: *Ambiunt Ecclesiam Angeli, & quasi murum faciunt*, inquit. Hoc scilicet cingimur, hoc tuti sumus ab incursu infernalium potestatum, imò & illis formidini: hanc dum illis incutiunt *Murus ambiens. Orat. de Pascha.*

XII. Dicuntur duodecimò *Arma Dei*: hoc eos nomine timendos ac terribiles esse voluit Dydimus: *Scito*, inquiebat, *arma Dei esse Angelicas potestates.* Hæc arma voluit esse Dominus in circuitu populi sui. Hæc arma, Tertullianoest illa, quæ nobis à Deo, ceu duce ponitur, *Angelorum circumstantia*, quæ meritò *corona est appellata*, à qua scilicet est de hostibus victoria, tropæum, ac triumphus. *Arma Dei. Psa 34. Ibid. Psal. 154. Lib. de Orat. cap. 3.*

Et hæc paucis de Angelorum nominibus: Venio ad eorum in terris erga mortales officia.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Angeli eorum in Cœlis.* vers. 10.

QUID ANGELI, ET QUOD. EORUM OFFICIUM?

Quid nominis Angeli? De Angelis primùm quæri potest quid nominis? Deinde quid rei?

Apud Cornelium aliosque Scripturæ sacræ Interpretes, *Angelus* idem est quod *Angarus*: est autem *Angarus* vox Persica, quæ significat publicos nuntios, vetedarios, postas, qui publico serviunt dum ultrò citróque nuntia deferunt.

Hinc etiam Græcè dicitur ἄγγελος quasi *Angarus* per commutationem litteræ ε, in α; quod apud Græcos satis usitatum.

Etinde ad primam quæstionem facilis atque expedita responsio, ex qua Angelus idem est quod Cœli Deique immortalis ad mortales nuntius; quod nomen officii est, non naturæ. Et hinc descendo ad secundam partem propositæ quæstionis: Quid scilicet rei sit Angelus? An purus spiritus expers omninò corporeæ molis? An huic aliquo modo immixtus ac junctus, ut ferè est hominis anima? *Quid rei?*

Antiquiores Philosophi, imò & nonnulli Patres censuerunt Angelos habuisse corpora; sed subtilia, sed tenuia & diversæ rationis tum à nostris, tum etiam inter se: quibusdam enim tribuebant corpora cœlestia, aliis ignea, aliis aëra; aquea, vel terrea, nulli: hæc quippè crassiora & abjectiora; quæ proinde negabant Angelis, etsi illis subtiliora concederent.

Sic è Philosophis censuit Plato, & è Patribus Origenes, qui docuit præter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nihil vivere sine corpore: at vivunt Angeli; igitur & unà cum corpore. *Lib. 2. Periarch. c. 2.*

Consensit Tertullianus libro de Carne Christi, ubi dixit *Angelos esse corporis alicujus.* Cassianus *Habent corpus licèt tenuius, quàm nos.* *Collat. 7. c. 13.*

Contra senserunt è Philosophis Aristoteles, purioris Philosophiæ ocellus.

E Patribus D. Dionysius, qui substantias Angelicas ait esse *Materia liberas & incorporales.* *De Divin. nom. c. 4.*

D. Ignatius Epistola ad Trallianos, ubi Angelos vocat *Incorporales creaturas.*

D. Hieronymus Epistola ad Avitum de erroribus Origenis; quos inter & hunc recenset quod *Dæmones ob delicta aëreis corporibus sint vestiti.*

D. Thomas Angelicus Doctor, aliique Patres ac Doctores, qui uno sensu, unoòre docent certum esse Angelos non esse corporeos: & ita quidem certum, ut contrà sentire ac loqui temerarium sit atque etiam erroneum; etsi fortè non planè hæreticum; quia nec in Scripturis clarè expressum, nec ab Ecclesia expressè definitum est Angelos esse omnis corporis experies. *1 Part. q. 51. art. 1.*

Verùm etsi necdum definitum sit, certum tamen esse videtur: Et hinc ad secundum caput injectæ modò quæstionis, Quid nempè rei sint Angeli? Illud ex saniore Theologia pronuntio.

Angelos esse intellectuales substantias in sua specie completas, quæ proinde non egent corpore, ceu urbana quadam ac nativa veste, nec ullo etiam sensuum ministerio; uti eget hominis anima, quæ etsi intellectualis substantia, est tamen in sua essentia incompleta, adeoque indiga corporis ac sensuum.

His ita ex verò constitutis, venio ad eorum in mortales oras genusque humanum officia; & paucis quæro, Quæ sint illa? Et quidem primò, Quæ D. MICHAELIS? Deinde quæ aliorum? Prius tamen nonnulla de D. MICHAELE movebo quæstiones; è quibus hæc erit *Quis Michael?*

Prima, sitnè unus MICHAEL, an duo? Scriptor unus aliquis nostri temporis duos esse voluit MICHAELES: unum Seraphinum, & Luciferi quondam victorem; alterum Archangelum Ecclesiæ custodem universæ. *Unusnè an duo?*

Sed hoc novum est, & hactenus inauditum, cumque nulla nitatur authoritate, necessitate nulla, prorsus repudiandum; ac retinendum illud cum omni retrò antiquitate, unicum esse MICHAELEM: Et hoc extra controversiam; at istud adhuc in lite, ex quo sit ordine.

Ex quo Ordine?

D. Hieronymus, Theodoretus, & alii pauci, censent esse Principem ac primum Archangelorum: cui opinioni favet illud, quod ab Apostolo Juda in Epistola sua, imò & ab Ecclesia vocetur Archangelus MICHAEL.

S. Dionysius capite nono cœlestis Hierarchiæ opinatur esse unum de Principibus, id est primum in ordine Principatuum; qui scilicet Regnis præsunt. Favet huic sententiæ illud Danielis: *Ecce Michaël unus de Principibus primis.*

Cap. 10.

Ambrosius, Rupertus, B. Laurentius Justinianus, Bellarminus & alii complures, esse credunt ex ordine Seraphinorum: & quidem inter illos Principem, adeoque primum. Et huic opinioni lubens subscribo & D. MICHAELEM tum naturæ excellentiâ, tum gratiæ ornamentis, tum denique gloriæ corona inter cœlestes illas Intelligentias omnium primum suspicio, ac veneror; ac suspicit ac veneratur universa propemodum Ecclesia, communisque Fidelium sensus, cui sua adstipulatur ratio, & quidem è Scripturæ oraculis petita, objectaque D. Joanni specie.

Apoc. c. 12. v. 1.

Vidit ille apertis Cœli valvis pugnam illam, quæ MICHAELI cum Lucifero fuit: in qua extulit altum illud, & simul humile, quod importabatur in ipso nomine: *Quis ut Deus.* In hoc certè ut Lucifer dæmonum primus; sic & MICHAEL Angelorum, adeoque etiam primus inter Seraphinos.

Et hoc ex Apocalypsi ducitur argumentum: istud, ex ipso Ecclesiæ consensu, quæ MICHAELEN primatem appellat cælestis exercitus, & Paradisi præpositum.

Accedit illud, quod ut MICHAEL olim Synagogæ, sic & modò Ecclesiæ sit Præses ac custos, imò & totius generis humani; quod illi singularia beneficia jam inde ab Orbe condito debere se fatetur. Juvat eorum paucis meminisse.

Quæ ab illo beneficia?

Primò enim Angelorum acies ordinat ipse, mittitque ad hominum tutelam ac præsidium. Quò spectavit illud Davidis: *Immittet Angelus Domini*, scilicet MICHAEL, qui antonomasticè *Angelus Domini* dicitur, atque est: *Immittet*, inquam, *in circuitu timentium eum.*

Corn. Dan. c. 12.
Psal. 33. v. 8.

Ita immisit B. Oringiæ christianæ Virgini. Pergebat hæc ad Garganum montem peregrinationis gratia, ut D. MICHAELI sua vota redderet. Cum ecce illi occurrit monstrum ingens, ac horrendum equo vectum terribili, & in eam ferali cursu irruere parat. Illa tota pavitans rata se equi soleis mox atterendam, D. MICHAELI Tutelari suo se impensè commendat: & en illicò de Cœlis auxilium; submissi scilicet equites duo candidi ac cœlestes toti, qui atrum illum & infernalem equitem in fugam egerunt; & mox quasi peracta scena evanuerunt: Et hoc illi Virgini beneficium, quod etiam ad alios suo nomini devotos, imò & ad mortales omnes derivari voluit: quod patebit ex iis, quæ ad præcipua generis nostri capita spectant. de quibus

Bollandus in ejus vita 10. Jan. c. 2.

Secundò Adamum à suo scelere Paradiso exulem direxit ipse, & in sudore vultus sui terram excolere docuit, seminare, metere, aliaque quibus & suam & suorum deinde posterorum vitam sustentare posset.

Tertiò Abrahamum stricto jam ferro cervici filii sui imminentem continuit, & in Isaaco omnes gentes benedixit.

Gen c. 22.

Quartò Moysi futuro deinde Legislatori totus igneus apparuit in medio rubi, cumque ussit, non combussit, in quo & Virginis Deiparæ partum, & Dei-hominis generationem adumbravit.

Exod. c 3.

Quintò Balaamum in via stitit, & ausu temerario pergentem ut malediceret Israeli continuit ipse, & primùm asinæ os aperuit, ut à jumento disceret homo Angelo Deóque parere: deinde adhuc renitentem, & asinam suam tertiò verberantem, sic increpuit: *Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua:* increpuit, inquam, & retrocedere coëgit. *Num. 22.*

Sexto Hebræis vice Dei Legem dedit in monte Sina. *Exod. c. 20.*

Septimò cùm in hostem moveret Josue, stricto gladio se illi visendum dedit, atque ad audendum animos fecit altiores. Nimirum ut scitè D. Basilius, *Michael Angelicarum copiarum Dux* est invictissimus, & quod Gentilibus Mars fuit, armorum Præses & belli fulmen; hoc Christianis est MICHAEL: quæ causa fuit ut templa, quæ olim Leodii, Antuerpiæ, Luneburgi, Bonnæ, Coloniæ, & alibi stulta Gentilitas Marti dicaverat; eadem deinde sacratiore ritu D. MICHAELI Christiana pietas consecrarit: & inde à Græcis appellatur *Archistrategus*; & vexillum Imperatorum olim S. MICHAELIS imagine insignitum, ut mihi testis est Curopalata. *Josue c. 5.*

Octavò, Gedeoni vigilantissimo Duci apparuit, & primùm hæc illi: *Dominus tecum, virorum fortissime.* Deinde & ista, *Ego ero tecum, & percuties Madian quasi unum virum:* & verò trecentis dumtaxat militibus propè innumerabiles percussit. *Iud. 6. & 7.*

Nonò, in Assyrios Superis Deóque rebelles venit *Angelus Domini*, id est MICHAEL, & in eorum *Castris illa nocte percussit centum octoginta quinque millia*; Ecce quæ à cœlesti duce mortalium strages, quotque solo instrata millia, quæ ut orto Sole vidit Sennacherib Rex Assyriorum, recedens abiit, hoc est fuga præcipiti, & se & exercitus sui reliquias periculo subduxit: non tamen omnino subduxit; sed divina sequente ultione, *cùm adoraret in templo Nesrock Deum suum*, à filiis gladiò percussus interiit. *4 Reg. 19.*

Decimò, ille ipse Cœli Princeps MICHAEL in Babylonicam fornacem *descendit cum Azaria & sociis ejus, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem:* sicque eos *nec omninò tetigit ignis; imò nec contristavit, nec quicquam molestiæ intulit*; quî enim inferret ubi Angelus Domini, ubi elementorum dominator, & vice-Deus. *Dan. c. 3.*

Undecimò, cùm in lacum Leonum abjectus esset Daniel, Deus illius misertus, *misit Angelum suum, & conclusit ora Leonum, & non nocuerunt ei.* Is porrò Angelus MICHAEL fuit, qui ut prius ignis; ita modò ferarum domitor. *Dan. c. 6.*

Quod parvulo Danieli à D. MICHAELE beneficium, hoc deinde Christianis, hoc Martyribus. Testes volo, testes appello invictos Christi Athletas quadraginta Martyres, quibuscum in gelidum stagnum descendit MICHAEL, ut & hoc quoque vinceret elementum. de hoc ita S. Ephrem: *Ne conturbaret Martyres Christi inimicus, Angeli spatium stagni custodiebant: hinc quidem Gabriel, illinc verò Michael, & ab alio Christus universorum inspector.* *Orat. de 40. Mart.*

Duodecimò, ille ipse Angelus Domini, id est MICHAEL, pro suo Daniele mirè sollicitus, dixit ad Habacuc: *Fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu Leonum*; cúmque respondisset ille: *Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio. Apprehendit eum in vertice ejus, & portavit illum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui:* Ecce ut Danielem tanquam alumnum suum curat Angelus Domini, Princeps MICHAEL: nec illum tantum; sed etiam, quod mireris, promiscuam ægrotum turbam: Et hinc: *Dan. c. 14.*

Decimo-tertiò, ad probaticam Piscinam suo tempore sese sistebat, & in ea aquas movebat, sacrásque ac salutares reddebat; & eò quidem, ut qui primus post motum aquæ intrasset æger, illicò *Ioan. c. 5.*

perfectam

perfectam sanitatem assequeretur: Crederes à MICHAELE inditam aquis illis aliquam Baptismi salutaris virtutem. & certè indita erat; nam & omnes morbus eluebat. Si tanta illi etiam corporum cura; quanta fuisset animorum? Ad hanc me vocat

1. Thess 4. Decimo-quartò, officium, quod Orbi universo, quod toti mortalium generi exhibebit aliquando MICHAEL, & hoc adventante extremi Judicii die, quo novissima tuba canet, & è sepulchris mortuos excitabit, vocabitque ad Judicium.

Huic officio alludit Ecclesia dum sic inter sacros Hymnos, & Missarum solemnia:

Signifer tuus Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini ejus.

Meritò *Signifer* appellatur, quia scilicet in extremo illo ac decretorio Judicii die, signum Crucis, seu regale vexillum, Christo advenienti præferet; ut apertè docet Viegas, Eckius & alii.

Sed ne longiùs: abeamus ad extremos perituri Orbis terminos, pedem stylumque sistamus in ea, quæ cuique hominum erit ultima vitæ periodus, & secundùm illam particulare Judicium: Creditur enim etiam hunc Dei vice præesse.

Et exinde factum existimat Viegas, quod cum gladio & statera depingatur, ut summa ejus potestas ac justitiæ æquitas declaretur, dum nimirum singulorum merita ac demerita æqua judicii lance ponderat.

Et hæc beneficia partim toti mortalium generi communia, partim quibusdam propria; quæ subjiciam spectabunt ad cultum ac venerationem olim Sanctis ac viris principibus exhibitam.

Quis ei cultus exhibitus? Qui primus in Ecclesia nascente D. MICHAELI publicos honores ac cultum decrevit reddidit que, is fuit D. Joannes Apostolus, magnus illius cultor & præco, qui etiam ei templum in Asia erexit dedicavitque.

Procop de bell. Wand. lib. 1. Hujus exemplum secutus Justinianus Imperator, qui D. MICHAELI cœlestis exercitus summo Principi pluribus in locis Ecclesias regio sumptu ædificavit.

Meminerat nimirum Augustus, hunc Cœli Principem rebelles Angelos olim in Empyrei sede aperto prælio vicisse, rebaturque si eum sibi propitium fecisset, futurum ut Waudalos juratos sibi hostes facilè vinceret debellaretque.

Niceph. l. 7. c. 50. Paris animi, imò majoris fuit Constantinus Magnus, qui eo loco, qui Sosthenium dicitur, duas Ecclesias construxit augusta in D. MICHAELEM liberalitate, qui ne illi defuisse videretur sese spectandum dedit; & hæc illi dixit:

Ego sum Michael Archidux Domini Sabaoth, Christianorum Fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fideli & germano illius ministro auxiliaria arma contuli.

Hac cœlesti specie voceque recreatus Constantinus, eam regionem mirè excoluit, & Imperiali Ara extructa templum illud incolis advenisque celeberrimum reddidit.

Id officii, id pietatis acceptum habuit D. MICHAEL, & locum illum sibi sacrum multis apparitionibus, multis miraculis illustravit: Et eò quidem ut nemo unus omnium eam ædem adiret, quin & animæ & corpori etiam morbido remedium obtineret.

Mitto alia loca eidem religioso ritu dicata; uti in Gargano-monte sub Gelasio Papa, cujus dedicatio, simulque ejusdem Divi ibidem apparitio celebris hoc ipso die colitur.

Nicetas l. 5. Annal. Ut in summitate Cirri sub Bonifacio Papa, ut Cotis sive Colosis, ubi Templum celeberrimum, quod quia temerario ausu violavit Alexius Iconoclasta, post largiorem compotationem à Sacerdote suo,

etiam gladio jugulatus: Cœlo scilicet violatæ sacræ illius ædis vindice.

Ista, inquam, aliaque omitto, & venio ad peculiarem privatumque cultum, quem ei omnibus propè sæculis exhibuerunt potentissimi Principes ac Reges, & viri longè sanctissimi.

Illos inter eminent Christianissimi Galliæ Reges, qui D. MICHAELEM cœlestis militiæ Archistrategum semper in oculis, in amoribus, & præcipuo cultu habuerunt; Et ita quidem, ut communi omnium consensu, & approbatione populorum, dictus sit D. MICHAEL *Princeps Imperii Francorum*, appellatione non minus honorifica, quàm utili Christianissimo Galliæ Regno. *Baron. ad an. 709.*

Honorifica dico, quid enim honorificentius dici, quid cogitari potest quàm eundem esse & Cœli & Francorum Principem? Eundem & Ecclesiæ universæ & Galliæ defensorem ac tutelarem Angelum?

Utili deinde, quid enim Christianissimo Regno, quid potentissimis Regibus accedere utilius potest, quàm inter arma exterosque hostes, quàm inter barbarorum incursiones assultusque, pro se suisque tectis & aris stantem MICHAELEM, imò & acriter pugnantem intueri? *Ex Lilio sacro P. Rousselot.*

Sic intuitus olim Carolomannus, cui in ea pugna, quæ illi contra Vittigos in Saxonia fuit, sese spectandum dedit MICHAEL, & equo vectus albo & candentibus armis & vexillo cæruleo liliis aureis intertexto, è quo unà cum auri fulgore, liliorumque gratia, emitti videbantur fulmina, à quibus terreri primùm hostes; deinde in fugam agi; denique & in seipsos arma vertere; nec tam Gallorum ferro, quàm suo interire.

Et hic Carolomanno à D. MICHAELE favor, ea gratia: nec minor urbi Aurelianensi, quàm assultu generali occupare dum moliuntur Angli, in ipso urbis ponte conspicuus MICHAEL & hostem truentem stitit, & retrocedere coëgit. *Histor. Gallic.*

Ut illius beneficii memoria iret in posteros, Carolomannus per omnes Imperii sui ditiones, D. MICHAELIS quot annis festum diem indici ac servari voluit.

Deinde ejusdem D. Archangeli simulacrum constitui in pinnaculo ædis Divæ Matris, cui à Campis nomen est; ut quoties illud incurrisset in oculos, toties in animum rediret ejusdem Divi Tutelaris memoria ac veneratio.

Tum etiam vexillis militaribus appingi, cum hac Epigraphe: *Ecce MICHAEL unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum.*

Denique statuit, ut porta Parisiensis, quæ vulgo *Porta inferi* dicebatur, mutato in melius nomine *Porta S. Michaelis* deinceps appellaretur, ut vel hoc uno innueret Parisiensibus suis per S. MICHAELEM, veluti per portam, in interiora Cœli adyta penetrari.

Et hæc Carolomanni in Divum illum Tutelarem grata fuerunt memoriæ monumenta: nec minora Caroli septimi Regis Christianissimi; is enim in gratiarum actionem pro obtenta ad Aureliam de Anglis victoria, quam D. MICHAELI debere se fatebatur, equestrem Ordinem instituit, quem S. MICHAELIS appellari voluit; statuitque ut in eum adlecti equites, pro tessera suscepti Ordinis, è collo appensum collare pondo ducentorum scutorum auri gestarent, in cujus umbilico emineret imago S. MICHAELIS affabrè elaborata: eo consilio, ut dum imago illa pectori appenditur, & quasi incumbit; incumberet animæ ejus memoria, amor ac veneratio.

Et hæc Christianissimorum Regum pietas fuit, & in Divum illum Religio, ac munificentia quæ fortè tantùm cadit in Imperatores ac Reges, quos altius Dei providentia, & opum gratia potestasque evexit.

Subjiciamus aliqua, quæ non mirari dumtaxat detur, sed etiam imitari: hæc inter, primum erit Ferdinandi Portugalliæ Principis.

Hic inter Divos sibi Tutelares ac Patronos retulerat etiam S. MICHAELEM, eumque diebus omninò singulis supplex adibat, precesque ac vota ad illius Aras deponebat.

Deinde pridie festi ejusdem Divi, jejunium sibi indixerat, ut etiam hac corporis sui maceratione suum in eum amorem cultumque testaretur.

Ex Vasconcello.

Denique ipso die ei solemni ac festo sacra Synaxi reficiebatur; & hoc in honorem Sancti sui Tutelaris. cui mirè placuit ea devotio: quod deinde testatum voluit etiam ipsi Ferdinando clienti suo, cui paucis diebus ante obitum hæc exhibita de Cœlis visio. D. scilicet MICHAEL, qui supplex Dei Matrem orabat, ut Ferdinandum terris educeret & Cœlis induceret antequam unà cum ætate mentem mutaret, & ea, qua tum pollebat, innocentia vitæ excideret. Cui petitioni benignè annuit Virgo Mater, adpromisitque futurum, ut ante occasum diei, quem designabat, esset unà secum & cum filio suo Ferdinandus in Cœli Regia ac beatitate: cujus jam conscius, nihil aliud in curis & amoribus habuit, quàm ut Divæ Matri Divoque Tutelari gratias ageret, seque ad felicem è terris & mortali corpore exitum pararet: quod & fecit.

Ecce quis vel in vita, vel etiam in morte fructus à cultu gloriosissimi illius Archangeli: in illa quidem innocentia, & amabilis morum candor; in hac autem securitas, & spes certa saluos assequendæ; quæ scilicet est à Divo MICHAELE, quem scilicet Deus *constituit Principem super omnes animas suscipiendas*, ut piè de illo canit Ecclesia.

In Offic. S. Mich.

Hæc certè illius Principis authoritas mirè cepit animum amoremque D. Francisci Assisiensis; qui ut illi officio pietatis gratus esse videretur, *à festo Assumptionis B. Virginis, quadraginta diebus jejunans, orationi jugiter insistebat:* quem etiam morem transmisit in posteros, à quibus solemne illud jejunium dictum est *quadragesima D. Michaelis.* de cujus cultu è multis pauca hæc collegi: quid ad illum potissimum movere nos debeat, etiam brevi compendio subjiciam.

D. Bonav. in ejus vita.

Quæ ad illius cultum incitamēta?

Hæc inter occurrit primum, quod S. MICHAEL in hac vita, ceu via quadam & peregrinatione, Dux à Deo nobis sit datus, usquedum inducat in patriam sedemque Beatitatis. *Ecce*, inquiebat olim Israëli, *mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi.*

Exod. c. 3.

Ita præcessit Israelem in columna nubis, in qua latebat ut illius motor: *Tollens* enim *se Angelus Dei, præcedebat Israelis castra, & cum eo pariter columna nubis.*

Exod. c. 14.

Quis ille Dei Angelus nisi MICHAEL; de quo hoc D. Gabrielis ad Danielem oraculum: *In illo tempore consurget Michaël Princeps magnus, qui stat pro filiis populi sui.*

Dan. c. 12.

Quod olim Synagogæ, quod Israeli D. MICHAEL; hoc modò Ecclesiæ, hoc Christianis omnibus: Dux illis est in hac via mortali, per avia & invia mundi hujus deserta, & ad instar antiquioris illius columnæ, in nocte densiore adversitatis, lucem effert solemque quo illustretur intellectus, & ignem quo accendatur ardeatque voluntas. Uti contra in altiore prosperitatis die nubem & umbram quasi inducit, ut ardores illos temperet, æstusque elatioris animulæ. Quod nobis stimulo esse debet, atque ad illius cultum incitamento. Cui

Accedit etiam alterum, & huic affine; quod in rebus arduis, in angustiis, in periculis præsenti soleat adesse auxilio, ut defensor, ut tutor fidelium animarum.

Eum certè seipse dixit Constantino magno, cùm illi se spectandum dedit, & hæc in aurem. *Ego sum Michaël Archidux Domini Sabaoth, Christianorum Fidei tutor.*

Ita & hunc, de quo agimus, Constantinum tutatus est, ita Carolomannum, ita Carolum VII. Regem Christianissimum. Ita Lescium Polonorum Principem cum paucis copiis contra innumera propè Lituanorum millia victorem fecit.

Cron. l. 10. Histor.

Sed hæc, inquies, in Martio pulvere æstuque armorum collata beneficia: Videamus an non etiam in æstu febris, in morbis, ipsoque propè mortis aditu.

In hoc etiam affuit S. Wilfrido Archiepiscopo Eboracensi, cui apparens sanitatem restituit, addiditque se etiam post quadriennium reversurum, & tum illi Ducem futurum ad Empyrei Cœli Regiam ac beatitatem: quod & factum, & factum quàm optimè.

Bed. Hist. Angl. l. 5. cap. 20.

Addi potest ac debet & alius cœlestis illius Genii favor & gratia, qua scilicet annuente Numine fidelium orationibus præest, easque defert in aurem Divinitatis: *sic ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli*, videlicet MICHAELIS, qui D. Hieronymo interprete illis præsidet.

In cap. 8. Dan.

Pro coronide, ac veluti compendio gratiarum omnium ac beneficiorum, subnectam illud, quod Archangelus MICHAEL adsit animæ inter vitæ mortisque confinia constitutæ: maximè verò in periculosa illa, quæ tunc cum dæmonibus solet esse lucta. sic adfuit illi religioso de quo D. Anselmus:

Objiciebat illi dæmon ea peccata, quorum reus fuerat ante Baptismum quem adulta jam ætate susceperat: cùm pro his mirè esset anxius, MICHAEL, qui tum aderat, objecit, ea per Baptismum esse eluta. Ubi hoc telum excussum est, tum aliud immisit; scilicet peccata, quæ à suscepto Baptismo commiserat: cúmque & pro his esset sollicitus, adjecit MICHAEL ea etiam deleta per professionem religiosam, quæ & ipsa alter est Baptismus; ubi & hoc à styge telum irritum cecidit, tunc cōtorsit & tertium; nimirum peccata commissa ab edita professione in eam usque horam. Hinc trepidanti religioso hæsit aqua, hæsit & vox, & anima propè elinguis; sed & hoc quoque excussit cœlestis ille genius, affirmans & hæc detersa per uberes pœnitentiæ lacrymas, per opera religiosa, per humilem in obedientia submissionem, per insignem in morbi molestiis patientiam.

L. de simil. c. 19.

Hæc ut audit malus dæmon, qui totus illi prædæ inhiabat, abiit, excessit, erupit, non sine immani rubore ac rugitu: & vir ille religiosus spe plenus ac fiducia, imò & cœlesti solatio, spiritum suum S. MICHAELI tutelari suo tradidit Deo Creatori sistendum.

Et hæc de præsidio Angelico, in ultimo illo agone: subjicio & alia ejusdem ferè argumenti: inter quæ est istud, quod clientibus suis suoque cultui addictis quandoque revelet, quis futurus sit extremus vitæ dies, quod summi beneficii loco esse debet; Solet enim etiam bonas mentes mirum in modum dubias anxiasque tenere incerta vitæ meta, incertusque dies; qui si innotesceret, tum verò majore studio, impensiore cura ad illum rectè obeundum pararentur omnia: at innotescit subinde revelante vel ipso Archangelo MICHAELE.

Ita innotuit S. Arnulpho Episcopo Suessionensi. Juvat illius diei meminisse: erat is Sabbatinus, & Assumptæ in Cœlum Virginis vigilia, cùm domesticos suos evocat S. Præsul, jubetque omnia ad funus ritè apparari, & stupentibus illis reique novitate attonitis, affirmat moriendum eo die sub vesperum, & hoc ab Archangelo MICHAELE se didicisse; adjecisseque affuturum se cum beatorum spirituum turma, excepturumque è corpore solutam atque abeuntem animam, & in Paradisi adyta inducturum.

Lisandrus in ejus vita.

Hæc

Hæc ubi ad suos S. Præsul; tum extremis Sacramentis muniri se jubet; tum in nuda humo deponi, ut in cinere & cilicio moreretur. Ita porrò mortuus assistente cum Angelis D. MICHAELE spiritumque clientis sui excipiente.

Ecce gratia, cui par in terris nulla: restat in Cœli aditu altera, ut scilicet in illud cum gaudio plausuque introducatur anima jam corpore libera: & ita introducitur eodem comite, ducéque Archangelo. Et ita etiam introductus S. Arnulphus, ita & S. Sisinandus Compostellanus Episcopus, in cujus exitu, primoque Paradisi ingressu, auditæ etiam hæ voces: *Veni electe Dei, & intra in gaudium Domini tui.* (Vasæus in Cron.)

Quod illi & S. MICHAELIS & Angelorum beneficio; hoc & S. Secundinæ Virgini & Martyri. Hæc sub Decio Imperatore capta primùm; deinde diurino carceri mancipata; tum etiam crudeliter cæsa, pro sanguine, quo rubere debuerat tota, visa lac è corpore lacero fundere, & odorem longè suavissimum; denique mugiente cœlo, tonitruque, innoxiam animam Deo reddere, quam exceperunt Angeli, etiam accinentes illud: (Bollandus in ejus vita 15. Ian.)

Veni Sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Ut & hæc ipsi aliquando propitio Numine audiamus: D. MICHAELEM, Ecclesiæ universæ Tutelarem, nobis etiam Patronum faciamus: faciemus autem si toto in eum affectu, tota feramur animi propensione, & peculiaribus pietatis officiis demereri studeamus.

****

IN FESTO SS. SIMONIS ET IUDÆ APOSTOLORUM.



IA Mater Ecclesia Apostolos longè sanctissimos SIMONEM Cananæum, & IUDAM Thadæum uno die festo jungit ac colit: neque enim par erat ulla ratione dividi.

Primùm enim eos *natura* arctissimo nexu, id est fraterno, copulavit; utpotè germanos fratres, eadem matre Maria Cleophæ progenitos.

Deinde conjunxit & *gratia*, qua scilicet simul à Christo in Apostolos adlecti, ut Fidei lucem quaquaversus emitterent, ceu nova surgentis Ecclesiæ, id est Cœli novi, *sidera*, vel si voles *duæ Olivæ*, quæ oleum Divinæ miserationis effunderent; vel *duo candelabra*, quæ collucerent in domo Dei quà Doctrinæ luce, quà exemplo vitæ illustrioris, quà etiam splendore miraculorum. (Apoc. c. 11. v. 4.)

Denique & *gloria* pares excepit, à profuso liberaliter sanguine, à morte fortiter obita, ab inclyta Martyrii palma, quam eadem die consecuti; de qua priusquam verba faciam, paucis de more ex Angelico & Seraphico Doctore.

EX D. THOMA.

(Serm. de SS. Simone & Iuda.) DUM hujus Evangelii verba accuratiùs expendit, tria simul expendit:

(Ioan. c. 15.) Primum est altior quædam *Apostolorum dignitas*, his expressa verbis: *Vos non estis de hoc mundo*, quia scilicet *Cœli cives, & non hujus sæculi.*

Et certè de mundo non fuerunt Apostoli propter tria: 1. Quia omnia, quæ mundi fuerunt, sublimiore oculo animoque despexerunt; dixerunt enim ad Dominum: *Ecce nos reliquimus omnia.* (Matth. c. 19.) 2. Quia mundus eos est persecutus; hinc illud Christi benè monentis: *Quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* (Ioan. c. 15.) 3. Quia nec secundùm mundi morem geniumque vixerunt: mundi quippè fuit gaudere, ridere, deliciisque affluere: Apostolorum autem tristari, flere, ac pati.

Secundum est *Christi benignitas* his significata: *Ego elegi vos de mundo.* Quibus in voculis *Ego & vos*, ceu breviore compendio multa continentur Divinæ beneficentiæ argumenta. *Ego*, inquam, Dominus, *vos* servos; *Ego* Sapiens, imò ipsa Patris mei sapientia, *vos* ignaros & rudes; *Ego* Creator, *vos* abjectas in terris creaturas; *Ego* Deus, *vos* homines elegi: & quidem de mundo propter tria: 1. *Propter ipsius mundi malignitatem; totus* quippè *in maligno positus.* (Ioan. c. 5.) 2. *Propter pœnarum, quæ in eo sunt, multiplicitatem*; à qua *quia tot calamitatibus premit, quid aliud nisi ut contemnatur clamat*, inquit D. Gregorius. 3. *Propter pereundi necessitatem*: vix enim ac ne vix quidem in mundo quis salvari potest, si modò de mũdo esse velit.

Tertium est *Mundi malignitas*, his verbis, ceu infami stigmate notata: *Odit vos mundus.* Vos, inquit, Sanctos, quos odisse summæ & infandæ est malignitatis etiam *propter tria*: 1. Quia per Apostolos & *Sanctos mundus illuminatur*: at lucem, at Solem, quo illumineris, odisse magnæ est malignitatis. 2. Quia *per ipsos à periculis liberatur.* Hinc illud Dei ad Abraham, *Si invenero justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos*: sunt ergo justi, veluti mundi Salvatores, quos proinde odisse ingratitudinis est malignæ. (Gen. c. 18.) 3. *Quia per ipsos salvatur.* Ita per Josephum olim longè justissimum Ægyptus, imò & Orbis ipse propè salvatus. Hinc eum etiam Pharao vocavit Salvatorem mundi; & ita vocantur Sancti, quos proinde dum mundus odit, mirum quantũ est malignus.

EX D. BONAVENTURA.

Cap. 6 DIscedit ab Evangelio insistitque illi loco Isaiæ: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.* Insistit, inquam, & singula verba expendit: & quidem

Primò, *Qui sunt isti?* Cui respondere possunt Gen 46. Apostoli, quod olim Pharaoni Josephi fratres: *Viri* Serm de SS Simone & Iuda. *Pastores sumus.* Pastores enimverò, qui *paverunt gregem Domini exemplo vitæ, verbo doctrinæ, orationis subsidio.*

Qui sunt isti? Cui dicere possunt, quod deinde Apoc. c 7. SS. Martyres; Fidei testes ac defensores. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

Exod. 32. *Qui sunt isti?* Subjici potest, *Hi sunt Dii tui Israël:* Dii, inquam, non natura; sed gratia: non ex se; sed participatione quadam Divinitatis: qui eduxerunt te de terra Ægypti, de domo servitutis, in libertatem filiorum Dei.

Apocal. 11. *Qui sunt isti?* Addi potest, *Hi sunt duæ olivæ*, & *duo candelabra in conspectu Divi terræ stantes.*

Zachar 4. v 14. v. 12. *Qui sunt isti?* Adjici potest, *Isti sunt duo filii Olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ, duæ Olivæ ad dexteram candelabri*, id est Ecclesiæ, *& ad sinistram ejus.*

Et hæc Seraphicus Doctor ad istas voculas, *Qui sunt isti*: adjicit

Secundò, ad illas, *Qui ut nubes volant*, Apostolos esse nubes; scilicet, *quia pluunt verbis, quia coruscant miraculis, quia volant contemplatione mentis*: Volant Hom 18. in Ezechiel. deinde, *quia terram quasi non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt*, ut notat D. Gregorius.

Primùm ergo *pluunt verbis*, ut aridam terram, id est corda hominum, pluviis salutaribus, hoc est doctrinâ sanâ irrigent: & hæc est *pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ*; ita SIMON in Ægypto, JUDAS in Perside pluit.

Deinde *Coruscant miraculis*, ut enim è gravidâ nube, & ignitis exhalationibus plena emittuntur fulgura & fulmina: sic ex Apostolis zelo Dei, & igne sacratiore plenis miracula fulguris & fulminis instar emittuntur. De his præsaga voce Psaltes Regius: Psal. 76. *Illuxerunt corruscationes tuæ Orbi terræ, vidit & commota est terra*: sic à miraculis Apostolorum, commota terra, immò & inferi.

Tum etiam *tonant judiciis*: nimirum ut à nube lux & tonitru; sic ab Apostolis & lux miraculorum & tonitru judiciorum Dei. De hoc sic Regius Vates: *Vocem dederunt nubes*: At quam vocem? *Tonitrui tui*, Psal. 76. id est Judicii tui, ô Deus: Sed *in rota* suppliciorum impendentium.

Denique, *Volant contemplatione mentis*: ut enim nubes leviore vento ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem feruntur, & quodammodo evolant; sic & Apostoli nubium instar ab una solis domo in aliam transferuntur ventis, quasi alis, animatum divinæque gloriæ zelo velut alatum remigio.

Si porrò quæras, quæ sint istæ alæ? Audies ex Doctore Seraphico esse quatuor:

Volatus Sanctorum, inquit, *perficitur quatuor pennis; scilicet dilectionis, orationis, cognitionis, & devotionis*: de quibus illum consule.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem.* Ioan. cap. 15. vers. 17.

CUR AIT HÆC MANDO, NON AUTEM hoc mando? Cur deinde vobis?

1. Quæstio, Cur hæc plurali numero? UM dilectio mutua, quæ hîc cadit sub præceptum, serio mandetur: Cur Magister optimus usus ea voce plurali, *Hæc*: certè cùm unus sit amor, & in eo præceptum unum ac singulare; congrua locutio videtur exigere ut singulari etiam numero exprimatur, adeóque dicatur, *Hoc mando vobis*; non autem, *Hæc mando vobis.*

Videbitur fortasse cuipiam hæc quæstio à me leviùs injici, quod levis ea sit ac grammaticalis: ex verò tamen neque levis est, neque grammaticalis; sed omnino gravis ac Theologica; imò arcano quodam ac cœlesti plena mysterio. quod hîc evolvere est animus.

1. Ratio. Est autem illud ejusmodi, quod omnia præcepta etiam unico charitatis præcepto concludantur. Et hinc illud dum proponit, dum servandum exhibet ac mandat; mandat omnia: inde utitur ea vocula *Hæc*, quæ pluralis est numeri, quæ plura affert, imò & omnia; non autem particula *Hoc*, quod ad unicum restringitur.

Contineri autem in præcepto Charitatis cætera omnia, patebit primùm ex ipsa Scripturæ sacræ authoritate; dein Sanctorum Patrum placitis; denique & ratione ab his & illis petita.

Postquam Apostolus longam texuit divinorum Præceptorum seriem, ad extremum adjicit illud: Ad Rom 13. v 10. *Et si quod est aliud mandatum in Lege, hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

In hac vocula *instauratur* piè se explicat Interpretum labor; sunt enim qui vertant *recapitulatur*; quippè Græca vox est ἀνακεφαλαιόω, id est *summatim colligo.* Cùm multa hinc & inde in dictionis suæ decursu facundus Orator sparserit, in Epilogo omnia colligit, ut sub unum veluti aspectum ponat, ut è multis quasi unum faciat.

Quod illi Oratori, hoc increatæ Sapientiæ familiare fuit: multa ad Discipulos dixerat, multa ediderat præcepta; sed ea omnia in unum cogit, imò unum facit; unum, inquam, præceptum charitatis: & hinc ea particula *Hæc.*

Alii pro eo verbulo, *instauratur*, supponunt *renovatur*; cùm aliquid aut situ obsitum, aut vetustate detritum est, ad aliquam novitatis gratiam splendoremque revocari solet. Crederes alia Dei præcepta, quæ ad proximum diriguntur, vel hominum incuria

incuria, vel temporum injuria nitorem suum ac venustatem amisisse: & sane amiserant; at renovantur uno praecepto charitatis, & ad pristinam gratiam vigoremque redeunt: Et inde sic ad Discipulos Magister optimus, *Hæc mando vobis*; *Hæc*, inquam, omnia in uno charitatis præcepto renovo innovoque, ut niteant, ut splendeant, ut nova sint omnia.

Vertunt aliqui, *integratur*, quasi jam vel ex toto, vel ex parte collapsa essent alia Dei præcepta: & certè collapsa conjugatos inter Matrimonii fides, inter juvenes collapsa castitas, inter æquales observantia, inter Judices æquitas ac justitia: at hæc omnia integrantur etiam ab uno præcepto charitatis; & hinc de illa Servator optimus, *Hæc mando vobis*.

Nonnulli pro *instauratur*, reponunt *suppletur*; & pro eo, quod in aliis præceptis deesse videtur: ab una charitate fit satis: quæ explicatio placuit melleo Doctori, D. Ambrosio; sic enim ad illa Apostoli verba: *In hoc verbo instauratur. Et si sint*, inquit, *alia mandata, quæ nunc tacuit: tamen pro omnibus mandatis dilectio satisfacit*; & quia satisfacit, inde de illa unica; *Hæc mando vobis*.

Denique D. Ambrosius loco *instauratur*, legit *consummatur*, id est perficitur, & omnibus suis numeris absolvitur: ex quo manavit illud D. Gregorii Pont. Max. *Omne mandatum de sola dilectione est, & omnia unum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur*. Hom. 27. in Evang.

II. Ratio. Et hæc prima ratio; accedit altera, & quidem illi affinis: sicuti enim unum præceptum charitatis alia omnia in se complectitur; sic & opus charitatis omnia bona opera in se quodammodo continet: Quam enim lucem Fides afferet, quam Spes fiduciam, quam munditiam nitoremque Castitas, quam vim invicta in malis Constantia ac Fortitudo, quæ aliæ virtutes ornamenta, quæ præsidia dabunt opera bona; eadem unica Charitas dabit, ut enim D. Augustinus: *Omnia bona opera nostra, unum opus sunt Charitatis*. In Psal. 89.

Unum, inquam, ut loquuntur Theologi *eminenter*, *virtualiter* unum: quod scilicet aut virtute & gratia, aut altiore quadam vi ac perfectione omnia bona opera nostra, & in se continet, & secum in animam, velut in hospitium, ducit.

Inde à S. Chrysostomo comparatur *cum apicula*, quæ ut ait: *Bona omnia undique collecta in amantis animam*, velut in paratum alveare comportat. Hom 31 in Epist. 1. ad Cor.

III. Ratio. Comparatur cum sigillo Regio, quod authoritatem conciliat & pretium; sic enim charitas una cæteris virtutibus bonisque operibus pretium affert; & sine illa nec superis, nec Deo ipsi erunt in pretio; quod in Castitate, Fide, Scientia, Martyrio pulchrè ostendit D. Bernardus Epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, dum ait: *Venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate nec pretium habet, nec meritum*. Epist. 42.

Quod enim haberet? *Certè*, inquit, *Castitas sine Charitate lampas est sine oleo: subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle Charitatem, Castitas non placet*.

Et idem de aliis virtutibus esto judicium, imò & de ipso si voles Martyrio; ut enim eleganter D. Cyprianus: *Exhibere se non potest Martyrem, qui fraternam non tenuit Charitatem. Occidi talis potest, coronari non potest*: Quomodo enim coronetur, cui deest Charitas, quæ bonorum operum, quæ virtutum cæterarum est corona. De discordia & adeo.

II Quæstio. Cur vobis? Id id Apostolis. Et hæc paucis ad primum caput propositæ initio quæstionis; transeo ad secundum: Cur scilicet Magister optimus ad illud, *Hæc mando*, adjecit *vobis*.

Objiciet enim unus aliquis præceptum charitatis omnes omninò complecti & astringere oportere; cur igitur ad Discipulos ait: *Hæc mando vobis*. Cur non potius hæc omnibus mando; si omnes ea charitatis vincula involvant.

Ita enimverò est, omnes involvunt: at potissimum Christi Discipulos, Apostolos intelligo, quæ causa?

Erant illi quondam futuri *Oratores* ad Patrem Æternum pro subjecti populi delictis; ad eum supplices venire & clamare debebant: At qua oratione? Quo clamore? Utique charitatis. I. Quia facti Oratores.

Ita clamavit olim Moses, ad quem sic è Cœli Regia; *Quid clamas ad me*. Verùm, ô Deus ter Opt. ter Max. quomodo eo loci ac temporis clamat servus tuus Moses, qui ne verbum quidem? Audio respondet Paschasius: *Clamabat Moses ardore charitatis*; Et hoc clamare debuerunt Apostoli sacri ad superos Oratores. Exod 14. v. 15. In Thren.

Ita clamavit Paulus, non inani vocis sono; sed animi, sed charitatis mira contentione, à qua & illa in Cœlos vota: *Optabam ego ipse Anathema esse pro fratribus meis; ego*, inquit, *ipse, qui omnium magister sum, qui officia meritaq; infinita collegi, qui coronas infinitas expecto*, optabam anathema esse pro fratribus meis. Et hæc Pauli oratio, hæc vota, quæ dum audit D. Chrysostomus, exclamat: *Omni pelago latior, omni flamma vehementior erat hæc dilectio*. Et quia ea quoque esse debuit omnium Apostolorum, hinc ad illos Christus: *Hæc mando vobis*. Ad Rom. 9. v. 7.

Accedit & alia ratio; erant enim futuri *Pastores animarum*, & Ecclesiæ, seu Dominici gregis. II. Quia Pastores.

At Pastorum nomen, nomen est amantium; imò Pastores amatores dicti, & eadem vocula apud Hebræos, & Pastores significabat & amores, sola differentia unius puncti: *Pastores* enim dicti *Reghim*, *amatores* autem *Reghim*. Ut inde nosces inter hos & illos aut parum aut nihil interesse.

Et inde factum ut Servator optimus, cùm Petrum Pastorum Principem & eligere & instituere voluit, ter sic ad eum: *Petre amas me?* Et cùm audisset, *Domine tu scis quia amo te*; tum sic, *Pasce oves meas*, quasi pascere non posset, nisi priùs amaret; quod acutè notat D. Gregorius Pont. Max. *Tertiò*, inquit, *dicitur Petre amas me, ut perfecta charitatis affectu, & erga proximos ferveret, & ad speciem conditoris ferventius inardesceret*. Ioan. c. 2. v. 15. In 1. Lib. Reg. c. 16.

Addi potest & alia ratio, quia Apostoli etiam *Patres* sunt appellati; at Patrum nomen, nomen est amantium. III. Quia Patres.

Ita Melchiadem Sum. Pont. *Patrem Christianæ plebis*, appellavit D. Augustinus. Epist. 162.

Ita Episcopum, communem Patrem esse dixit D. Chrysologus: *Hesterno die*, inquit, *Pater noster communis, Evangelico pacis sermone præfatus est*. Serm. 149.

Ita Polycarpum ipsi etiam Ethnici *Patrem Christianorum* amabili & specioso nomine honorarunt. Niceph. l. 3. c. 31.

Et hinc Christiani omnes Pontificum atque Episcoporum *Spirituales filii* sunt appellati; ut videre est apud Gregorium Nazianzenum. Orat. 20.

Quod si Patres illi sunt & hi filii, oportet ut amoris vinculo jungantur quàm arctissimè: si enim qui à carne Pater est filium ut amet est necesse; multò magis qui à spiritu, & in spiritu Pater est.

Ad extremum adjici debet & hæc ratio, quòd Apostoli etiam Isaiæ voce atque oraculo dicti sunt *Cor Ierusalem*, ut annotavit Procopius: at Cor amoris est sedes, est & amoris officina: Igitur si Cor populi sint Apostoli; & amoris illius sedes, imò & amoris in eam officina sint oportet. IV. Quia Cor populi.

Et hæ potissimùm occurrunt rationes cur Incarnata Dei Sapientia sic ad Apostolos: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem*.

Supereft ut paucis ostendamus quomodo hoc Domini mandatum & exceperint, & re etiam ipsa expresserint Sancti SIMON & JUDAS Apostoli; quibus id usu venit quod olim Moysi. SS. Simon & Judas.

Israeli bellum erat acre cum Amalechitis, levabat Moyses manus & vincebat Israël: Et gentibus & barbaris Exod. 17.

Oratores facti. barbaris nationibus, Ægyptiis scilicet ac Persis, bellum erat cum idolis, cum dæmonum simulacris; cum ipsis dæmonibus; quomodo vincerent & Ægypti & Persæ, infirmæ atque imbecilles animulæ? Levabat manus SIMON, levabat & JUDAS ad Dominum, & unà cum manibus paternos animos, & vincebant Ægyptii; vincebant & Persæ: quidni enim vincerent, cùm ad solam horum Apostolorum vocem atque orationem muta conticescerent simulacra: & verò quidni conticescerent? Non poterant inconditæ crebri voces stygiique ululatus ferre validum illum clamorem, quem in Cœlos emittebat SIMON, emittebat & JUDAS: clamorem dico; sed incensum *ardore charitatis*, cui etiam quodammodo cedere Deus ipse debuit, & misellis illis gentilibus & Fidei lucem immittere & faces Divini amoris: has nimirum eliciebant *Sacri Oratores* SIMON & JUDAS Apostoli.

Pastores animarum. *Oratores* dico, qui & cœlesti orationis pane pascebant, & verbo prædicationis, & exemplo insignis patientiæ, quæ scilicet Pastorem facit ac decet.

Verum illud & omni posterorum memoria dignum, quod de seipso Jacob Pastorum Princeps: Gen. c. 31. *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. Hæc nimirum illi gregis cura fuit, hic amor, hic pro illo labor, qui scilicet cœli æstum ferret calentesque arenas: ac deinde dura, sed necessaria quadam vicissitudine & frigidos pateretur Aquilones, & gelidas nives, & intempestivæ hyemis frigora, geluque rigentis soli; Et hoc ut dixi amore sui gregis, qui tamen mutum erat pecus.

Quid non Apostoli? Quid non SIMON & JUDAS zelo quodam ardentiore animarum? SIMON quidem in Ægypto, calente terra, torridoque Cœlo: JUDAS autem in Mesopotamia, ac deinde hic & ille in Perside: ubi sparsas longè latéque barbaras nationes, ceu Domini gregem, paverunt labore multo, vigiliis multis. ex verò *Pastores*;

Patres. Imò & *Patres*, qui eo jure, quo deinde Paulus, jactare potuerunt illud: *In Christo JESU per Evangelium ego vos genui*. Hæc olim ad Corinthios Aposto- 1. Cor. c. 4. v. 15. lus, quibus objicit pudendum illud quod Doctores nonnullos veluti pædagogos sequerentur; se verò Patrem, qui eos in Christo genuerat, deserere viderentur.

Quod si Corinthiis Pater fuit Paulus, vel ex eò quòd in Christo JESU illos genuisset, gratia scilicet ac Spiritu, spiritali quadam generatione: & SIMON Apostolus Ægyptiis Pater; & Persis Pater fuit Judas: Hos enim & illos in Christo JESU genuere.

At ubi? Et quando? Multum enim interest ubi, & quando filium generet pater: Facit enim illud ad majorem aliquam amoris inclinationem si etiam in vinculis, ipsaque mortis imagine. Certè Apostolus dum Onesimum Philemoni committit ac commendat: *Obsecro te*, inquit, *pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo* Ad Philem. v. 10.

Hic suspicere, amare ac venerari licet insignem Pauli caritatem, qui Onesimum illiberali & servili ingenio hominem, utpotè natione Phrygem atque abjectum, ita operosè commendet.

Verùm quid facias? Pater est, & Onesimi quidem Pater, ut qui eum etiam in vinculis Christo genuerit.

Et cùm Paulo carceres & vincula induerunt Apostoli, & in his sua patientia, doctrina, miraculis longè plurimos Christo genuerunt, ut ex vero dici possent primorum Christianorum *Patres*; imò & *Cor populi* Christiani. Cor populi.

In cordè velut officina cuduntur spiritus vitales, qui deinde in arterias diffusi earum micationem faciant; ex qua noscas qui valeat homo, malène, an benè.

Et in Apostolis, ceu corde populi, formabantur spiritus vitæ: sed vitæ cœlestis ac propè divinæ.

In corde velut officina excuditur amor: sed longè purissimus; Cœli scilicet ac Dei: & hic ab Apostolis, ceu corde, in Christianos omnes, ceu magni corporis membra, diffundebatur.

Et inde in illis ea vis amoris, ea caritatis; & ex caritate nata unio, à quâ omnibus cor erat unum, & anima una. Cor scilicet Apostolicum, anima Apostolica, qua etiam modò si animarentur Christiani, non eæ in foro lites, in compitis contentiones, in circulis detractiones, in domibus æmulationes viderentur.

Uncæ porrò tollantur, attende, quisquis & nomine & re etiam ipsa vis esse Christianus, eam tibi ab Apostolis transcriptam esse legem: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem*. Lex quippè Caritatis, *Lex est Christianitatis*.

QUÆSTIO SECUNDA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* vers. 18.

QUIS ILLE MUNDUS? QUOD ODIUM? Et cur hic Apostolis seipsum in exemplum ponit, dum ait, Me?

Quis ille mundus? NE crede esse hunc mundum aspectabilem, cœlum, terram, elementa; ab his enim nihil odii, nihil malevolentiæ; sed beneficentiæ plurimum: nam & Sol nobis surgit ac lucet; nobis volvitur cœlum, micant astra, candet Luna, nobis terra fruges suas profert, & nobis ipsa serviunt elementa; quod beneficentiæ argumentum, non odii indicium. Non igitur est ille *mundus magnus*, qui D. Anthonio liber erat, in quo crassiore charactere expressa legebat Dei sui vestigia, beneficia, amores; sed *parvus mundus*, id est homo: at quis ille?

I. Mundani. Primò, *Mundanus homo*: quisquis is est, ille Christum odio habet: quia mundi ac vanitatis amoribus implicitus, adeoque à Christo aversus.

II. Judæi. Secundò, *Judæi* homines mundani, id est terreni, lutei, qui nihil sapiebant nisi terram: Judæi dico, hoc est obdurata Cœlo capita, & duræ atque indomitæ cervicis homines.

III. Gentiles. Tertiò etiam *Gentiles*, erroribus insanis vitiisque addicti; & inde Christo adversi: vel si mavis, dic hos omnes una mundi appellatione comprehendi; imò & Christianos, qui nomine-tenus Christiani sunt, re verò ipsa minimè. Ii porrò sunt qui vita & moribus Christum non referunt, adeoque nec de

dc Christianismo sunt: Christianismus enim nihil est aliud quàm *Dei imitatio*, ut rectè S. Gregorius Nyssenus. *De profes. Christi.*

Verùm quod ab his & illis odium? Video odium, quandoque lauùs, quandoque pressiùs sumi.

Quod odiū? Laoùs sumptum, idem est ac *molestia* quædam nata ex importunitate. De hoc ita Plautus: *Iam hic me abegerit suo odio*, hoc est importunitate; vel *fastidium*: sic, ut ait Terentius, *Negotii quandoq; odium cepit*, id est fastidium.

Lib. diffinit. Pressiùs autem acceptum, *odium*, *est vetus ira ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseverans*, ita Augustinus: vel

L. 4. Tuscul. *Est ira inveterata*, ita definitur à Cicerone, vel denique ut Divus Thomas; *Odium est dissonantia appetitus animalis, vel rationis ad apprehensum, vel disconveniens.* *Qu. 12. q. 29. art. 1.*

Est autem hoc duplex: Dei & proximi. *Odium Dei est filia Luxuriæ*: *Odium* verò *proximi filia Invidiæ.* Et hæc de Latina voce odium: Hebraice dicitur *Sineh* à verbo *Sanek*, quod etiam significat hostiliter infestare; habet enim cognationem cum nomine *Ason*, id est *nocumentum*, & rectè; quia nocere studemus iis, quos odimus.

Et hæc de nomine quæstio; de re autem ipsa quæro quod illud odium quo mundus & Christum primò, ac deinde Apostolos est persecutus? In hoc id statuo.

Primò odium illud fuit *Ira vetus* concepta jam inde ab ipsa mundi infanna; & hoc quidem à malis Angelis, qui à suo scelere Cœlo detrusi, beatam illam sortem hominis invidere cœperunt; & inde in illis generis humani odium, quod *filia* fuit *Invidiæ*.

Hoc porrò odium infelici & longa propagine transfuderunt in mundum, hoc est in Judæos, Gentiles, & mundanos omnes, qui & Christum & Apostolos odio habuerunt: hoc est ira vetere, ira inveterata, ut qui ab initio conditi Orbis concepta, in hunc usque diem perseveret, & perseverabit usque ad illius occasum.

Secundò odium illud fuit *dissonantia quadam appetitus* verè *animalis*, hoc est expertis rationis, qua Judæi ac Gentiles, imò & mundani apprehenderunt & Christum & Apostolos, sibi disconvenientes, sibi dissimiles, sibi contrarios.

Et certè fuerunt omninò disconvenientes: nec enim mundo convenit cum Christo & Apostolis.

Mundus enim opes, honores, delicias, libidines amare solet ac deperire: contrà illi paupertatem, contemptum, jejunia, corpusculi macerationes amplecti, & libidinem aversari ac fugere. Et hinc illorum odium: ut enim similitudo motum causa est amoris; ita & dissimilitudo odii, ut in Ethicis docuit Aristoteles.

Cap 15. v. 19. Et hinc illud Salvatoris ad Discipulos: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus*: odit, inquam, non odio, quod sese in animo continet; sed quod etiam foras erumpit: Et inde

Tertiò pronuntio odium illud fuisse veluti *hostilem aliquam infestationem ac nocumentum.* Cùm enim & Christum & Apostolos odisset mundus, operosè studuit illis nocere quàm maximè. Hinc exquisita suppliciorum genera, equulei, catastæ, rotæ, cruces, ignes, aliaque cruciandis illis adinventa.

Et hoc mundi fuit odium, in quod etiam incurrerunt Apostoli SIMON & JUDAS. Venerant hi Sunamuram Babylonicæ provinciæ urbem celeberrimam, in qua primùm in eos odio commoti à magicis artibus nominati duo, Zones & Arphsxad; deinde & sacerdotes idolorum cultores ac ministri: ab his in vincula conjecti: tum eductus SIMON ad templum Solis; JUDAS autem ad fanum Lunæ, ut illic deorum simulacris immolarent: quod nefas esse dum dicerent Apostoli, ad preces illicò conversi: & ecce, mirum dictu visuque! & idolorum simulacra sua mole ruere, & ex iis stygiorum Æthyopum forma excedere dæmones, & inconditis clamoribus ac mugitibus omnia complere cœperunt.

Id miraculi Gentiles illos atque Idololatras in admirationem amoremque vertere debuit; at contrà vertit in odium, in furias, in cædes, in vulnera, mortes: mox enim ab illis cæsi, concisique Apostoli, religioni Deoque cecidere victimæ nobiles: Ecce ut mundus illos odit. nec mirum cùm & ipsum Salvatorem prius oderit: & hoc ipsum est, quod diu ante illis sub oculos posuit, dum ait: *Scitote quia me priorem vobis odio habuit.*

Atcur, inquies, illud, *Me?* Monosyllabum est, in quo tamen multa comprehenduntur & latent, quæ Discipulis altiores faciant animos, & ad patiendum promptiores; dum enim ait, *Me*, alios atque alios patientiæ titulos aperit. *Cur me!*

Primò enim *Caput* est Christus, nos illius quasi membra: at membra decet consentire capiti: hoc si odio habitum, & illa quoque haberi necesse est; quia, ut scitè D. Augustinus, non est æquum ut *se membrum super verticem extollat*; & verò quisquis es; ô Christiane, *recusas esse in corpore si odium mundi non vis sustinere cum capite.* I. *Me, qui sum Caput.*

Secundò, Christus est *Dei Filius* & naturalis quidem; tu verò hominis Filius es, imò terræ Filius; *At Filius Dei passus est*, & quidem *ut nos filios Dei faceret: & filius hominis pati non volet ut esse Dei filius perseveret?* Volet enimverò si Dei filius esse volet. II. *Dei Filius.*

Tertiò, Christus *mundi factor & Dominus*: & hic tamen ut is esset; at odio haberi se passus est, despui, verberari, derideri, fœdis vestiri, fœdius coronari, & *saginari* quodammodo *voluptate patientiæ discessurus* voluit: Et tu eadem non dico saginari; sed nec leviter refici voles? Voles profectò si illius & opus esse, & à natura quod es, servus esse velis. III. *Mundi factor & Dominus.* *Tertul. l. de Patientia, c. 3.*

Quartò, Christus *Salvator* est, *qui cùm in hominis figura proposuisset latere, nihil de impatientia hominis imitatus est*; ut & tu de ea nihil imitaretis, sed potius plurimum de Salvatoris tui patientia, qui ut *Agnus ductus est ad victimam*, & immanibus injuriis affectus, *ne unius quidem dissentus gladium ultorem probavit*: Imò quod stupeas & ames *Patientia Domini in Malcho vulnerata est; Unde & gladii opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione, ei quem non ipse vexaverat, satisfecit per patientiam misericordiæ Matrem*, ut per eamdem tibi maledicenti, imò & malefacienti satisfaceres. IV. *Salvator.* *Tertul. supra.*

Quintò, Christus *Deus* est, qui tibi (non verbo quod efficax; sed exemplo, quod efficacissimum esse solet ac debet) ostendit *Patientiam Dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis*, ut & tu quoque, quà licèt ab insigni patientia, illius naturam ac proprietates studeas æmulari. V. *Deus.* *Tertul supra cap. 4.*

Verùm hîc obmurmurabit unus aliquis & obtrudet: ut hæc omnia vera sint; at naturæ fragili, at homuncioni è luto argillaue malè compacti grave, acerbum, intolerabile in omnibus quæ habet bonis pati; in fama injurias; in facultatibus damnum; in corpore dolores; in medio vitæ cursu, imò quandoque in ipso limine, mortem immaturam. Huic ego.

Sextò loco adjicio illud Tertulliani, quod *idoneus patientiæ sequester sit Deus*; proindeque *si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si denique mortem, resuscitator est.* Ecce *quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem*, imò & remuneratorem. Et hinc VI. *Sequester patientiæ.* *Supra c. 15.*

Septimò, est illud, quod in æstu persecutionum, quod in vinculis, in tormentis, in ipsa mortis imagine Discipulorum Christi erexit animos, quod audaces VII. *Remunerator.*

audaces fecit omnia perpeti: quod probè nossent habere se Deum patientiæ suæ non solùm debitorem; sed & remuneratorem munificentissimum: quem dum suspicit amatque D. Bernardus, stupore & amore victus exclamat:

Hom. 47. in Cant. *Vtrumq; es mi Domine IESV, & speculum patiendi, & premium patientiu; & pugnantis forma, & gloria triumphantis. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ Tu caput meum post victoriam tua coronas præsentia majestatis, sive quia pugnantem te aspecto, sive quia te expecto non solum coronantem; sed etiam coronam: in utroque mirabiliter te mihi allicis; utroq; funis vehementissimus ad trahendum.*

Qui deinde Bernardo funis fuit, fuerat ante Apostolis, fuerat & Divis SIMONI ac JUDÆ, eritque & nobis, si ii sumus qui esse volumus, Christiani.

IN FESTO SANCTORVM OMNIVM.



HOc die, qui Sanctis omnibus sacer est ac solemnis, prælegitur ea concio, quam olim è monte CHRISTVS ad Discipulos, & subjectam turbam habuit. In quo pia Mater Ecclesia facit quod sapiens solet: is primò finem, quem intendas, sub oculos ponit; deinde media, quibus illum assequaris. Finis est beatitudo; media virtutes illæ, quas longa serie subjicit.

Facit etiam, quod solent sagittarii; qui primò scopum, ad quem colliment, aspiciunt; tum in eum sagittas expediunt ac dirigunt. Scopus est beatitudo; sagittæ, quibus eum petas, virtutes: his enim petitur, & obtinetur beatitudo: Ideóque de hac & illis pauca

EX D. THOMA.

Matth c. 5. ELabitur S. Doctor ad sensum mysticum; & ad illa verba, *Videns IESVS turbas ascendit in montem*, distinguit septem turbas, quas temporibus diversis vidit Deus oculis divinæ suæ bonitatis.

Serm. ex Evang. Prima turba, quam vidit initio temporis, fuit turba Angelorum, quos in beatitudine confirmavit: & his accomodat illa verba *Beati pauperes spiritu*, id est humiles; quia ab humilitate beatitatem adepti, à qua superbus Lucifer cum suis excidit.

Secunda turba fuit Patriarcharum; quos vidit, eos Fide illuminando. Et his attribuit illud: *Beati mites*; quia à mansuetudine sua adepti sunt terram promissionis.

Tertia turba fuit Prophetarum, quos vidit spiritu Prophetiæ, ceu luce quadam illustrando. Et in hos cadit illud: *Beati qui lugent*; quia his luctus fuit, & lacrymæ ob mala quæ præsent ebant.

Quarta turba fuit Apostolorum, quos vidit dum prædicationis causa in Orbem emisit universum. Er his aptat istud: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*; quia his fames fuit ac sitis justitiæ ac salutis omnium.

Quinta turba fuit Martyrum, quos vidit in tormentis consolando. Et his convenit illud: *Beati misericordes*, quos scilicet etiam persecutorum tetigit misericordia.

Sexta turba fuit Confessorum, quos vidit, eos luce scientiæ illuminando. Et his tribuit illud: *Beati pacifici*. nimirum hi amore pacis se à tumultu segregabant.

Septima turba fuit Virginum, quas vidit sibi quasi sponsas copulando. Et ad has dirigit illud *Beati mundo corde*; quia his munditia, corporis & animæ fuit in primis curis atque amoribus

Postquam has turbas vidit, *ascendit in montem*: Et quidem triplicem:

Primus mons, fuit *Patris Divinitas*: in hunc ascendit ab æterno in sua generatione.

Secundus, *Matris Virginitas*; & in illum venit in Incarnatione.

Tertius, *Cœli sublimitas*: in eum transiit in Ascensione.

In prima Ascensione apparet *Æternitas*: & in hac adorandus. In secunda, *Humanitas*: & in illa amandus. In tertia, *Gloria*: & in ea desiderandus.

EX D. BONAVENTURA.

Psal. 83. DIscedit ab Evangelio, & accedit ad illud Davidis: *Beati qui habitant in domo tua, Domine.*

Domus hæc, inquit, *est cœlestis patria.* In illa qui habitant beati.

Psalm. 111. 1. Quia *domus hæc opulenta. Gloria & divitiæ in domo ejus.*

2. *Domus ista lucida est*, ab increata luce Divinitatis, & à creata ipsius humanitatis: *Lucerna* quippe *ejus est Agnus.*

Serm. 6. 3. *Domus hæc secreta est*, nec enim eã invenit malus.

4. *Domus hæc est firma*, utpote fundata supra firmam petram, id est Christum.

5. *Domus illa est ornata*: ut cœlum Sole, Luna ac Stellis ornatur; sic illa domus Christo, Virgine & Sanctis ornatur, imò & ipsa Divinitate, quæ Princeps est illius ornamentum.

6. *Domus hæc est munda*: quisquis enim in eam ingreditur, necesse est ut sit sine macula.

7. *Domus hæc est jucunda*; quia in ea nihil auditur nisi gratiarum actio, & vox laudis: *Steterunt duo chori laudantium in domo Domini*, inquiebat Nehemias. *Hi sunt Angeli & homines beati.* Esdræ c. 2.

Ubi hæc dixit de domo Domini, & sede beatitatis; tum ostendit quibus gradibus in eam ascenderint quotquot ascenderunt; gradibus scilicet magnorum virtutum: Et quidem Serm. 2.

1. Ipse

1. Ipse Christus innocentia sua, ut agnellus.
2. Regina Cœli, Virgo Mater, humilitate & obedientia.
3. Angeli constantia in bono.
4. Patriarchæ largitate sua, & eleëmosynarum profusione.
5. Prophetæ Fidei luce ac studio veritatis.
6. Apostoli insigni paupertate, & rerum omnium despicientia.
7. Martyres illustri patientia.
8. Confessores abstinentia singulari.
9. Virgines castimonia ipsis Angelis invidenda.

QUÆSTIO PRIMA

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illam voculam: *Beati.* Matth. c. 5. vers. 3.

QVID SIT BEATITVDO? ET IN QVO SITA?



Lib. 3 de Consol. Philosop. Prosa 2.

SEVERINUS Boëtius notus à calamo & rara eruditione, sed notior ab illustri vitæ sanctimonia, *Beatitudinem esse* dixit *statum bonorum omnium congregatione perfectum.* Res magna & paucula verba, quæ tamen singula vim habent, & pondus immensum: lubet ea accuratius expendere.

Beatitudo cur est status.

Primùm enim Beatitudo dicitur *Status*, quia stabilis & constans, nullique unquam mutationi obnoxia: hanc quisquis adipiscitur, statum adipiscitur; in hac enim una datur status: extra illam status nullus; sed perennis est fluxus & mutatio.

Teipse primum attende, ô homo, tuamque naturam intrinsecus aspice; in ea statum non habes. Conciperis embrio, nasceris infans, fis deinde puer, tum adolescens, tum etiam vir, tum demque senex & seniculus: itaque in nullo ætatis gradu statum habes, sed ab uno ad alium transis.

Teipse attende, & hoc quod geris, corpus ceu urbanam animæ vestem; nec in illo status ullus: Crescis enim continuò ac decrescis: dum nutriris crescis; decrescis autem dum nativo calore perpetuò aliquid absumitur; & sic fortè ut ne una quidem pars sit in senili corpore, quæ fuit in infantili.

Teipse attende: & hunc quem geris animum, principem utique tui partem; & neque in hac est status ullus; jam enim hilaris est; jam tristis, jam sedatus, jam iracundus, jam liber ac suus, jam alienæ cupiditatis servus ac mancipium; jam assentitur, jam dissentitur; jam odit, jam amat; jam suspicit, jam despicit; jam sapit, jam delirat, numquam sibi similis, numquam idem est secum; sed sibi semper dissimilis; & alius à seipso.

Qualis amabo te, ô homo, qualis est iste status? Qualis flori, qualis umbræ; ut proinde cum hac & illo te meritò componat Jobus: *Homo quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra.*

Cap. 14. v. 1.

Flos egreditur è terra, virescit, floret, arescit, excidit, conteritur. Sic homo è materna alvo egrederis velut è terra: virescis in juventute, flores in ætate virili, arescis in senili, excidis in morte, & contereris ut pulvis & cinis; ita flos es, ô homo quantus quantus es.

Sed & umbra es, & fugis velut umbra, quæ nullibi consistit. qui enim consisteret cùm umbra sit, & inane corporis simulacrum, cujus motum sequitur, eumque perennem.

Et cùm is sis, ô homo, quomodo statum habeas? Certè non habes, adeoque nec à teipso beatitudinem, quæ est *Status.*

Sed neque in his, quæ te circumstant, ô homo, statum habes.

Circumstat te locus, sed in hoc modò moveris, modò stas, modò cubas; & non in lectulo, sed in capulo jaces. Ecce ut neque in eo status.

Circumstat te tempus. & quid illo fugacius: *Truditur dies die; & novæ pergunt interire Lunæ*, & tu cum illis truderis atque interis; ideoque neque in his status.

Circumstant te bona fortunæ, opes, divitiæ, ampla possessio, sed & hæc fugacia sunt: *Irus & est hodie, qui modò Crœsus erat.* Adeoque neque in his est status.

Nos quidem pusilli mortales suaviter hic somniamus varios status, Baronum, Comitum, Marchionum, Principum, Ducum, Regum, Imperatorum: sed & in his omnia in ancipiti & lubrico sunt, omnia mutationi subjecta, quot vidimus ut ex illo dignitatis culmine ad ima non dejiceret adversus aliquis casus, & quæ humanis in rebus ludit Divina potentia; at tandem ex eo dejiceret *mors* ipsa, quæ *sceptra ligonibus æquat.* Neque igitur in his est status, adeoque nec Beatitudo.

Venio ad alterum quod beatitudinem facit: neque enim solùm est *Status*; sed etiam *bonorum omnium congregatione perfectus.*

Ubi porrò hunc invenies? An in terra & mundo hoc aspectabili? An in ullo mortalium? Minimè gentium: Ut enim uni demus bona corporis, vires, valetudinem, formam, & alia omnia: at deerunt animi bona; ingenium, solertia, judicii maturitas, tenacitas memoriæ, artes, scientiæ, quæ in uno aliquo nunquam omnes: at deerit virtus, quæ præcipuum est animi decus atque ornamentum: & ut hoc adsit; at deerunt fortunæ bona: si enim alicui natura sit parens: at eidem fortuna noverca erit. Nunquam igitur hic bonorum omnium congregatio, adeoque nec beatitudo. Quidquid hîc magnum ac felix habetur, est illud formosissimo pomo simile, cujus medium vermiculus perrodit.

Finge tibi fortunatissimum, qualem aiunt fuisse Q. Metellum. Hic Valerio teste à prima origine ad ultimam vitæ metam per omnes beneficiorum gradus ad summæ felicitatis culmen ascendit.

Natus enim Romæ urbe principe, Orbis capite, parentibus nobilissimis: raras habuit animi dotes simul & corporis. Conjugem genere parem, pudicitia conspicuam, prolibus fœcundam. Decus Consulatus, Imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextum. Eodem tempore tres vidit filios Consulares, unum etiam Censorium, duos Triumphales, quartum Prætorium. Tres etiam filias nuptui dedit, earumque sobolem numerosam suo sinu excepit.

Inter tot partus, tot incunabula, tot viriles togas, tot nuptiales faces, tot honorum Imperiorumque culmina, nullus adversus casus fuit, funus nullum, gemitus nullus, tristitiæ mœrorisque causa omnino nulla.

Et hæc fuit vitæ scena, hic actus, quem illi consentaneus & felix excepit finis; nam Metellus in extremæ senectutis spatio, & levi mortis genere inter oscula complexusque charissimorum suaviter extinctus est. Mortuo, filii ac generi ultima reddiderunt officia, & suis humeris defunctum per urbem

extulerunt, & rogo imposuerunt?

Quid illo homine felicius? Quid beatius? *Cœlum contemplare*, inquit Valerius, *& vix talem ibi statum reperies.*

Ep. 7. c. 1.

At falleris, ô Valeri, falleris. Quæcumque fuit ea felicitas, ea beatitas pomum fuit speciosum, cujus medium vermis arrosit, vermis mortis. Et hic naturæ finis, hic præcipitium fortunæ: in quibus mortalia ruunt omnia, & voragine sepeliuntur profundissima. Una stat beatitudo vera, nunquam ruitura, nunquam sepelienda.

At in quo sita est illa? Hæc est secunda quæstiu quam intulimus; cui ut fiat satis, dicendum beatitudinem aliam esse, atque aliam.

Una enim consideratur per modum status. & illam jam descripsimus ex Boëtio.

Beatitudo objectiva.

Altera per modum objecti, & hæc est Deus, summum utique bonum, in quo omne bonum, & extra quem nihil simpliciter bonum. Et hic dicitur & est *Beatitudo objectiva.*

Exod c. 33. v. 19.

Hujus amantior Moses sic olim ad Deum suum: *Ostende mihi gloriam tuam.* Et audiit à Domino: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Utique meipsum.

Posttema *Beatitudo* est *formalis*, qua scilicet apprehenditur ac possidetur objectum Beatitudinis: licet enim hoc in se sit ejusmodi ut beare possit; at beatum nunquam reddet nisi apprehendatur ac possideatur; sicuti divitiæ non reddunt divicem nisi possessorem.

Beatitudo formalis.

Quæ autem sit illa, adhuc est sub lite inter Theologos; qui dividuntur in tres opiniones, è quibus

1. 2. Qu. 3. art 3.

Prima est D. Thomæ, qui beatitudinem formalem reponit in actu intellectus: hoc est in aperta & clara Dei visione, consecutio, possessio; in qua una, ait, est formalis beatitudo.

Altera, Beatitudinem formalem vult esse sitam in actu voluntatis; scilicet in amore beatifico, quo attingitur Deus ut Summum bonum: ita autem attingere est voluntatis, est amoris. Ita Scotus & Schola Scotistica.

Tertia, quæ est veluti media, censet beatitudinem formalem consistere tam in actu intellectus, quàm voluntatis; tam in visione, quàm amore. & hanc amplexus olim D. Bonaventura.

Et hæc Authorum inter se pugna est de ratione, ut loquuntur, essentiali ac præcisa beatitudinis formalis; quam relinquo Scholis agitandam: ego enim hic pulpitis loquor, & scribo, & perfectam omnibusque suis numeris absolutam beatitudinem requiro, & hæc non solum actum intellectus, hoc est visionem Dei claram requirit; sed & actum voluntatis, id est amorem; imò & gaudium, quod ex eo sequitur velut quædam illius passio.

Sicque beatitudo formalis erit Dei visio. Dei amor, & enatum ex hoc & illa gaudium: quod gaudium est velut aliqua quies & dulcedo, quæ appetitum rationalem sanat atque explet: & sic sanando atque explendo beatum facit.

Ad hoc porrò servum bonum & fidelem invitat Dominus è Cœli regia dum sic ad illum: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Est autem gaudium illud duplex, ut duplex quoque visio & duplex amor: Beati quippè vident Deum ut Summum bonum in se, & ut Summum bonum etiam sibi. Et similiter amant ut Summum bonum in se. & hic est amor amicitiæ ac benevolentiæ: & Summum bonum sibi. & iste est amor concupiscentiæ, quodque ex hoc & illo consequens est: gaudent de Deo, ut in se Summo bono, & hoc est gaudium amicitiæ ac benevolentiæ: & gaudent de Deo, ut etiam sibi Summo bono jam à se adepto atque possesso. & istud est gaudium concupiscentiæ. De singulis pauca.

QUÆSTIO SECUNDA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illam vocculam: *Beati.* vers. 3.
QUANTUM BONUM BEATITUDO OBJECTIVA?



N promptu est responsio: Quantum Deus ipse. At quantum Deus? Hic alta nox, quam non penetrabit oculus; hic abyssus immensa, quam non pervadet unquam ulla ingenii acies, nec humana, nec Angelica.

Quid enim sit Deus, nemo novit nisi ipse qui est Deus; & nemo noscet vel æternitate tota, nisi Deus.

Cicero l. 1. de Natura Deor.

Vulgatum illud Simonidis Philosophi, qui rogatus ab Hierone Rege Siculo, quid esset Deus; diem unum huic considerationi petiit. elapso autem illo, necdum liquere dixit: biduum proinde in eandem deliberationem postulavit. Elapso biduo triduum expetiit, & hoc etiam elapso ingenuè fassus est plus sibi occurrere cogitandum, quò plus cogitaret; & plus implicari, quò magis explicare se conaretur. Itaque cum ea cogitatione luctari desiit.

Et meritò: etsi enim in illa & dies & annos & sæcula impendisset; imò & ipsam si voles æternitatem, numquam ab ea se expedivisset, numquam ea attigisset illud, Quid est Deus.

Et inde à Sapientibus probatum illud Platonis in Timæo: *Quid Deus sit, non novi; quid non sit, novi.*

Animo si vules elabere in omnes omninò creaturas: in plantis amœnam aspice viriditatem, concinnam in floribus venustatem: bonum equidem est; sed nec illud Deus.

Per vade ima terræ viscera, argentum erue, erue & aurum; & illius candorem, hujus ardorem demirare: bonum est illud; sed nec Deus.

Descende in aquarum abyssum, profundáque maria, & inde uniones & gemmas expiscare, unaque inæstimabilis pretii bonum: nec hoc tamen est Deus.

In cœlos evade, & sparsa illis sidera, ceu vasto corpori totidem ocellos intuere; Lunæ candorem, & Solis ignes suspice: & hoc illis est bonum; sed nec illud est Deus.

Discede ab illis, quæ sub oculis sunt, & accede ad ea quæ sub intelligentiam cadunt, ad immortales animas seu corpori adhuc immersas, seu etiam eo liberas: ingens illæ bonum; neque tamen Deus

Molire altius aliquid, & abi à teipso ad cœlestes Intelligentias, ad beatos Genios: majus illi bonum sunt; neque tamen ut Deus.

Quid igitur Deus? Quodvè bonum? Dicam cum Platone: *Quid Deus sit, non novi; quid non sit, novi.*

Quid igitur Beatitudo objectiva? Deus. cùm Deum dixi, omnia dixi. Dixi Summum bonum, Immensum, Interminum, Incomprehensibile, Inenarrabile, Inæstimabile, verbo uno omnia dixi: & cùm aliud nec in tempore, nec in æternitate occurrere possit, delabor ad beatitudinem formalem; & pro ea sit

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illam voculam : *Beati.* verſ. 3.
QVANTVM BONVM BEATITVDO FORMALIS, ſeu Viſio beatifica ?

1. 2. Qu. 4. art. 3.

T huic quæſtioni fiat ſatis, ex Divo Thoma, & aliorum Theologorum placitis id ſtatuo, tria ineſſe in Viſione Dei, quæ requiruntur ut dicatur & ſit *Beatifica*. Nimirum hæc: *Cognitio*, *Apprehenſio* & *Fruitio*. Termini ſunt in Scholis uſurpari ſoliti, & ſubobſcuri: & res ipſa etiam ſubobſcura, cui lucem addit R. P. Drexelius & declarat in pictura, quæ corporis oculis ſupponeretur. Sit illa Summi artificii & elegantiſſima.

Quid ſit Viſio beatifica?

Cælum l. 2. c. 15. §. 1.

Primò intuitu penicilli artificium, colorum varietatem, & venuſtatem imaginis commendo, quam video eſſe pulcherrimam: & hoc *Viſio* dicitur, ſeu *Cognitio intuitiva*.

Deinde hæc ipſa imago manibus meis committitur, imò donatur mihi; ideò cum ea domum me capeſſo. Hoc Theologis *Apprehenſio* dicitur; & poſſeſſio.

Deniquè cùm domi ſum, pictæ huic tabulæ aſſideo, avidus & quietus eam ſpecto, nec ſpectando ſatiari queo; nec ab ea ſpectanda avelli. Et hoc eruditis *Fruitio* appellatur.

Quantum ſit bonum probatur.

Et hæc quidem tria diſtincta ſunt, & alio atque alio tempore fiunt: at in caſu, de quo eſt quæſtio, eadem ſunt & eodem momento fiunt.

Eadem quippe *Cognitio* & eſt *Viſio Dei* & *Apprehenſio*, ſeu conſecutio, & poſſeſſio, & *Fruitio*. Quod enim corpori eſt oculus, hoc intellectus eſt Animæ beatæ, cujus ſcilicet eſt oculus.

Huic elevato per lumen gloriæ Divinitas objicitur, ut oculo corporis pictura.

Divinitatem apertè, & clarè intuetur ut eſt in ſe: & ecce *Viſio*: quæ quia eſt actualis & vitalis cognitio, ac verbum mentis, quo veluti, quodam manus complexu eadem Divinitas quanta quanta eſt apprehenditur ac tenetur quodammodo, & eſt in poteſtate videntis; hinc fit ut eadem Viſio ſit *Apprehenſio*, *Conſecutio*, *Poſſeſſio*: quæ quia talis eſt, ut vi illius Divinitate frui poſſit pro ſuo deſiderio, & omnes voluptates, quæ ex ea, ceu fonte bonorum omnium manant, æternùm haurire, dicitur ea frui: & ecce *Fruitio*.

I. Ab illius definitione.

Habes itaque in intellectu beati actum vitalem unicum, qui ſimul eſt Dei *Viſio*, *Apprehenſio* & *Fruitio*. Quæ apprimè reſpondet tribus virtutibus Theologicis. Viſio quidem Fidei, Spei apprehenſio, Charitati fruitio, quaſi beato dicatur. Vide quod credidiſti, apprehende quod ſperaſti, fruere eo, quod amaſti.

Ex quibus id conficio, quod *Cognitio beatifica ſit Dei Viſio apprehenſio*, *Poſſeſſio*, *Fruitio*; in quibus quia ſita eſt beatitudo formalis, eam dicimus Summum bonum, quia Deum videre, apprehendere, poſſidere eóque frui non poteſt non eſſe Summum bonum & ſumma Beatitudo.

Et hoc petitum ab illius definitione, ab ejuſdem deſcriptionibus etiam addamus nonnulla: hæ enim quia ad ſenſus magis accedunt, magis etiam accedunt ad animum.

Davidi, qui totus ad Deum aſpirabat & beatitatem, *Viſio beatificata ſalus eſt*: hanc cogitatione & votis dum prenſat avidiùs, ſic ad Deum: *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* II. A deſcriptionibus.

Eidem eſt *Fons*; & quidem *Vita*; ad hunc aſpirat, ut cervus ad fontes aquarum; fontes dico, quos ut haurit, & vitam haurit, & quidem æternam. *Apud te*, inquiebat, *eſt fons vitæ*. Pſal. 79. Pſal. 35.

Eidem *Viſio beatifica lumen* eſt; lumen, inquam, quod animæ beatæ ſit quod oculus corpori: hujus beneficio Deum, qui lumen eſt & fons luminis, videt: *In lumine tuo, videbimus lumen*, dicebat David in exceſſu mentis.

D. Joanni, qui Chriſto fuit à ſecretis, *viſio beatifica eſt vita æterna.* Sic enim ad Deum & ad Diſcipulos ſuos: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum.* Ioan. c. 17.

D. Auguſtino, cui fuit entheus quidam ardor ſpiritus, *Viſio beatifica eſt ſummum præmium.* Sic enim ſcripſit aliquando libro de Trinitate. Cap. 13.

Quod ſi *Viſio beatifica* eſt *animæ ſalus*; ſi *fons vitæ*; ſi *lumen* & participatio quædam divinæ illius lucis; ſi ipſa *æterna vita*; ſi denique *ſummum præmium*: quid mirum ſi in ea repoſita ſit noſtra beatitudo; per illam enim aſcendimus ad explicatam claramque viſionem ſummi boni: in quo quæ felicitas ex aliis inferioris notæ bonis intellige. In ea beatitudo.

III. Explicatur aliquomodo à ſimili.

D. Catharinam Senenſem excitabat ipſa Dei bonitas ad procurandam animarum ſalutem: ad quam ut iret ardentior, petiit hanc ſibi à Cœlo gratiam, ut animas corpori huic, velut luto merſas, poſſet in ſeipſis explicatè & clarè intueri. datum illud propitio Numine.

Itaque Catharina jam non amplius hærere in veſte ornatuque corporis, & externis illis phaleris, non etiam in ipſa corporis fabrica, membrorum conformatione, & ipſius oris ac faciei venuſtate; ſed illicò ad animam penetrare: & hinc amor, hinc ardor, hinc zelus animarum, hinc ad Patrem, qui ſibi erat à confeſſionibus ſæpiùs ingeminare amantis illud: *O Anima, quàm pulchra, quàm pulchra es, ô anima.* Verè opus excelſi, caput & compendium operum Dei. O ſi eam videres, mi Pater, non dubito quin illius causâ centum, ſi tibi forent vitæ, eas prodigeres. A Viſione Animæ in ſe.

Ille ipſe favor conceſſus aliquando S. Ignatio Societatis JESU Fundatori. Videbat ille animas in ſeipſis, in eſſentia ſua ac natura; & hinc amor, hinc cura, hinc ardens eas Deo lucrandi ſtudium, cui totus ipſe incubuit, & ſuos etiam incumbere voluit. S. Ivre, 2. Part. l. 3. ſect. 17.

Quæ Catharinam, quæ Ignatium detinuit animæ pulchritudo in ſe ſpectata: eadem & B. Angelam de Fulginio; quæ ſic olim de ſeipſa ſtylo ſimplici, ſed candido:

In feſto S. Mariæ Candelariæ, anima mea facta eſt repræſentatio ſumet, & vidit anima mea ſemetipſam tanta nobilitatis & altitudinis, quantum nunquam potueram cogitare, nec aliàs credere poſſem quod anima mea, vel animæ, quæ in Paradiſo ſunt, poſſent eſſe tantæ nobilitatis, & anima mea non potuit comprehendere ſemeipſam. Bolland in ejus vita, 4 tan.

Hæc illa non sine stupore amabili, & excessu mentis.

A visione ejusdem in gratia.

Quod si ea est Animæ etiam in natura sua nudè quasi spectatæ; si ea, inquam, est venustas, ea pulchritudo, quæ videntem extra se rapiat, quæ amorem illius conciliet ac venerationem, & quæ ita distineat, ita pascat, ut videntem se quodammodo beet; quid erit si eam intuearis instructam Gratia, Charitate, aliisque cœlestium donorum ornamentis?

Si *bonum gratiæ majus est bono totius Universi*, ut docet Angelicus Doctor; quid erit granæ bonum intueri ac pervidere ut est in se. Si vel unico tantùm oculorum conjectu videre posses quidquid Orbe toto venustum, pretiosum, dives, amabile est ac delectabile; si vel tantùm videndo etiam eo frui, ac possidere illud omne; quàm felicem, quàm beatum te crederes illa visione: æquè, imò magis te felicem ac beatum existima visione gratiæ & animæ ab hac ornatæ; quia eam videndo, vides bonum, quod majus est bono totius Universi; & videndo, illud etiam possides, illo frueris.

Sed quid si ad Gratiæ decus ac lucem adderes etiam gloriæ; quo in pretio tibi esset etiam hujus visio? Eo certè quo ipsa gloria; nam etiam ab illâ quasi manu quadam gloriam teneres ac possideres, est enim visio gloriæ vitalis quædam illius cognitio ac possessio: quod si consecutione, ac possessione gloriæ beatum te putares; puta etiam illius aperta visione; puta visione alicujus animæ jam in Cœlis gloria donatæ aliquo modo te beatum.

A visione illius in gloria.

Tantum scilicet bonum est illa visio. Quod si tantum; quantum erit ipsa visio Dei, qui fons est omnis boni, omnis gloriæ, omnisque beatitatis? Certè propè tantum quantum ipse Deus, hoc est summum.

IV. A pœna damni seu privatione Divinæ visionis

Quod explicari potest ac probari à contrario. Docent primò Theologi damnatis à Deo vindice duplicem infligi pœnam, & meritò, quia duplex in omni peccato lethali malitia. Una scilicet *aversio à Deo*; & huic respondet *pœna damni*. Altera *conversio ad creaturas*; & hanc manet *pœna sensus*.

Docent deinde *pœnam damni* longè majorem esse pœna sensus; hæc enim ut æterna sit, fluxu scilicet infiniti temporis; attamen finita est in se: at illa in se est infinita, quod è duobus principiis facilè evincetur.

Primum si pateat quid sit *pœna damni*. Alterum, unde petatur privationis alicujus malum. Ut hoc & illud clariùs explicetur.

Primùm id suppono, quod extra litem est, quod *pœna damni sit privatio; privatio* scilicet *Divinæ visionis*.

Secundò, quod omnis privatio tantum sit in se malum, quantum est bonum cujus est privatio. Exemplo res erit illustrior: *Tenebræ* sunt *privatio lucis*, adeoque aliquod malum: At quantum illud? Quantum scilicet ipsa lux bonum. *Cæcitas* est *privatio visus*, indeque etiam malum, & tantum quantum visus est bonum. *Surditas* est *privatio auditus*, & hinc etiam homini malum: Quantum inquies? Quantum illi bonum fuisset auditus. Et idem de aliis esto judicium; adeoque etiam de illa, de qua in præsens est quæstio.

Pœna damni est privatio Divinæ visionis. Quantum igitur malum? Quantum bonum Divina visio cujus est privatio. At rursum quantum bonum Divina visio? Si ex objecto petas, tantum quantum Deus ipse: At quantum bonum Deus? Infinitum.

Igitur & Divina visio ex objecto bonum infinitum; igitur & ejus privatio malum infinitum. Igitur & pœna damni malum infinitum, quia est privatio infiniti boni, nempè Dei.

Hæc pressiùs & logico more modoque dicenda putavi, quæ facer Orator pro sua facundiæ pulpito fusiùs explicabit ex artis suæ præceptionibus ac figuris: Ego enim hîc verbis parco; & quodde privatione asserui, hoc & de damno, ex cujus notione etiam ostendo quantum bonum sit Beatifica Visio. Cujusvis damni magnitudo peti potest ac debet ex magnitudine boni quod eripit.

V. Ex notione vocis damnum.

Grave damnum ex mulcta decem aureorum millia pendere; gravius si centum, si mille, si centum millia, si millionem; gravissimum si aureos omninò infinitos, si thesauros omnes possibiles. Cur ita? Quia majus damnum, quo majus bonum quod abstulit. At pœna damni abstulit infinitum bonum, quod est Deus; igitur & illa summum est damnum. Quod si summum est damnum; igitur & summum malum: quod si summum malum; necessum est ut bonum, quod eripuit, sit summum: at illud est Visio beatifica; igitur & hæc summum bonum.

Quod dum animo versat, & æqua lance ponderat Propheta Regius, sic olim ad Deum: *Ne projicias me à facie tua*; quia scilicet ab illa projici summum malum; sicut ad eam videndam admitti summum est bonum.

Quod ipsum innuisse visus est Christus Dominus cùm omnem Angelorum felicitatem in hac una Patris Æterni visione, velut compendio, explicavit, dum sic ad Discipulos in pusillorum commendationem: *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in Cœlis est*: quasi in ea visione tota felicitas, certè radix & origo totius felicitatis; quæ vel ex eo etiam patebit, quòd eadem Dei visio nos in Deum transformet: quod SS. Patres explicant hac similitudine: Si aquæ guttula in dolium vinarium infundatur, & colorem vini & saporem & odorem induit, fitque vinum: Sic & anima beata per Dei visionem quasi Deo immersa atque absorpta, in eum quodammodo transformatur, tanta scilicet est ejus cum illo conjunctio, unio tanta, similitudo tanta; tanta in Deum immersio, major quàm esset guttulæ immersio in mare. & hinc voluptatum omnium affluxus inexplicabilis atque æternus, quem etiam, quantum homini fas est, in apertu ponunt alia similitudine.

Matth. c. 18. v. 10.

VI. Ex transformatione in Deum.

Soli meridiano objiciatur globus aliquis Cristallinus, isque diaphanus totus; illius luce undique circumfusa ita cingitur, ita penetratur ac pervaditur, ut Solem alterum crederes: ita lucet & ardet.

Quod globo illi, hoc & animæ beatæ: objicitur illa Increatæ luci & Fonti luminum: illum etiam visione quasi oculo pervadit ac penetrat, & vicissim ita pervaditur ac penetratur ut Solem alterum diceres, certè perfectam Solis illius, id est Divinitatis, imaginem. Ita nimirum *quos Deus præscivit, prædestinavit* etiam *conformes fieri imaginis Filii sui*. Ea porrò conformitas, ea imago, est à Beatifica visione: an non ergo hæc Beatitudo & Summum bonum?

Ad Rom. c. 8. v. 29.

Sed & hoc ex alio capite petitur, videlicet ex aliis atque aliis illi objectis: quæ sint ista, aliquo rerum ordine ac serie docebo.

VII. Ex objectis illi Visioni.

Primùm igitur, Anima beata in Deo videbit Divinam naturam, & omnes Dei perfectiones: Sapientiam, Bonitatem, Potentiam, Immensitatem, Misericordiam, Justitiam, Sanctitatem, Pulchritudinem, Æternitatem, & quidquid est in illo perfectionis, eòque aspectu se pascet atque oblectabit; longè aliter quàm oculus in pictura amœna colorum varietate, & imaginis etiam perfectissimæ delineatione.

I. Naturâ Divina.

Secundò, Videbit arcanum illud, & altissimum Sacratissimæ TRINITATIS mysterium; quî Filius à Patre ab æterno genitus sit; quî Spiritus Sanctus ab hoc & illo processerit; qui una Divinitas, & in ea una Divinæ Personæ tres inter se distinctæ atque discretæ.

II. Mysterio SS. Trinitatis.

Tertiò,

III. Mysterio Incarnationis, & aliis Fidei. Tertiò, Videbit nexum illum amabilem, vinculum illud admirabile, quo Divina & humana natura in unam Æterni Verbi Personam convenêre; sic ut Deus esset homo, & homo Deus, stupendo Divini amoris ac potentiæ miraculo. Videbit deinde & alia Fidei nostræ mysteria atque imprimis Eucharisticum illud, quod hic subobscurè credidit. Et hæc erit prima Fidei merces, de qua extat illud D. Augustini: *Hic creditis, ibi videbitis.*! Lib. 2. de Civit. c. 31.

IV. Cœli domo. Quartò, Videbit immensam Cœli domum, & altissimum hoc Numinis palatium, tam amœnum, tam dives, tam nobile, ut præ illo omnes Regum turres, & superba quantumvis ædificia hirundinum niduli, & columbaria rectè censeri possint.

V. Beatis omnibus, tam hominibus quàm Angelis. Quintò, Beati singuli universos tam hominum, quàm Angelorum Ordines aperto atque explicato mentis oculo cernent: & quod erit obstupescendum, non confusam illam hominum, & Angelorum multitudinem; sed omnes sigillatim tam homines, quàm Angelos, tanquam sibi proximos in oculis habebunt, & singuli & singulorum, & omnium numerum, merita, dignitatem & gloriam discernent: & quæ in eo aspectu Beatitas; quæ felicitas tot ac tantos cœli Principes intueri?

VI. Inferis & damnatis. Sextò, Videbunt deinde Beati ipsos inferos, & omnia inferorum tormenta, rogos, incendia, & iis immersos tum homines, tum Angelos, eorúmque numerum ac scelera, propter quæ in ea venêre præcipites.

Hæc autem visio ipsis inferis ac damnatis accidet longè gravissima; ut qui tota æternitate beatis omnibus ostentui futuri sint ac ludibrio. At verò contrà ipsis Cœlitibus erit quàm jucundissima, ut qui ab illis Dei ter Opt. ter Max. beneficio liberi, & æternùm quidem. Hinc Empyreo toto audietur lætum illud Davidis: *Benedictus Deus, qui eripuit animam meam à morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.* Psal. 114.

VII. Divinæ Providentiæ viis. Septimò, Videbunt etiam in Deo Beati abstrusas illas ac mirabiles Divinæ Providentiæ vias, quibus hos veluti manu duxit in semitas justitiæ; alios ad invia iniquitatis deflectere permisit: hos bonis omnibus in hoc ævo mortali affluere; illos malis propè cunctis obrui: & tam horum quàm illorum reconditas rationes: Denique seriem totam amabilis illius Providentiæ ab ipsis mundi cunis, ad extremam usque periodum; & quæ omni ævo, omni loco unquam gesta; maximè verò quæ pro salute sua ac beatitate.

Ex hac porrò scientia longè latéque fusa per omnes Divinæ Providentiæ vias enascetur in Beatis admiratio, amor, gaudium, & tota æternitate nunquam finienda gratiarum actiones.

VIII. Omnibus Creaturis. Octavò, Videbunt Beati res omnes creatas, seu eas velis quæ aliquando fuerunt, seu etiam quæ modò sint, seu denique quæ futuræ sint.

Erit enim illic Deus velut *Theatrum* aliquod Universi, in quo spectabunt omnes creaturas, quæ quavis ætate in vitæ mundíque scenam prodiêre: Vel si malis cum Divo Thoma,

Erit illis Deus quasi speculum quoddam voluntarium, quod exhibebit creaturas omnes longè perfectiori modo, quàm specula nostra objecta sibi corpora repræsentent. De quo intuitu sic aliquando Divus Bernardus.

Beatus *videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum; nec opus est ex his, quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare: neque ut vel ipsa noverit, ad ipsa descendit; quia ibi illa videt, ubi longè melius sunt, quàm in seipsis.* Lib. 5. de Consid. c. 1.

IX. Etiam possibilibus. Nonò, Videbunt Beati etiam possibilia velut inclusa in Dei ter Opt. ter Max. Omnipotentia: non tamen omnia; sed alii aliis pauciora, aut plura pro alio atque alio appulsu luminis gloriæ, & enatæ inde Visionis. Ipsa tamen Anima Christi creaturas omnes, etiam possibiles, intuebitur scientia Visionis; & hoc singulari quadam prærogativa, & luce mentis altiore ei quodammodo debita ex gratia Hypostaticæ Unionis.

Et hæc summatim dicta sint ex ipso sanioris Theologiæ ac Theologorum sensu, cui pondus adjiciet etiam unius è Cœli Regia testimonium.

Narrat Ludovicus Blosius Divæ Gertrudi Virginem sacram à morte visam, quæ mira pandebat de cœlesti gloria. Cui Gertrudis fidentiùs, Etunde, inquit, hæc tibi omnia; utpote quæ inter simplicissimas habebaris? Cui iterum illa hoc addidit stylo notandum meliore: *Deum semel conspexisse, est omnia didicisse.* Monil spirit. c. 14.

Verùm ut hæc omnia didicisse ac vidisse sit aliqua pars Beatitatis; at præ ipsa Dei Visione, exigua & propè nulla: hæc enim est unica, vera & summa Beatitudo.

QUÆSTIO QUARTA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illam voculam: *Beati.* vers. 3.
QVANTVM SIT BONVM BEATITVDO FORMALIS, seu amor beatificus, & enatum ex eo gaudium?

PRIMA quæstio quæ hic incurrit, est Quid sit amor, & quidem generatim? Altera, Quid Amor beatificus? Tum etiam quæ illius causæ? Tum denique qui effectus? De his & illis pauca.

Quid sit Amor? *Amor Dei*, qui Græcis θεοφιλία dicitur, *est rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter se.* Ita Divus Augustinus de doctrina Christi.

Hæc definitio convenire potest tum *Amori Dei*, qui est *in Via*, & *Charitas* appellatur, nititúrque obscuræ cognitioni, quæ est à Fide: tum etiam *Amori Dei*, qui est *in Patria*, & dicitur *Beatificus*, sequitúrque ad claram atque apertam Dei Visionem.

Inter hunc & illum amorem magnum omninò discrimen est; ex clara enim Divinæ essentiæ contemplatione statim enascitur in Beatis amor, qui potentissimè ipsos in Deum trahit, sic ut nullo modo possint se cohibere: Et hæc est amabilis necessitas, quæ non sequitur ad obscuram cognitionem, quæ habetur à Fide. Et hinc etiam

Amor beatificus dicitur raptus voluntatis in Deum ut summum bonum.

Dicitur *Impetus in Deum*, quem scilicet voluntati imprimit Summum bonum clarè propositum.

Dicitur *Pondus*, quo in Deum ut centrum suum fertur: quod enim pondus in corporibus; hoc amor in spiritibus. quod sic explicat D. Augustinus:

Lib. 11 de Civit. c. 28. *Velut amores corporum sunt momenta ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur. Ita corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumq; fertur.*

Et hæc petita sunt ex analogia quadam corporum & spirituum: cùm enim amor sit actus spiritualis, à nobis vix aliter intelligi aut explicari potest, quàm per similem analogiam, ex qua tandem conficies descriptionem Amoris beatifici, quæ erit ejusmodi.

Quid Amor beatificus? *Amor beatificus est pondus & impetus, & tractus naturæ spirituali accommodatus, quo fertur in Deum ut Summum bonum, & centrum æternæ quietis.*

Et hæc breviter ad primam quæstionem, à qua transeo ad secundam, quæ scilicet illius beatifici Amoris sint causæ: ex his enim quis sit, clariùs elucescet.

Quæ illius causæ? Eæ porrò sunt quatuor: *Voluntas*, seu *Anima vi volendi prædita*; *Habitus charitatis*; *Visio*; & *Essentia Divina*: quæ aliter atque aliter ad Amorem beatificum concurrunt; videlicet *Voluntas* & *Charitas* ex parte potentiæ: nisi enim voluntas concurreret non esset amor ille vitalis, nec animæ vita, ac proinde nec eam beatam redderet. Et nisi *Charitas* etiam concurreret, non esset supernaturalis, adeóque nec Deo dignus.

Visio autem & essentia Divina ex parte objecti concurrunt. *Essentia* quidem ut objectum, à quo suam habet speciem ac formam. *Visio* autem ut illud applicans & admovens potentiæ. Et hæc de causa, de qua fusiùs P. Lessius de Summo bono, Capite undecimo.

Descendo ad effectus ejusdem *Amoris beatifici*: ex his nosces quis & quantus sit ille: ut enim ex fructu noscitur arbor; sic & ille ex iis, quæ in anima beata operatur ad stuporem & miraculum.

Qui effectus? Primus effectus est *Ecstasis*. Hunc Divino amori tribuit S. Dionysius, dum sic in Libro de Divinis nominibus, Capite quarto, Parte prima:

Amor Divinus ecstasim facit, non sinens amatores esse sui juris; sed in jus eorum, quæ amantur penitus transferens.

Est autem illa *Ecstasis* in duobus posita.

I. Ecstasis. Primùm in eo, quod sic amantes à seipsis quodammodo exeant, nihilque de suis cogitantes, nihil appetentes, nisi quod Deum spectet.

Secundò, quod cogitationes omnes affectúsque in Deum, seu dilectum transferant. Sic Anima incensa amore illo beatifico extra se egressa, tota est in dilecto, & dilectus in illa totus: sic non sibi, sed dilecto vivit; sic non sui juris est, sed Divini; sic non jam ampliùs sua, sed Dei: & hæc est Ecstasis, qua à seipsa abripitur, & in dilectum rapitur velut ecstatica.

II. Unio & Transformatio. Alter effectus est admiranda quædam *Unio*, amantis cum dilecto, & velut *transformatio* in dilectum. Habet enim amor *vim unientem & commiscentem*, ut pulchrè annotavit D. Dionysius.

Fa fit duobus modis. Hæc porrò Unio ac Transformatio fit per quandam liquefactionem, & demersionem in abyssum Divinitatis: qui cum sic amant, ita effervescunt ut sibi toti liquescere videantur, & à suo esse creato deficere, & in abyssum Divinitatis demergi atque absorberi, ibíque se feliciter amittere, & feliciùs in Deo invenire, & in illum quasi abire ac transformari: quasi suum esse, suum sensum, suámque naturam jam exuissent; & Deum ipsum, ejúsque essentiam, vitam, lucem, sensum induissent. Quî autem fiat istud, paucis accipe.

Dicuntur Beati intrare in abyssum Divinitatis.

I. Per Visionem. Primò, *Per Visionem*; sicuti enim qui Deum non videt, quasi foris stat, imò procul ab illo distat; quia Deus se habet ad illum instar procul absentis: ita qui Deum clarè videt præsens illi est, neque hæret quasi exterius in superficie; sed intro ingreditur, & in illam abyssum se immergit quantum potest. Et hoc primum.

Secundò, *Intrat in abyssum Divinitatis per Amorem.* Amor enim intra dilectum commorari vult, quia hic ipsi est locus, hæc requies, hoc centrum, hæc securitas, & omnia. Et hinc quò major est amor, eò profundius sese immergit in oceanum illum, in abyssum Divinitatis. II. Per Amorem.

Dicuntur deinde Beati *se perdere in* eadem *abysso Divinitatis* secundùm suum esse creatum, & rursum invenire secundùm suum esse increatum. Et hoc quidem duas ob causas: è quibus hæc

Prima, quia ibi vident se esse instar nihili ad illud pelagus Divinæ Essentiæ.

Secunda, quia in eadem Dei essentia inveniunt se esse præstantiori modo quàm in seipsis, videlicet tanquam in causa atque exemplari.

Dúmque hoc vident, sese illi immergunt per amorem, in ea absorbentur per amorem, in eam transformantur per amorem.

Sic autem immergi, sic absorberi, sic transformari summa est felicitas, Beatitudo summa.

Et hæc de Amore beatifico, à quo ascendo ad gaudium, quod ex illo fluit ac manat: & de illo primum quæro, Quid sit? Deinde quæ illius causæ? Tum quæ vis, quæ magnitudo? Ex amore sequitur gaudium velut complementum motuum animi, & ultima perfectio, qua obtenta quiescit ille, nec ampliùs quid desiderat. Gaudium Beatificum.

Ut enim in corporibus est impetus aliquis ad centrum, quò cùm perventum fuerit, est quies; nec ulterius tenditur: sic in spiritibus, & animabus cognitione præditis est amor proprii boni, & desiderium, quo obtento, in illo est quies quædam vitalis, nec ultra tenditur.

Quod in omni amore, hoc vel maximè in beatifico; amore scilicet Summi boni clarè visi: ex illo enim necessitate quadam amabili sequitur gaudium, & in illo quies aliqua vitalis, nec ultra tenditur. Quod ut magis pateat.

Primò id generatim statuo, quod *Gaudium sit affectio animi, alicujus boni præsentis opinione concepta.* Quid sit gaudium?

Ex qua deinde addo, quod *Gaudium beatificum sit quædam suavitas, & dulcedo vitalis orta ex Summo bono præsenti clarè cognito & amato.* Hoc Beati anima seipsam formaliter oblectat, & miro dulcedinis sensu perfundens conquiescit. Et hæc gaudii beatifici descriptio, quæ Quid Beatificum?

Primò dicitur *Suavitas & dulcedo*; ut enim scitè Divus Augustinus:

Verus amor non sentit amaritudines, sed dulcedines; quia amoris soror dulcedo, sicut odii amaritudo. Lib. 13. Confess.

Quod si in ullum amorem id cadat; maximè in beatificum, cujus objectum est Summum bonum; in quo nihil esse aut fingi potest non summè amabile; & extra quod nihil ex se amabile.

Additur deinde *Vitalis*, quia est ab Anima, ceu vita prima; & ab actu voluntatis, ceu vita secunda.

Tum etiam dicitur *Orta ex Summo bono præsenti clarè cognito & amato*: Si enim non esset amor; nec gaudium esse posset: & si bonum non esset præsens & clarè cognitum; nec de illo gaudium esset: quia gaudium nec concipitur, nec est motus animæ per modum appetitionis ac prosecutionis boni; sed in modum passionis, ac quietis alicujus vitalis, quæ non est nisi in præsente & clarè cognito: Si enim absens sit, est objectum desiderii: & si non clarè cognitum, habetur quasi absens.

Et hinc delabor ad causas ejusdem *Gaudii beatifici*. Eæ sunt omninò quatuor; videlicet: 1. *Summi boni præsentia*: nisi enim esset præsens, non esset objectum gaudii. 2. *Cognitio boni, & illius præsentiæ*: sicut enim nihil incognitum amari potest, ita nihil incognitum oblectare. 3. *Amor hujus boni*; quia sine amore non reputatur bonum, adeóque nec causa gaudendi. 4. *Anima* tanquam vitale subjectum Quæ illius causæ?

illius

illius gaudii; ex quo scilicet & in quo vitaliter excitatur ac residet.

Quæ magnitudo? Ea petitur è 3. Capite. Venio ad tertium, quod mihi initio proposui, Quæ scilicet sit, quæ magnitudo gaudii beatifici? Ea ducetur è triplici fonte.

I. Ab objecto. Primùm ex magnitudine boni quod obtinetur, vel delectat: at illud summum est, immensum, infinitum, æternum (nempè Deus ipse ter Opt. ter. Max.) igitur & gaudium summum, immensum, infinitum, æternum sit oportet; adeóque eminentissimo quodam modo continens omnia hujus mundi gaudia, quæ vel sensu percipi, vel etiam intellectu comprehendi possunt, imò illa superans infinitis omninò parasangis.

Finge tibi, ô Anime (liberæ enim sunt tuæ cogitationes, libera & vota) Crœsum unum aliquem, cui gaudium sit quale quale voles ab auri pondere, ab argenti massa, à luce gemmarum & unionum; quantum putas erit illud gaudium præ beatifico? Quantum scintilla ad ingens incendium, imò infinitè minus.

Finge Alexandrum, cui ab Orbe domito, & rebus in bello gestis magni nomen & gaudium; Quantum illud præ beatifico? Quantum lucerna ad Solem, imò infinitè minus.

Finge Cæsares, Pompeios, & sexcentos alios sceptro verendos, ac purpura nitentes; Quantum ab his gaudium præ beatifico? Quantum gutta ad oceanum, imò infinitè minus.

Ratio est in aperto; quia omne gaudium quod à boni creati possessione amoveque esse potest, finitum sit oportet, uti & finitum omne bonum unde hauritur: at quod à Deo, bono utique infinito, petitur, infinitum: finiti autem boni ad infinitum nulla proportio; igitur neque & gaudii.

II. A visione Beatifica. Alterum è quo magnitudo gaudii beatifici mensuratur, est perfectio potentiæ quæ percipitur ac possidetur: ea verò est potentia intellectiva elevata per lumen gloriæ, & Beatificam visionem; eaque ratione suprema.

III. Ab amore Beatifico. Postremum denique ex magnitudine amoris, quo amatur: at amor ille Beatificus est, adeoque etiam summus. Igitur & ex Beatifica visione, & ex amore Beatifico, ut gaudium summum sit, est necesse.

Et hoc est gaudium quod Oraculo primæ Veritatis *Plenum* appellatur, dum sic ad Discipulos:

Joan. c. 16. v. 24. *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Gaudium enimverò quod à Deo Summo bono habetur omni ex parte plenum; quod autem à creaturis, aliqua parte semper vacuum.

IV. A Divino gaudio. Accedit & aliud unde enascitur gaudii Beatifici magnitudo. Nimirum ex ipso Divino gaudio, quo de se quodammodo gaudet ipse Deus. Ut enim infinitè se comprehendit, & infinitè se amat; ita & infinitè de seipso, & à seipso gaudet: at in illud gaudium intrat anima beata. Ut enim per visionem intrat in abyssum Divinitatis, intrat & per amorem; ita etiam per gaudium intrat in abyssum, in pelagus Divinorum gaudiorum, ad quod blandè invitat dum ait:

Matth. c. 25. *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Ita invitavit ipse Salvator S. Geminianum Episcopum Mutinensem. Hic mortalis ævi pertæsus ad beatam aspirabat Æternitatem, eamque à Christo multis precibus efflagitarat; qui tandem famuli sui

Bollandus in ejus vita 31. Jan. c. 4. votis annuit, & hæc illi cœlesti voce: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, quia hactenus laborasti & oneratus fuisti, faciam te intrare in gaudium Domini tui.*

Et hoc est gaudium, de quo D. Anselmus explicans illud Christi ad Discipulos: *Petite & accipietis ut gaudium vestrum sit plenum.*

Proslogii c. 26. *Inveni*, inquit, *gaudium plenum, & plusquam plenum. Pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine gaudio; adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes; sed toti gaudentes intrabunt in gaudium Domini.* Hoc est velut in abyssum, & pelagus quoddam gaudiorum, quo cingentur undique, & in quo æternùm habitabunt.

Ita autem intrare, ita cingi, ita habitare, an non summa felicitas, Beatitudo summa, Voluptas summa?

Est enimverò summa, atque inexplicabilis in seipsa: quam ideò primùm à simili explicabimus; deinde etiam à dissimili, uti fecimus in Visione Beatifica.

In Monil. spirit. c. 14. Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis, vir æterna memoria dignus, refert B. Brigittæ dictum à Christo: O filia si videres pulchritudinem beatarum Animarum, aut etiam sanctorum Angelorum sicuti sunt in Cœli regia, cor tuum præ ingenti gaudio disrumperetur.

Quod si cor Brigittæ, & cujusvis mortalium dissiliret illicò, & rumperetur ab immodico appulsu voluptatis enatæ ex uno vel beatæ Animæ, vel etiam Angelorum beatorum aspectu; Quis erit æstus, quis impetus cœlestium gaudiorum ab ipso intuitu Divinitatis?

Certè quantum interest inter Animas illas, & Angelos etiam donatos beatitate, & ipsum Deum; tantum necesse est interesse, inter gaudium quod ex illorum ac Dei visione enascetur, hoc est infinitè: quod etiam à dissimili ostendo.

Teste eodem Abbate Blosio, dixit aliquando Dominus Catharinæ Virgini: meministi Filia, quod cùm tibi à sensibus abductæ diabolum propria specie terribilem vel puncto tantùm temporis demonstrassem, tu tibi quodammodo reddita dixeris: Malo per prunas nudis plantis ambulare usque ad supremum Divini Judicii diem, quam formam adeò terribilem rursus intueri.

Itanè verò truculenter deformis est ille Dei hostis satanas, ut suavius videatur etiam tenellæ Virgini ignem tolerare ad annos & sæcula, quàm illum vel momento aspicere? At unde ea deformitas ac turpitudo? Utique à peccati macula, quæ illi adhæsit.

Quod si ita est, à contrario quæ & quanta erit voluptas, Deum intueri abyssum Sanctitatis & omnis formositatis atque amœnitatis fontem? Ea certè quam nec capere possit mens humana, nec lingua exprimere.

S. Gertrudis aliquando dixit, & verè: Si universi homines & linguas & voces & calamos & vires omnes suas explicarent atque conjungerent, nec unicum verbulum conformare possent quo dignè Beatorum voluptatem, & Cœli gaudia vel exprimerent, vel etiam attingerent.

Quod ipsum ingenuè fassa est B. Angela de Fulginio, quæ cùm aliquando alienata à sensibus venisset in aliquam cognitionem bonitatis illius ac pulchritudinis infinitæ, sibi restituta dixit: Ea omnia, quæ vel Scripturæ sacræ testimoniis, vel Sanctorum oraculis, vel Doctorum virorum lucubrationibus dicta scriptavè essent ab ipso mundi exordio, nihil esse ad *medullam illius Divinæ Bonitatis; nec etiam unum granum mihi in comparatione totius mundi.* Bollandus in ejus vita 4. Jan. c. 11.

Quod si ita est (uti reipsa est) hîc stylum sisto, mi Lector, & ingenuè profiteor illud. De Beatitudine multa dixi, pauca dixi, imò nihil dixi. Omnia dicet aliquando, & animis nostris, ceu tabulis inscribet Increatum Patris Æterni Verbum.

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad illa verba: *Quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Matth. cap. 5. vers. 10.

CUR ECCLESIA PRO RELICTA SIBI AB INCARNATO Verbo Sapientia, fidelibus hodie ostentet illud: Quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum?

Rationes. NE opinate id casu factum, ne etiam humana providentia, ne eorum sensu ac calculo, qui Missarum solemnia aut invenerunt, aut digesserunt; sed altiore consilio, ejus scilicet qui Ecclesiam, ceu Sponsam regit ac moderatur, Dei nimirum ter Opt. ter Max. Et hoc quidem ob gravissimas rationes, è quibus

I. Cœli aspectus. Prima, ut nos è terris in cœlos oculo duce traheret; doceretque ex hoc exilio patriam, è cœno Cœlum aspicere, locum ac sedem futuræ aliquando nostræ beatitatis. Nos curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes, & lutum, & luteas domos prono semper vultu aspectamus: sursum erigendus oculus.

Act. c. 1. Ita erexerunt Apostoli, ad quos sic Angelus: *Quid statis aspicientes in Cœlum.* Stabant nimirum excelsæ illæ mentes, & cœli novi, hoc est Ecclesiæ, Intelligentiæ: *Stabant*, inquam, erecto vultu, erectis oculis, erecta in cœlum mente, & viam legebant, qua Christus in sublime ascenderat, *aspicientes in Cœlum.* Quid enim potius?

Cùm in Orbem nascendo venit Christo, silentio venit, noctu, ignotus occultusque: at cùm Cœlum ascendit centum & viginti spectatores, homines ex omni numero selectissimos ad hoc spectaculi accivit. Quo consilio? Non alio quàm ut in cœlos oculo duceret.

Ita deinde duxit Turonensem Præsulem MARTINUM, cui sanctissimæ vitæ initium, progressum ac finem dedit continuo cœli aspectu. Hinc & *Cœli suspex* nominatus est, & meritò: fuit enim Cœli suspex & in omni vita, & in morte. Inde extremæ illæ ad Discipulos voces: *Sinite me Cœlum potius, quàm terram aspicere, ut suo jam itinere, iturus ad Dominum spiritus dirigatur.*

Ita etiam seipse direxit S. Ignatius Loiola minimæ Societatis JESU Fundator, qui in Domus solario, è quo liberior erat Cœli aspectus, humili scabello insidens, & natantibus oculis beatas illas poli sedes identidem suspiciens, à se quodammodo alienus: *Heu*, dicebat, *quam mihi sordet terra cùm cœlum aspicio.*

Et verò quidni sorderet? Quid enim ad Cœlum terra? Quid luteæ casæ ad Dei Regiam? Quid mundus universus ad Beatitatem?

Verè & significanter dixit è D. Francisci familia Theologus Didacus Stella:

De contem. pru mundi, l. 3. c. 100. *Si tibi Deus hanc beatitudinem non altra media hora spatium largiretur, mille mundos huic similes deberes spernere.*

Et quia mundos spernere, & beatitudinem istam amare ambireque nos voluit S. Mater Ecclesia; hinc die sacro ac solemni Sanctorum omnium auribus, & oculis nostris objicit opportunum illud: *Beati.* Et hæc prima ratio, ex qua enascitur

II. Cõtemptus terræ. Secunda, insignis scilicet terræ & mundi hujus inferioris despicientia; Equidenim hic præ Cœli vastitate atque immensitate? Punctum est; quod tamen ferro, & armis dividere parant incauti mortales de cœlo inter se dividendo parum solliciti. Et hoc quia ignari cœlestium sunt, & Astrologiæ parum periti, & in Geographia plus æquo versati.

Fuit olim nescio quis sapientiæ candidatus, qui primò Geographum adiit, peritque per Orbem sese compendio duceret, doceretque varias regiones è charta nosce.

Mox ille hominem ad ingentem tabulam eduxit, & sermocinante manu hic Europam & Africam; istic Asiam & Americam ostendit, unoque quasi sub aspectu & Urbes, & Provincias, & Regna omnia mundi, & flumina, & maria posuit, & in parvo mundo magnum.

Eo audito ad Astrologum deinde deflexit, rogavitque ut cœlestium Orbium compositionem sibi explicaret. Fecit ille, & ingentem Sphœram versare cœpit, in illaque ostendere circulos varios, alios atque alios motus, Solis, Lunæ ac Planetarum cursus; quos dum avidiùs contemplatur, advertit in Sphœræ medio, seu centro, globum omninò parvulum, qui vix nucem æquaret;

Tum quærit ex Astrologo; Ecquis iste globulus? Terra, inquit ille. Hic discipulus hærere, stupere, & Magistro suo propè insultare; Ecquid enim aiebat, tantula tibi terra est? At certè longè major; imò maxima Geographo.

Hic subrisit Astrologus, & sic ad discipulum: Multum, inquit, interest Geographum inter & Astrologum; ac tantum ferè quantum cœlum inter & terram: certè tantum, si studia spectes, quæ tractant, si res ipsas: Geographus enim terram, Astrologus cœlum ostendit: illi terra magna est, quia terram tantùm aspectat; at huic terra minima & propè punctum, quia cœlos spectat, cœlos metitur, & præ his illa ex vero punctum est. Hæc ille, ex quo ad rem meam id conficio.

Quod si terra punctum est, Ecquis in illo ludat improbè? Ecquis illud æstimet? Ecquis illud ambiat & quærat? Nemo sanè, nemo unus omnium, si modò sapiens esse ac videri volet. Nemo si Astrologiæ veræ, id est Cœli ac cœlestium sit studiosus: at si Geographiæ studeat, si terræ totus incubet; terra, ut ex se & in se punctum sit, magna nihilominus videri poterit, in ejus scilicet sensu atque opinione; sed longè falsissima.

Talem affectis suis ac discipulis exhibet diabolus, Geographus peritissimus; & talem exhibere voluit ipsi etiam Christo Salvatori, cui velut in tabula, *Ostendit omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit: Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Matth. c. 4. Sed frustrà: Regna mundi contemnebat Rex Cœli, & eorum gloriam pro nihilo ducebat, qui unicam Patris Æterni gloriam requirebat.

Et ita contemnere te voluit, vultque etiam modò benè provida Mater Ecclesia, dum hac ipsa Sanctis omnibus sacra luce proponit illud: *Beati pauperes spiritu.* At cur beati? *Quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum*; quod unicum in pretio esse debet, cætera contemptui.

Et certè

III. Cœli desiderium. Et certè re etiam ipsa essent, si ii essemus, qui deberemus: Si enim nobis saperet cœlum, terra desiperet: at quia sapit terra; cœlum desipit.

Non desiperet si attenderemus quid sit cœlum. De eo certè magnificè pronuntiavit illud Mercurius Trismegistus: *Cœlum sensibilem esse Deum.* vel quia cœlum cæteris sensibilibus præstat ut sensibilis quidam Deus, vel quia Deus per illud potissimum sub sensum cadit: & tamen ut tale sit plerisque est contemptui.

Quid facias? Id commune hominum vitium est, quibus id usu venit, quod marinis piscibus: hi enim gaudent salsugine maris, aquis dulcibus necantur. Sic & illi amarissimis mundi voluptatibus oblectantur, & mel cœli fastidiunt. & hinc mihi ducitur

Tertia ratio petita tum ab ingenti Sanctorum desiderio, tum ab ipsius naturæ inclinatione, quæ in Cœlum votis omnibus, imò & suspiriis ascendit.

Bollandus 6. Ian. Sic ascendit olim S. Melanius Episcopus Rhedonensis, qui nunquam oculos ad cœlestes orbitas attollebat, quin præ ingenti desiderio totus in lacrymas funderetur.

3. Ian. Sic ascendit S. Virgo Genovefa, quæ cùm aliquando in excessu mentis Cœli gaudia vidisset, nunquam illud suspicere poterat, quin iret in gemitus, in suspiria, in lacrymas testes votorum suorum.

26. Ian. Sic ascendit S. Albericus Abbas Cisterciensis, qui in extrema ægritudine cùm suos subtristes vidisset, hilari ipse & amœna fronte voceque dixit: O Fratres mei, si Cœli regiam aliquando usurpassetis oculis, quam & mihi & vobis paratam vidi, toti essetis in illius votis ac desideriis: tum adjecit illud dignum cedro:

Vita præsens sit in tædio, futura in desiderio.

Palladius in ejus vita c. 17. Sic fuit etiam S. Macario, qui Cœli desiderio incensus, apud se statuit quinque omninò diebus ita mentem componere, ut nihil nisi de Cœlo cogitaret. Eo fine tuguriolum ita obseravit ut nulli pateret; tum initio tam arduæ contemplationis sic seipse cohortatus. En, inquiebat, ascendis in Cœlum, cave descendas: En beatorum Ordinibus interes: En Deo frueris; & porrò longùm fruere. Biduum ita exegit.

Non tulit mali dæmonis invidia eò tot votis aspirare Macarium unde olim ipse exciderat. Die quippè tertio illius casam ita visæ sunt populari flammæ, ut etiam storea, cui vir Sanctus insistebat arderet.

Potuit ea flamma tantisper arduam illam Cœli contemplandi virtutem sistere; at illius desideria sistere non potuit: exarserunt illa magis & ab ipsis flammis hauserunt unde crescerent. Horum porrò omnium ratio ex ipso naturæ sinu educi potest.

Terram hanc, quam calcamus; mundum aspectabilem, quo tenemur, aliter atque aliter spectabant sanctissimæ illæ mentes.

S. Virgo Genovefa terram ut exilium; Cœlum autem ut patriam reputabat.

Thomas Morus terram hanc & mundum veluti carcerem tolerabat; Cœlum verò tanquam sedem ac locum libertatis æstimabat.

Alii Cœlum credebant sibi esse quasi centrum, ad quod toto nisu atque impete ferretur animus; in eo unique quietem inventurus, cùm extra illud nulla penitus esset speranda quies.

Alii veluti nidulum, ad quem animus revolaret, ut ad suum avicula.

Alii velut Arcam aliquam Noëmi, ad quam mens candida, ceu columba, sese reciperet in immensa quasi hujus mundi eluvie, cùm non haberet ubi quiesceret pes ejus.

Cùm hæc de Cœlo sibi persuaderent Sancti, quid adeò mirum si ad illud totis animis anhelarent?

Certè peregrinus ad patriam redire contendit,

eamque desiderat; imò & fumum

Optat de patriis posse videre focis.

Cujus ea ratio, quam elegante metro explicat ille ipse Vates: *Ovid. l. 1. de Pont.*

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Allicit; & memores non sinit esse sui.

Quod si in natali solo, quod subinde etiam peregrino durius est atque inclementius, & in quo velis nolis sua tædia, sua sunt incommoda, sua pauperies atque egestas; nec enim *omnis fert omnia tellus.* Si, inquam, in illo ea est dulcedo, eæ illecebræ; quas esse necesse erit in cœlesti Patria, in qua amœna & ridentia sunt omnia?

Si captivus unus aliquis & vinculis solvi, & carcere excedere quàm citissimè laborat; quidni laboret animus, ut ex hoc mundo velut è carcere quamprimùm exeat. Certè carcer nulli gratus: è cavea, licèt aurea sit & gemmea, evolare contendit avis; quidni & è mundo hominis animus ut captivus esse desinat, ut liber esse incipiat, ac suus.

Terra sua gravitate ad ima semper propendet ac tendit, quia hæc illi centrum. Ignis è contrario ad superna rapitur, quia & ibi centrum invenit ac quietem: Et hoc quidem corpora, rationis, sensus ac vitæ expertia; & animus immortalis compos rationis ac Dei capax, non eò feretur ubi Deus, ubi centrum? Feretur enimverò, & quidem impete toto.

Si avicula quamvis alibi saginata ad patrios nidulos revertitur, ut in iis mollius ac securius cubet; Quidni & animus in cœlos ubi posuit nidum suum?

Si innoxia columba, quam ex arca emiserat Noëmus, ad illam converso cursu revolavit, & hoc quia neque in aquis pedem figere, neque cadaveribus insistere aut pasci poterat; quomodo mens humana, quæ è Dei potentia, ceu altiore Noëmi arca emissa est in hanc aquarum, id est mundi eluviem, non illicò in illius quasi sinum revolabit?

Ubi enim extra illam pedem, id est affectum, defigat? Ubi moretur? Ubi pascatur? Aquæ enim undique, & undique pontus, cadaveribus autem, id est creaturis, putidis illis & malè olentibus, insistere non potest: igitur ut ad Cœlum redeat est necesse; ibi enim arca, ibi Noëmo infinities melior Deus.

Et quia ad hunc redire nos voluit bona Mater Ecclesia; hinc illud opportunè objicit hoc ipso die *Beati, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.*

Accedit & alia ratio, ingens scilicet à Cœlo solatium in adversis, in tormentis, ipsaque mortis imagine. IV. Cœli solatium.

Testem volo etiam ipsum exemplar patientiæ Jobum. Jacebat ille nudus in sterquilinio ulceribus plenus & sanie madens; non hominem dixisses, sed vivum ac spirans cadaver. Unde in extremis illis seu fortunæ, seu corpusculi malis solatium? Utique à Cœlo, in quod Jobi oculus & animus abibat:

Scio, inquiebat, *quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & videbo Deum Salvatorem meum.* At ubi videbis? Certè in Cœlo, quò jam animus per vota præcessit. Et hoc illi in malis solatium.

Nec minus in tormentis Stephano Protomartyri; Quid ille inter minas, inter Judæos truces, inter crepitantium saxorum grandinem? *Video*, inquit, *cœlos apertos.* Et hoc videre ad solatium plus satis; etsi impluat in caput saxorum grando, nihil ad Stephanum, cujus oculus in cœlo est.

Nihil etiam ad S. Quintinum invictum Christi pugilem & Martyrem. Immani jussu Rictiovari præsidis virgis ferreis cæditur, liquata pice perfunditur. Quid inde? *Hæc omnia*, inquit, *mihi sunt refrigerio.* Mox Rictiovarus ut eas voces tam generosas intercluderet, potionem longè dirissimam ex aceto, sinapi, & viva calce misceri, & in os infundi jubet.

Quid deinde? *Et hec*, inquit, *mihi pro nectare & ambrofia.* Urget tyrannus, & digitos omnes inter carnem & uugues terebrari, geminumque veru per medium corpus ab humeris usque ad talos adigi jubet. Quid ad illa inclytus Martyr: *Et ista*, ait, *O Domine IESV, etsi amarissima, at melle & saccaro dulciora.*

At unde dulciora? Profectò ab ipsis Cœli benignionibus influentiis; ab his enim omnis tormentorum amarities dulcescit.

Tertul. l. ad Martyr. c. 2. Ab his, *aufertur carceris nomen, & secessus vocatur.* Ab his, *etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent*; & maximè ea via, *quæ ad Deum ducit*, hoc est Cœlum.

Ab his denique, *nihil crus sentit in nervo, quum animus in Cœlo est.*

Et quia etiam in bis, si fortè accidant, nihil sentire te voluit Ecclesia, ingeminat lætum illud: *Beati, quoniam ipsorum est regnum Cælorum.*

Addi potest & alia ratio, eaque ferè potissima, quòd inde sequi soleat ea vitæ & morum emendatio: Et ea quidem à spe ac promisso regni Cœlestis; in quo potentiores sunt illecebræ, quàm in omnibus seu carnis, seu mundi blandimentis. Exemplo erit etiam in purpura unus aliquis, de quo Baronius: V. Emendatio vitæ.

Anno Christi millesimo quinquagesimo septimo, cùm Orientis Imperator Michaël per Legatos urgeretur à Patriarcha ut Imperii fasces poneret, eosque cederet Isaaco Commeno; Michaël Legatos ingenuè interrogans: Ecquid sibi pro Imperio Patriarcha redderet? Illis respondentibus: *Cœleste Regnum.* Mox diadema & purpuram deponens, privatis ædibus se conclusit. Tantum in illo potuit Cœleste regnum, quod pro terreno sibi reddendum aliquando audiebat. Anno 1057.

Et quia idem audire te vult Ecclesia, & bonis fortè malè partis cedere, aut vitæ solutiori modum finemque ponere; hinc iterum illud ostentat; *Beati, quoniam ipsorum est regnum Cælorum.*

QUÆSTIO SEXTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Beati pauperes spiritu. Beati mites. Beati misericordes. Beati pacifici. Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, &c. Matth. cap. 5.

CVR LONGAM HIC VIRTVTVM SERIEM attexit Magister Optimus?



ITA nostra, ut longissima sit, peregrinatio est, terra exilium; Cœlum Patria, Beatitudo, terminus, ad hanc tendimus. At quâ viâ.

Hujus quæstionis nodum solvet Christus Magister optimus ea ipsa, quam hîc contexuit virtutum magnarum ac laborum serie.

At cur hanc contexuit, & quidem laboriosam illam ac difficilem? Certè ut doceret mollem non esse ad astra viam; sed per ardua virtutum ac laborum eundum esse.

Beatitudo filia *Beatitudo enim laboris & virtutis est filia.*

Percurre animo & cogitatione quæ hîc pro concione dixit Incarnata Æterni Verbi Sapientia, & in iis nihil leges nisi laboris & virtutis partus.

Laboris. Primò enim sic inquit: *Beati pauperes spiritu.* Ecce tibi paupertas, gravis illa quidem ac laboriosa; cui onera mille, mille juga; cui ingens cura & labor incumbit.

Secundò, *Beati mites.* En amabilis illa & animorum affectuumque conciliatrix mansuetudo, en regia virtus.

Tertiò, *Beati qui lugent.* En luctus, en dolor qui solet esse labori comes; en tristitia, quæ menti ab adversis oppressæ graviter incubat.

Quartò, *Beati, quia esuriunt & sitiunt justitiam.* Viden' ut in hac fame ac siti ardor quidem sit atque æstus animi concitati ad servandas æqui justique leges.

Quintò, *Beati misericordes*; & hæc cognata humanitati nostræ virtus, est misericordia, quæ aliorum miseriis atque egestati compati docet atque succurrere.

Sextò, *Beati mundo corde*: atque illa est munditties, ille candor, ille nitor, qui intelligentiæ ceu hominis oculo, aciem explicat atque exacuit, ut altiora se, imò Deum altissimum videat atque contempletur.

Septimò, *Beati pacifici*: & hæc est virtus quæ Dei filios docet, imò & facit: Pax scilicet alta, pax domi in conscientia, pax fons caritate ac benevolentia in omnes. Servos ac mancipia produnt noxæ, dissensiones, inimicitiæ, odia, cædes: Dei filium pax ostendit. Et Virtutis.

Octavò denique, *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Vocula unica *persecutio*; at quæ multa complectitur, imò universa quæ efferæ vis tyrannorum unquam aut invenit, aut exercuit; videlicet vincula, carceres, equuleos, catastas, rotas, cruces, ignes, & omne supplicii genus; quæ omnia justitiæ causa perferre, summæ est beatitudinis. Viden' ex his ut antiquum, ita & verum illud: *Beatitudo laboris & virtutis est filia.*

Et hoc patet vel ipso oraculo primæ Veritatis: quod tamen quia cæcis mortalibus obscurius accidit, imò & dulcius; visum est explicandum magis, & hoc aliis atque aliis Beatitudinis descriptionibus; iisque potissimùm, quæ quia sub sensum cadunt, etiam sensum magis afficiunt ac feriunt; nam illa beatitudo, quæ est in reipsa, sensus fugit, & vix cadit in intellectum, saltem adhuc corpori immersum. Sit ergo Quod probatur descriptionibus.

Prima, *Beatitudo* dicitur *Margarita.* Talis audiit vel ipso Christi testimonio; lubet illud excipere. Sic enim aliquando: I. Beatitudo est Margarita.

Simile est Regnum Cælorum homini negotiatori quærenti bonas Margaritas. Matth. c. 13.

Quis ille, inquies, *Negotiator*? Christus ipse Patris Æterni Filius, verbo uno Deus.

Quæ *Margarita*? Regnum Cælorum, cui scilicet illi simile pronuntiatur.

Quod ipsius est *pretium*, & quantum?

Tantum

Tantum scilicet quantum & ipsa beatitudo, qua quisquis potitur, nullius eget, ea quippe una abunde dives est.

Carolus XI. Francorum Rex cuidam Domicellæ prænobili monile pensile dedit, cui inscripta erat hæc epigraphe:

Qui m'a, n'a faute de rien.

hoc est, *Qui me habet, nullius eget.*

Quod dictum, etsi regium, certè aberrat plurimum à vero, & ex quadam adulatione, atque ostentatione dictum.

At de *Margarita* nostra, id est beatitudine, ex veritate pronuntiari potest, & sine ullo adulationis fuco: *Qui m'a, n'a faute de rien.* Qui me possidet, nullius eget. Et hoc primum illi pretium.

Alterum ducetur ex eo quod illi emendo abierit negotiator ille noster, & vendiderit omnia quæ habuit & emerit eam. Ecce datum pro ea pretium, & quidem à negotiatore longè peritissimo.

Verè enim abiit Christus è Cœli Regia, è sinu Patris, vendiditque omnia; famam, sanguinem, vitam ipsam, ut nobis Margaritam illam, id est Cœlum, emeret.

Ejus exemplo periti alii institores etiam à paterna domo, ab amicis, à sæculo abierunt & vendiderunt omnia quæ habuerunt, ut emerent unam illam beatitudinis Margaritam.

Appello ex eremo aviaque solitudine Paulos, Antonios, Arsenios.

Ex urbe Roma Orbis principe Alexios, & sexcentos alios.

Appello Agnetes, Lucias, Catharinas, Cæcilias, Virgines omnes & Martyres, quæ Margaritæ illi emendæ & facultates omnes suas & corpus & famam & sanguinem & vitam profudêre.

Ingens, inquies, pretium: ita fortè censebis ex humano calculo; at aliter ex Divino. Ecquid enim pretium illud quale quale est ad Regnum Cœlorum? Non tantum ac si dedisses cupreum teruncium pro sexcentis auri millionibus.

Verum ut ut sit, attamen ejusmodi est unde confeceris, quod intendo, beatitudinem non alio emi pretio quàm virtutis ac laboris: quod ipsum ostendo

II. Thesaurus. Secunda descriptione, qua *Beatitudo thesaurus* appellatur. Iterum ad Christi verba te revoco, mi Lector. sic olim ille:

Matth. c. 13. *Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro.*

Ut hunc invenias versanda terra, labore multo, sudore multo: Sic ut & Cœli regnum nanciscaris. Nec enim alio pretio emi potest immortalitatis purpura, quàm sudore & sanguine.

Sic illam emit ipse Christus, qui sub vitæ finem duplicem inter tormenta gessit purpuram; muricis, & sanguinis: muricis alienam; sanguinis suam. Et hanc tam in Pilati domo, quàm in Golgotæ clivo.

Et hoc quidem imposita quasi necessitate; de Luc. c. 24. qua sic sacer Historicus: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Si Christum pati oportuit; & te oportebit, qui ab eo Christianus dici & esse voles. Et hoc laboris erit: addo alterum quod virtutis. Est enim Cœli Regnum thesaurus; & quidem absconditus, non in terra, sed in Cœlo; hunc Christus quasi digito monstrans aiebat:

Matth. c. 5. *Thesaurisate vobis thesauros in Cœlo.*

At qui fiet illud? Misericordiâ in egenos; hæc tibi erit pro aurea clavi, clavi regia, qua absconditos in Cœlo thesauros omnes reserabis, & inde bea-Ibidem. tus eris. *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ab hac mihi dabitur

III. Corona. Tertia descriptio Beatitudinis: ea dicitur *Corona*, ad quam cœlestis Sponsus Sponsam suavissimè in-Cant. c. 4. vitans: *Veni, ait de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis; de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.*

Sed amabo te, cœlestis Sponse, unde Sponsam evocas? An ex amœnis viridariis? An ex hortulo, & molle ridentibus Areolis? Minimè Gentium.

Vocas *de Libano*, hoc est de monte nivoso, ubi perennes propè nives, ubi frigora, ubi tristis imago hyemis.

Vocas *de Amana, Sanir & Hermon* montibus utique præcelsis, in quibus abrupta viarum, immania præcipitia, & speluncæ ad stuporem, ad horrorem profundæ.

Vocas *de cubilibus Pardorum, de montibus Leonum.* Et inde tamen ad serta, ad coronas. Quid istud?

Audio in aurem hæc mihi. Ita enimverò ita est, inde rosas, inde violas, inde lilia, inde serta, inde corollas sponsæ meæ peto, inde texo.

E nive rosas, è rupibus violas, è saxis lilia & flosculos quæro, atque ex illis coronam contexo. Hoc est, non è mollibus, sed è duris; non è vallibus, ubi descensus facilis, sed è montibus, in quos ascensus ardui, gloriæ ac beatitatis coronas parari volo.

De montibus pardorum, de cubilibus leonum; hoc est e a cacodæmonum, quibuscum certandum & luctandum est, non secus ac cum pardis & leonibus; inde inde *Veni Sponsa mea, veni, coronaberis.*

At quâ coronâ? Eâ quæ Christi Sponsam hîc ad- Anton. Riccardus in Symb. decet. Corona Priscis erat, quam ipsi *Cylistam* nominarunt. Hæc non è rosis, aut ficis; sed ex aculeatis rosarum ramulis, & asperis ficorum foliis nectebatur.

Et hoc est sertum quod vitæ nostræ congruit, & quo redimiri Sponsam est necesse; aculeatis scilicet atque asperis.

Ita redimiti quondam inclyti Martyres *Frontasius, Severinus, Severianus, & Silanus.*

Hos S. Fronto primus Petragorensis Episcopus Bollandus in eorum vita 8. Ian. Evangelii prædicandi causa emiserat; cui officio dum seduli incumbunt. Primùm à Squiridone Præside comprehensi; deinde in equuleo distenti; tum ad exemplum Christi spinis ferreis coronati; denique capite plexi.

Jacuerunt aliquamdiu trunca corpora in viridi cespite, tum vi quadam altiore ad stuporem & miraculum sese in pedes erexêre, capitáque sua in manus sumpsêre; & per alveum fluminis quod *Ila* dicitur, sicco vestigio super undas iter suum direxêre; tum per clivum obvii montis venêre in ædem Divæ Virginis MARIÆ, in qua S. Præsul Fronto flexis genibus orabat.

Hic rei novitate attoniti omnes stupere, amare, inclamare invisum à sæculis prodigium: ac tum maximè cùm SS. Martyres ad pedes S. Episcopi Frontonis abjectos viderent capita sua coronatosque vertices ad illius pedes deponere, quasi nobiles exuvias, relatáque de tyranno spolia: quibus actis, rursum trunca corpora in crucis formam extensa sese molli instravêre solo: credères etiam post fata crucem amare, crucem exhibere, eámque etiam in sepulchrum inferre voluisse. Et verò intulerunt, Posteris exemplo futuri atque documento.

Sed non omnibus ea vis animi, non omnibus obveniunt eæ coronæ spinis ferreis horridæ; nec enim eas capiunt molles animulæ abjectáque capita.

Fateor equidem paucos omninò venire in felicem illam arduamque Martyrum sortem. Verùm ut in eam non admittantur, at saltem vocantur in aliquam virtutis illius societatem: & si minus ad ferreas & aculeatas coronas; at in molliores alias, quæ tamen etiam ex vero coronatæ sint, hoc est difficiles ac laboriosæ; cujusmodi sunt, preces fundere, noxas deflere, inediam tolerare, somnum frangere, indormire asseri, genium fraudare, cupiditatibus & sibimet acriter imperitare.

Et ista quidem difficilia sunt ac laboriosa: verùm ut ea sint, ex illis tamen velut è floribus sibi coronam immortalitatis parare debet sponsa, donanda utique alia in Cœlis corona.

At quænam illa? Alia erit atque alia in cœlesti patria: prout alius atque alius fuerit in via hac mortali labor; alia atque alia virtus.

Et hoc ipsum ostendit aliquando Deus servo suo
23. Jan. D. Joanni Eleëmosynario. Huic dormienti apparuit Virgo specie & habitu cœlesti, cui in capite corona ex virentibus olivarum foliis. Ad quam stupenti similis dum ait: Ecquænam es tu? Audit ab illa: *Ego sum prima filiarum summi Regis; si me amicam habes, te in illius conspectum ducam.* Ad hæc excitatus intellexit esse misericordiam & compassionem in egenos, cui *corona ex foliis olivæ*, symbolo compassionis ac misericordiæ; & hac in Cœlis ornantur Viri misericordiæ, & in pauperes effusi. Et hæc prima in Cœlis corona.

Altera erit *Aurea*: hac redimita Gerbergi Abba-
13. Jan. tissæ apparuit anima *B. Godefridi Cappenberg*, cum hac circa eam Epigraphe:

Tanquam Sponsam decoravit me corona.

Corona utique aurea, ab aurea caritate, qua dum viveret, effulsit.

Alia contexta erit *è pretiosis lapidibus*. Hac ornantur in Cœlis, quos in terris durus exercuit labor, quos, ceu lapides cœlesti structuræ paratos, afflictiones expolivêre. Sic D. Agnes Virgo & Martyr etiam in vivis *B. Birgittam* corona redimivit *ex septem lapidibus pretiosis ob toleratas patienter afflictiones*. Indicium utique illius coronæ, quam in Cœli Regia aliquando erat acceptura.

Sed & alia est *Corona, eáque è floribus*, mira varietate atque amœnitate composita; ea petitur è cœlestibus Areolis, iisque servatur, quibus Dei laudes in ore, sacróque cantu. Ea teste D. Gregorio fuit L. 4. Dial.
B. Meruli viri religiosissimi, qui totus erat in psalmo- c. 4.
dia. Huic sub extremum vitæ *apparuit ex albis floribus corona, quæ de Cœlo in caput ipsius descendebat.*

Et hæc visio illi data in amœna somni imagine, à qua mox evocatus ad requiem æternæ felicitatis. Ad hanc evocantur omnes, sed per labores, per sanguinem, per mortem ipsam.

His enim emitur cœlestis Corona beatitatis. Et quia his emitur, hinc opportunè S. Mater Ecclesia die Sanctis omnibus solemni in ipsa beatitudinum serie longam quoque contexit laborum ac patientiæ seriem; ut in hanc ipsi lubentes volentésque veniamus, si ad coronas venire aliquando desideremus

****

IN FESTO SANCTI MARTINI TURONENSIS EPISCOPI.



APUD Persarum Reges, asseclas inter & aulicos fuêre nonnulli, quos *Regis oculos* appellare placuit, quod per eos quasi videre; speculari, imò & subditos suos illuminare Reges ipsi viderentur.

Dicam ex verò in Ecclesia, ceu Aula summi Imperatoris, quosdam esse non Regis, sed *Dei oculos*, quos ideò adlegit, ut aliis & Doctrinæ lucem, & caritatis ardorem affunderent.

C. Oves 6. Qu. 1. Ii porrò sunt Episcopi, quos Pius Papa memorabili dicto pronuntiavit bonorum omnium authorem DEUM *sibi* velut *oculos adlegisse*.

Et ita cum summo Pontifice etiam censuerunt sancti Patres, qui Episcopos ac Præsules veluti cœlestes quosdam oculos habuerunt.

Orat. 23. Ita D. Gregorius Nazianzenus magnum Athanasium *sanctissimum Orbis oculum* appellavit.

Hom. 9. in Cant. Ita & alter D. Gregorius Nyssenus eos omnes, qui velut in specula *ad Ecclesiæ inspectionem* positi sunt, *propriè Oculos* nominavit.

Epist. ad Cæsarienses. *Lucernas* alii nominarunt: Sic Gregorius Senior, Theologi Pater, de Episcopis generatim dixit: *Ecclesiæ lucerna est Episcopus* constituta in candelabro latè lucens: cujus hanc rationem reddit: *Ut coruscantem dogmatum & actionum splendorem impertiatur.*

Quod si Ecclesiæ, imò & Orbis *Oculus* est Episcopus, quod si & *Lucerna* est; mirum certè nemini videri debet si D. MARTINO Præsuli & Episcopo Turonensi sacra luce id Evangelii prælegatur. Lucerna profectò fuit, fuit & Oculus; Lucerna Galliæ, Oculus Orbis MARTINUS fuit, ut paucis ostendemus.

EX

EX D. THOMA.

Serm. de S.Martino. ARgumentum sacræ dictionis ducit ex illo Mardochæi apud Estherem: *Scidi pallium meum, evulsi capillos, & barbam, & sedi mærens*: & ait

Eo loco notari posse, quæ fecit D. MARTINUS in triplici statu. Videlicet *Militis*, *Monachi*, *Episcopi*. Fuit enim primùm Miles; deinde Monachus; deinque Episcopus.

Miles pallium scidit, & eo pauperem texit.

Monachus capillos evulsit, hoc est temporalia (quæ capillis designantur) reliquit.

Episcopus mærens sedit: quia Episcopi est peccata subjecti sibi populi deflere.

Hæc Doctor Angelicus. Ex Seraphico hic nihil videtur huic festo accommodum; ideoque in præsens omittam, & ad quæstiones ex Evangelio petitas descendam.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum.*

Lucæ cap. 11. v. 33.

QUID HIC. LUCERNA? QUOMODO SUB MODIO? Quomodo super candelabrum?



Quid Lucerna? INTER varia symbola, quorum in sacris Paginis est usus, nihil fermè frequentius est *Lucernâ*, qua alia atque alia sub oculos ponunt.

I. Filius. Primùm enim *Lucerna* subinde Filium significat, qui est veluti Lucerna Patris extincti. Ita cùm Regius Vates canit: *Paravi lucernam Christo meo*, id est Filium ac hæredem, ut explicat
3. Reg. c.15. v. 4. Agellius. Sic enim *propter David* Abiæ Regi impio indulgens Deus *dedit lucernam in Hierusalem*; id est Asa filium ac Regni successorem, & quidem in paucis pium.

II. Reges. Deinde hac *Lucerna* voce quandoque intelliguntur Principes, Reges, Imperatores, qui in summo illo dignitatis culmine velut candelabro constituti, aliis prælucent, quà sapientia, quà pietate in Deum, quà etiam in subditos caritate.

2 Reg. c. 24. v. 17. Ita David omni sanctimonia perfectus, & sapientissimus Regni moderator *Lucerna Israel* fuit appellatus.

Ita deinde Theodosius Imperator Augustus ac Pius per lucernas, & quidem vi altiore, id est Divina accensas, ostensus est: cùm enim ad loca sancta venisset peregrino & vili habitu, quò scilicet tegi ac latere voluerat, templique limen attigisset, derepentè lucernæ omnes priùs extinctæ, divinitùs accensæ sunt: quod dum attonitus spectasset Æditus, detulissetque ad Joannem tum temporis Jerosolymorum Pontificem; hic à Deo edoctus sic ad
Cedren. in Theodos. Theodosium: *Verè tu beatus es, qui cùm Imperatoris personam sustineas, tam vili habitu ad loca hæc ingressus es.*

Nimirum *Lucerna* erat Theodosius, quam ipse ex voto suo sub modio ponebat, & in abscondito: at Deus, etiam miraculo, posuit super candelabrum, ut omnibus luceret; non auri nitore, aut gemmarum luce: sed modestiæ & pietatis.

III. Pontifices. Tum etiam (& quidem sæpiùs) *Lucernæ* dicuntur Episcopi ac Pontifices, quos amabilis Dei Providentia posuit supra candelabrum Ecclesiæ suæ.

1. Reg. c. 3. v. 3. Sic *Heli* Pontifex Hebræus dictus *Lucerna Dei*.

Sic Augustinum Nolæ Antistes Paulinus Lucernam appellavit; sic enim in tanti Pontificis admiratione exclamavit aliquando:

Epist. 41. *O Lucerna dignè super candelabrum Ecclesiæ posita, quæ & oleo lætitiæ lumen effundis, & densas licèt hæreticorum caligines discutis, & lucem virtutis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.*

Sic Gregorius Nazianzenus magnum Athanasium, *Sanctissimum Orbis oculum*, & *secundam à Christo Lucernam* appellavit. Orat. 23.

Sic & *S. Remigium* ut principem Ecclesiæ Gallicanæ lucernam suspexit omnis retro antiquitas, & jure sanè meritissimo; is enim visus & lucere, & ardere vel ab ipsa in sacrum Præsulem electione: cùm enim & Provincialium Episcoporum suffragiis, & secundissima totius populi admurmuratione in Ecclesiæ Rhemensis sedem vocaretur, detrectaretque ipse, vel ex eo, quòd esset ab ætate illi officio immaturus, utpote duos tantum supra viginti annos natus, visa de cœlo elabi lux aurea, & sancti juvenis verticem adlambere, ac veluti coronare; & simul oleo cœlitus infuso delibutus, in Antistitem quasi inauguratum Orbi ostentare, velut illius Lucernam: quæ appellatio ut in hoc; ita & in aliis Ecclesiæ Prælatis placet, ex qua etiam ex veritate D. MARTINUM Turonensis Ecclesiæ Præsulem IV.
Lucernam dixero, illique opportunè aptato effatum Martinus.
illud, imò & oraculum magni Pontificis Gregorii:
Lux gregis, flamma Pastoris. Epist. 32. l. 7.

Fuit enim D. MARTINUS & *Lux gregis & flamma Pastoris*, si Lucerna fuit. Duo quippè manant à lucerna, *Lux & Flamma*, seu calor: de quibus ut agamus, videndum primò nobis erit, quomodo ea Lucerna priùs latuerit sub modio: Deinde quomodo evaserit super candelabrum: Denique, quæ illi *Lux*, quæ *Flamma*: quod postremum quæstione sequenti. interim

Ad primum quod attinet, MARTINUM spectabimus profanæ adhuc inscriptum militiæ; Deo tamen & piis operibus vacantem quàm maximè. Quomodo sub modio?

Argumento erit insignis ea caritas, quam mendiculo exhibuit dum ad portam Ambianensem excubaret miles, fortè tum occurrit pauperculus, ac propè nudus, qui ab obviis stipem petebat: verùm ut peteret, non impetrabat. MARTINUS illius misertus, etsi nihil præter arma & militarem vestem haberet, gladio, quo erat accinctus, eam illicò discindit, & partem unam isti mendiculo largitur, partem alteram sibi reservat, qua saepè malè tegatur adulta hyeme & rigente cœlo. Sur. in ejus vita.

Ecce Lucernam, sed adhuc sub modio; ecce eleëmosynam, sed quæ aliis despectui. At illam Christus in luce posuit, & super candelabrum, in honore habuit, atque etiam cœlitibus ostentavit.

Quomodo super candelabrum?

Nocte enim proximè sequenti in amœniore quadam somni imagine, primò Christum vidit vestitum ea parte chlamydis, qua pauperem pridiè texerat: deinde jussus est eam agnoscere, & fateri priùs suam: denique audivit Salvatorem hæc ad circumstantes Angelos, Divina voce, & animo gratulabundo jactantem: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.*

Ecce ut Lucerna, quæ fuit in abscondito, in aperto ponitur; quæ fuit sub modio, & apud mortales in tenebris altaque nocte, statuitur apud immortales genios in Cœli luce, in Cœlitum oculis & commendatione.

Et hoc quidem (quod ames ac mireris) ab una eleëmosyna, à particula vestis, ex qua, quis quantusque sit MARTINUS, noscitur.

Tertullianus de pallio Philosophico magnificè atque elatè locutus, de illo pronuntiavit illud:

Etsi eloquium quiescat, habitus sonat; auditur Philosophus dum videtur.

Quæ ego de D. MARTINO accommodè dixero: *Etsi eloquium quiescat, habitus sonat*; etsi lingua taceat, vestis loquitur, & MARTINUM altè prædicat; itaque auditur MARTINUS dum videtur: dum enim videtur, veteranus quidem sub Constantio & Juliano Cæsaribus miles, at in Christi disciplina adhuc tyro, perfrigida aura vestem ferro dividere, & cum mendiculo partiri; etiam auditur quantus deinde sacris aquis tinctus, quantus etiam in Insula Pedoque futurus esset aliquando, qui tantus erat adhuc Cathecumenus.

Vidimus Lucernam nostram sub modio; vidimus & super candelabrum etiam in profana illa militia: spectemus etiam in sacra & Christiana.

Sacro Baptismatis fonte jam lotus MARTINUS, cùm jam stipendia viginti quatuor meruisset, missionem petiit: sed ecce hinc arguitur ignaviæ & timoris, quod pugnam die sequenti instantem refugeret; hinc commilitonibus opprobrio, ipsique tyranno despectui. Ecce rursum Lucerna nostra sub modio, & in abscondito; sed eam mox erigit altior MARTINI animus, sanctéque asserit missionem se flagitare Religionis ergo, non timore. Ac ne verbis solis Fides esset: Agite, inquit, agite, & me etiam inermem hostilibus turmis objicite; ibo, ibo securus, non galea tectus, non ferro timendus & hasta; sed vel solo Crucis signo. En tibi Lucernam super candelabrum, ut invicta Christiani militis magnitudine omnibus præluceat.

Sed, ô malum! ô error devius cææ gentilitatis! in carcerem detruditur ut vecors, ut ignavus, ut infamis militiæ signorúmque desertor. Et ecce iterum Lucerna sub modio: at die sequenti Dei manus semper invicta, in candebro, in luce reponet, & verò reposuit; hostis enim, qui priùs ferrum & ignes minabatur, Legatos pro petenda pace supplices misit: quod MARTINI constantiæ ac virtuti ut debitum, ita ascriptum.

Inde impetrata à castris missione, ad D. Hilarium Pictavorum Episcopum se contulit; quem ut agnovit, sacris initiandum judicavit: sed refugit MARTINVS amans latêre, & esse sub modio, ægréque Exorcistæ officium admisit: admisit tamen, utpotè magis consonum demissioni suæ; ac deinde ad parentes suos abiit, ut à cæca Gentilitatis nocte ad Fidei lucem adduceret.

Sed ecce mirabiles Divinæ Providentiæ vias, inter nivosas Alpes devius dum errat incidit in latrones: ab his primò securis, eáque feralis, in caput erigitur: dein viticula manibus injiciuntur: denique in obscuram specum trahitur, uníque è latronibus traditur. Eo iterum Lucerna sub modio: sed animus periculis altior; sed ardua in Christum Fides inde etiam eripit; ponítque in candelabro, è quo à veritatis Christianæ luce apud efferum ac truculentum illum latronem ita resplenduit, ut & illum sibi conciliarit, & Christo & Religioni, in qua etiam reliquam vitam exegit, & mortem opperiit, æmulus earum virtutum, quas ex tunc & oculis & auribus à suo quondam captivo hauserat.

Spectavimus MARTINVM, ceu *Lucernam* tum in vita militari, tum in Christiana; spectemus etiam in Monastica: hanc elegit ipse ut esset in abscondito, & quasi sub modio.

In hac procul ab hominum turbis, à strepitu negotiorum, ab æstu curarum sibi vacabat ac Deo: potum aqua lympida, victum radices dabant; cubile nuda humus, vestem aut pili camelorum, aut rudes atque incultæ animalium exuviæ: mollior quippè habitus in eo D. MARTINI Monasterio erat pro crimine. Jucundum cuique erat in cinere ac cilicio latitare. Ubi enim meliùs.

B. Umberto humilitas illa, quæ amat latere atque abscondi, *Cinis est virtutum*. Ut enim sub cinere carbones servantur accensi; sic etiam sub humilitate & piæ mentis fervor, & amantis æstus, & aliæ virtutes conservantur. Et sicuti carbones à cinere nudi, illicò nigrescunt atque extinguuntur: sic & virtus omnis, quæ non tegitur, non absconditur sub cinere humilitatis, ut lucem, ut nitorem amittat, est necesse. Cujus veritatis probè conscius D. MARTINVS, nihil magis habebat in votis quàm abscondi & latere: & certè sic aliquamdiu latuit quasi *Lucerna sub modio*; sed Deus, qui amat abjecta extollere, eam supra candelabrum esse voluit. Vocatus enim ad Infulas, & Ecclesiæ Turonensis regimen; & hoc quidem totius populi Procerumque suffragiis.

De utilitate humilitatis c. 37.

Ita nimirum, ut ingeniosè D. Augustinus: *Vmbræ instar gloria est, quæ fugientes sequitur, sequentes fugit.*

Lib. 5. de Civit. c. 12.

Et ita MARTINVM secuta est Infulæ gloria dignitásque: verùm quò sequebatur illa magis, hoc magis fugiebat ipse. Utque tutius fugeret, Monasterii latebris & quasi asylo se condebat.

Ita nimirum illa ætate frequens erat atque usitatum, ut qui ad Infulas perebantur, vel ad deserta loca confugerent, vel in sinum Monasteriorum, ut tutissimum in portum se conferrent; quòd multò libentius eligerent quietem illam Monasteriorum, quàm (ut ait D. Augustinus) *Tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati.*

L. de Opere Monach.

Et ita tum temporis elegerat D. MARTINVS, & hinc vix erat ratio modúsque inde educendi: pia fraude doloque opus fuit: atque etiam usus è civibus unus aliquis *Rutilius* nòmine. Hic simulato uxoris languore ad D. MARTINI genua provolutus supplex rogavit, ut ad eam veniret. Venit Dei servus, nihil insidiarum veritus, doli nihil, aut mali: & de via à Civium turmis occupatus, & captus sub fida custodia in Civitatem Turonensem deductus.

Ita occupari, ita capi, ita vinciri debuit MARTINVS, aliàs ad Infulas nunquam venturus, eóque certè qui veniret dignissimus.

Ut enim de D. Cypriano Pontius Diaconus: *Magis dignus efficitur, qui quod meretur, excusat.* Et *meriti prærogativa, est honoris repulsa*, ut de S. Maximo Episcopo pronuntiavit Eusebius Emissenus.

Hom in laud S. Maximi.

Et quia ea repulsa fuit in MARTINO, hinc vel maximè dignus, & hinc etiam à populo ad id muneris quærendus quàm diligentissimè. Quia ut in simili argumento Sidonius Apollinaris de Simplicio Episcopo designato Bituricensi: *Maximè ambiendus, quia minimè ambitiosus non studet suscipere Sacerdotium; sed mereri.*

Atque

Atque utinam ita studerent iis omnes, qui ad Ecclesiasticos illos honores ascendunt: tum enim non ascenderent nisi inviti, nisi alieno impetu, nisi aliena vi coacti; nec in eos unquam vel sua voluntate, vel cœca ambitione præcipites involarent, aut impensius quàm par est quærerent, probè memores prudentis illius monitionis magni Præsulis Augustini: *Honor te quærere debet, non ipsum tu.* Hom. 13. ex 50.

Verùm proh dolor! hoc quo vivimus ævo multi honores quærunt; paucos autem honor ipse quærit. Mulo honoris cupidi, & Sacerdotii atque Episcopatus avidi; *non pro salute populi, sed pro ambitione sæculi*, ut lugebat ac deplorabat etiam ætate sua D. Ambrosius: Nimirum vetus & antiquum malum est ambitio: quam ut retundam magis, tibi quisquis pagellam hanc leges, oculis subjiciam, quod olim D. Hieronymus ad Heliodorum cùm de sacris tele- tis ageretur. In Epist. ad Hebr.

Erat Heliodorus eximia in Deum superosque Religione, & nota in virtute constantia; & tamen sic ad illum S. Doctor:

Si te ad Ordinem pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu. Tum rationem hanc adjicit sui illius timoris. Epist 1.

Non est facile stare loco Pauli, tenere gladium Petri jam cum Christo regnantium; ne fortè veniat Angelus, qui scindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat.

Hæc ille olim ad Heliodorum, quæ modò etiam ad te, ut non ita gaudeas de ascensu, quin timeas magis de lapsu; & eò quidem vehementius, quantò altius ascenderis: ut enim ex vero D. Chrysostomus: *Quantò fuerit celsior dignitas, tantò Sacerdotii majora sunt pericula.* Hom. 1. in Ep. ad Tit.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Nemo accendit Lucernam?* vers. 33.

QUÆ SIT ILLA LUCERNA ACCENSA? Quæ illi lux? Quisve calor & æstus?



D. Greg. Ep. 52. l. 2. De sancto Præsule hoc è Sede Petri manavit Oraculum: *Lux gregi, flamma Pastoris.*

Lux exempla virtutû. *Lux*, inquam, ab exemplis virtutum, quæ ex veritate lux sunt animi: *Flamma* verò ab incēsa in Deum & proximū caritate.

Et hæc & illa in D. MARTINO Turonensi Præsule eluxit; & quidem primò Lux aurea, & præclara virtutum exempla; è quibus in aditu Episcopatu hæc fuit prima

I. Cura sui. Cura sui, in secessu spirituali, opportunaque solitudine, quam ut inveniret, duobus à Civitate Turonensi milliatibus sibi Monasterium extruxit loco desecto & invio, qui hinc arduo, & prærupto monte, inde Ligeri fluvio claudebatur. In eo cellulam sibi extruxit è vili stipite, opere rudi: in hac cella sibi cœlum fecit sanctus Præsul; comites in eadem eremo sibi octoginta ascivit, quibuscum uni sibi vacabat & Deo.

In quo Præsulibus exemplo fuit, docuitque secedendum esse nonnunquam à tumultu negotiorum, quo non solùm eos distineri, sed etiam confici & atteri in dies, imò & propè turbari necessum est.

Ut de unoquoque eorum dici possit, quod ingeniosè & præclarè Seneca: *Ad illum quemadmodum ad lacum curritur, quem qui exhauriunt, etiam turbant.* Epist. 36.

Sic ad Prælatos dum negotiorum causa currunt quamplurimi velut ad lacum, & illos exhauriunt, imò & sæpius turbent, oportet.

Hinc S. Bernardus Eugenium Pontificem opportunè monebat, ut sibi primùm hauriret, tum in alios effunderet.

Omnes, inquiebat, *participant, omnes de fonte publico bibunt, pectore* scilicet *tuo. Et tu seorsum sitiens stabis?* Enimverò non stabis. Verùm ut non stes, *memento vel interdum reddere teipsum tibi.* De Consid. l. 1. c. 5.

Et ita se reddiderunt sancti Præsules: ita cæteros inter D. MARTINUS, cujus exemplo si sapis etiam teipse redde, qui hæc legis; & quidem eò frequentius, quò frequentior eris in curis ac negotiis; tum enim maximè opportuna illa Senecæ monitio: *Tunc præcipuè in te ipse secede, cùm esse cogeris in turba.* Epist. 25.

II. Cura Religiosi cultus. Et hæc de singulari sui cura, quam habuit S. Præsul, ad quam deinde pro officii ac muneris impositi ratione accessit cura suorum.

Hanc imprimis explicuit in detegendis extirpandisque tum Fidelium, tum Infidelium erroribus.

Inter illos hic etiam fuit: Nescio quis ignotæ Fidei homo, ex avita Traditione pro Sancto, imò pro Martyre colebatur à vulgo. D. MARTINUS, cui etiam in Religioso cultu nihil tutum, nisi quod solidis rationum momentis, & Ecclesiæ authoritate firmatum esset, locum illum adiit, super sepulchrum stetit, Deumque supplex oravit, ut aperiret quis ibi, & cujus meriti vir insepultus.

Mirum visu dictuque! dum sic orat; ecce ad sepulchri lævam, umbram hominis videt atram, sordidam, truculentam: tum eloqui jubet quid sub ea hominis; & ab eo audit, infamem istic latronem esse, qui olim ob scelera in terris è furca pependerat, & modò in inferis ob eadem ardebat. Qui circumstabat populus, vocem quidem auribus excipere; at oculis nihil usurpare.

Sic detecta immanis illa superstitio, exhumatum cadaver impium, & cineres in ventos sparsi.

Nec minor S. Præsuli cura fuit in evertendis Idolorum fanis & infami cultu. Ex iis unum aliquod cùm æquasset solo, supererat annosa & procera Pinus apud Gentiles antiqua superstitione celebris: eam exscindere dum parat, ecce concurrit rustica turba, & quà clamoribus, quà minis, quà etiam vi aperta pios D. MARTINI conatus eludit, ac tandem quasi per jocum sic ad illum. Nos ipsi succidemus arborem, tu tantùm cadentem valentibus humeris excipe, non deerit tibi, quem colis, Deus tuus.

Placet conditio, admota securi, validis ictibus vapulat arbor, exscinditur & nutat in ruinam, & quidem ea parte qua vinctus tenebatur S. Præsul, & in quem indubiè casura. Hinc alieno periculo exanimari qui aderant Monachi, optimi parentis filii, cùm tamen ille non timeret suo. Et verò quid timeret, qui Deo plenus, Dei potentiam ac miracula habebat in manu? Certè dum prona ac præceps in eum inclinat ac labitur Pinus, signo Crucis, velut turbine valido, in adversam partem avertit, ac projicit, eo nisu & impete, quo etiam è rusticis, qui se eò loci tutos opinabantur, obrueret.

Et hoc à sacra Cruce præsidium, istud ab Angelis militiæ Cœlestis ducibus: Fanum aliud Idolorum cultibus infame destruere parabat, cùm impeditur à Gentilium turba. Ad preces confugit, solitum in malis refugium, triduo toto jacet in cinere ac cilicio. Et ecce duo Cœli Principes hasta & scuto timendi in auxilium veniunt; tantùm urgeat opus, affuturos se pollicentur, & timori futuros ac præsidio, dum interim fanum evertetur: & ita factum est quàm bellissimè. Spectantibus Paganis dirutum illud, & ipsi iisdem bonis Geniis quasi ducibus ad meliora consilia fidemque traducti.

Ecce quæ in D. Præsule suorum cura, quod studium salutis etiam Gentilium: Eminere debet illud in Episcopis, & Ecclesiæ Præsidibus, quorum munus est à suis finibus, à suo grege mala avertere;
Lib. 12. c. 5. ideoque Nicephoro placuit appellari *Averruncos* seu malorum omnium depulsores.

S. Cyrillo Alexandrino, *Bellicosissimos mysteriorum Dei dispensatores.* Qui nimirum contra Idololatriam, superstitionem, erroresque omnes arma explicent; & sic Dei mysteria, hoc est arcana Fidei, dispensent tum Fidelibus, tum etiam Infidelibus.

Histor. l. 2. c. 13. Ita in ipsis nascentis Ecclesiæ cunis dispensavit S. Petrus Apostolorum Princeps, quem Eusebius *Fortem & generosum Dei ducem* nominat, quòd contra Simonem Magum & dæmonis artes fortiter ierit.

De Div. lect. c. 22. Ita S. Augustinum, *Bellatorem hæreticorum, & famosorum palmam certaminum* appellavit Cassiodorus.

Et ita Dei Duces ac Bellatores esse decet Episcopos omnes S. MARTINI aliorumque vel exemplis, vel etiam documentis. Palmas esse decet; sed famosorum pro Fide, pro Religione certaminum.

Inter hæc certamina reponi potest zelus ille religiosæ disciplinæ, quem armata cœlesti manu explicuit etiam postquam cœlis est additus.

III. Cura suorum. Turonis in Gallia Monachi D. MARTINI, pertæsi disciplinæ illius arctioris, quam à S. Præsule acceperant, amantésque vitæ laxioris, humile, abjectumque, ut videbatur, Monachi nomen, ac vestem mutare decreverunt cum splendidiore Canonici appellatione, vitáque: at suo malo: sensit enim etiam in cœlis eam Instituti mutationem, utque etiam in terris sentirent Monachi, statim effecit: immisit enim in Cœnobii claustra pestiferam luem, quæ una nocte omnes omnino sustulit, si unum excipias nomine *Vedastum*, & moribus, & vita sanctum. Ita Gaguinus in vita Caroli Calvi Imperatoris. Audomarus in librum tertium vitæ S. Odonis. Et hæc D. MARTINO vindice illata clades, quam tamen Authores alii aliter referunt.

Antonius Yepes Abbas, in S. Benedicti Chronicis ad annum ejusdem S. 72. c. 2. Aiunt enim Monachos illos, & sui, & regulæ penitus immemores, viliorem pannum quo prius tegebantur, commutasse cum bombycina veste, & pauperes soccos cum calceis è corio inaurato profanum in morem: quod insolens vitæ genus, ita odisse, ita persequi visus S. MARTINUS, ut nocte concubia duos Angelos emiserit, qui dormitorium subingressi, omnes illos decucullatos mala morte mulctarunt, dempto unico, qui cæteris, & somno, & sceleri profundùm indormiscentibus, vigilem in oratione noctem exigebat. Ecce quæ Divo Præsuli cura suorum, dum ex iis malos malè perdit, & optimum vitæ servat, ac beatitati.

IV. Cura reorum, & miserorum. Vis nosse quæ illi miserorum, ac reorum cura; collige ex eo quod ad ejus sepulchrum refugium illis datum est. Si quis enim ad illud confugisset, cujuscumque criminis reus is foret, etiam læsæ majestatis, erat nihilominus in tuto. Tantum à Regibus, & Cæsaribus concessum est ei loco, in quo jacebant magnæ illius mentis exuviæ.

Cujus probè conscius fuit regius Princeps *Merous*; Hic Chilpericum Regem, Parentem ac Dominum gravissimè offenderat, tum quod eo renuente nuptias contraxisset, tum vel maximè quod insolenti ausu arma in eum extulisset, in Patriam injurius, rebellis in Regem, impius in Parentem. Ecce quot in uno crimine flagitia. Quid illis remedii? quid effugii? Non aliud quam D. MARTINI sacratior ædes, & in ea repositum illi sepulchrum. Ad hoc perfugium, asylum, vitam, ac salutem invenit.

Quod si à frigido marmore, ab inanimi sepulchro, ab aridis, exsuccisque ossibus, à modico cinere tantum præsidii etiam in terris; quantum ab anima, magna illa, præcelsaque mente in cœlis expectandum erit auxilii?

Certè quantum interest corpus inter, & animam, tantum necesse est interesse inter eam opem, quæ ab hac, & illo emendicari potest.

Sed hæc attigisse sit satis, ut pio Lectori spem faciam, animumque erigam ad implorandum ubi opus erit, Divi illius auxilium.

Vidimus, quæ illi suiipsius cura, quæ deinde Ecclesiæ & suorum, quæ etiam reorum, ac miserorum; videamus denique quæ pauperum, atque V. Cura egenorum.
egenorum: Si enim cùm adhuc mundo & Imperatori militaret, horum illi tanta cura fuit; longè major adepta jam sacra illa Infulæ dignitate.

Argumento sit illud quod subjungo. Eunti ad Ecclesiam cùm fortè occurrisset mendiculus unus aliquis, isque seminudus, & à frigore rigidus, postulassetque sibi vestem, qua Cœli algidi injuriam arcere posset, Archidiacono in mandatis dedit, ut misellum istum suo ære sumptúque donaret veste: interea verò Secretarium ingressus ipse, ut ad sacra Missarum solemnia pararet sese. Archidiaconus re dissimulata, & Domini sui mandatum præterit, atque etiam pauperem veste, subsidióque destituit.

Hic à gelu urgente & mora longiore impatiens; clanculùm in Secretarium (ubi erat S. Præsul) irrepit, queriturque de veste sibi ab Archidiacono hactenus negata. Tum Vir Dei, paululùm secedens, tunicam interiorem sibi detrahit, & ea donatum pauperem, ac probè tectum dimittit.

Interea redit Archidiaconus, monetque jam instare Missarum solemnia, & populum in Ecclesia suum Præsulem jam dudum expectare. Cui MARTINUS.

At priùs, inquit, vestiendus est pauper (seipse nimirum intelligebat, qui intrinsecus nudus erat.) I proinde celer, vestem eme, & mihi defer. Paruit ille etsi invitus, nec sine stomacho & murmure: tandemque è vicina officina vestem attulit nigram illam, brevem ac hispidam, & ad S. Præsulis pedes abjiciens, En, inquit, tibi vestem: At ubi pauper? Nusquam comparet. Hæc Archidiaconus, & quidem subiratus, cui D. MARTINUS. Non deerit pauper, inquit, secede paululùm, & foris asta. Tum ea se veste clanculùm & occultè induit, qui suâ se priùs in pauperis usus exuerat. Tum ad Aram processit (si unquam aliàs) Immortali Deo gratum sacrificium obtulit, qui sua priùs, misericordiæ quasi victimam, obtulerat.

Et verò gratum fuisse ostendit Deus illustri prodigio: E capite quippè sacrificantis visus est emicare globus quidam igneus, index utique ac merces illius caritatis quam pauperculo exhibuerat.

Noverat nimirum Vir Sanctus, altéque in animum admiserat ab Apostolis haustum illud: Episcopum non tam Dominum esse bonorum Ecclesiasticorum, quàm Oeconomum ac fidelem dispensatorem.

Noverat Antistitem cujusque Ecclesiæ indigentium omnium esse curatorem. Eum certè sic appellandum censuit Justinus Martyr veteris ævi scriptor, apud quem Episcopus, *Indigentium omnium κηδεμὼν* Apolog. 2. p. 77.
Curator dicitur.

Noverat

Noverat etiam ipso Orbis terræ judicio, bona Ecclesiastica, vel *Dominica* esse, vel *pauperum bona*; ideóque quà licebat his omninò cedere volebat.

Contra quod faciunt inter Antistites nonnulli, Insulis coronatis conspicui, *Foris splendidi, intus obscuri; abundantes temporalium, inopes æternorum, quia ipsi animas suas fame afficiunt, & nuditate dehonestant*, quia scilicet *de iis, quæ terrenis horreis commendaverunt, nihil thesauris cœlestibus intulerunt.* (S. Leo serm. 3. de Coll.)

Hi nimirum sunt, qui (ut etiam ævo suo deplorauit D. Gregorius Nazianzenus) *pauperum bonis deliciari* videntur, qui insolescere, & ad luxum ac voluptatem abuti. (Orat. 32.)

Qui denique (ut elegantissimè & gravissimè Minutius Felix) *Ut victima ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur.* (In Octav.)

Ex horum numero quisquis es, dum è bonis Ecclesiæ dulcescis ac pinguescis, dum interea egestate famèque contabescit pauper: quisquis, inquam, ex iis es, Augustinum audi; dicet ille tibi, quod olim alteri dixit: *Acquiris pecuniam, perdis innocentiam*, & *quò locupletior sæculo, eò pauperior es Deo*, ut eleganter D. Cyprianus. Sed hæc præ instituto satis: redeo ad D. MARTINUM, & alia illustrium virtutum in eo lumina aspicio. (In Psal. 56. / Lib. de oper. & Eleemos.)

IV. Patientia in adversis. Imprimis verò singularem patientiam, & animi in adversis, in injuriis, convitiis, imò & inflictis plagis, æquitatem.

A Clericis suis etiam ex infimo ordine non semel verbis & scommatibus impetitus, ea passus est etiam impunè, nec verbulo asperiore, nec pœna mulctavit, nec officio amovit ut poterat, nec à sua familia ac familiaritate unquam repulit.

Aliàs cùm iter faceret, ut suam de more bonus Pastor Diœcesim visitaret, paululùm à domesticis ac famulis suis digressus in milites palabundos incidit: hi ut eum viderunt in veste hispida, nigro, & pendulo pallinlo malè tectum, primò convitiis excepere; tum etiam flagris ac fustibus malè mulctavere, & eò quidem, ut fœdè cruentus, & toto ferè corpore laceratus jaceret exanimis. Et tamen hæc inter ne verbo, ne gemitu, ne nutu quidem queri Vir sanctus.

Interea advolant domestici, & Præsulem ac Parentem suum optimum jacentem, & propè spiritu vacuum inveniunt, asellóque, quò ante portabatur, imponunt, atque ad tutiora festinant. Cùm ecce sicarii illi jam experti vindicem Dei manum ad S. Præsulis pedes advolvuntur, supplicesque veniam petunt; eorum quippè jumenta, ita altiore quadam ac Divina vi stabant immota, ut nec flagris, nec fustibus adigi possent, ut vel tantillum loco se moverent. Urgent igitur instantèque ut bona D. MARTINI (quem antea ne de nomine quidem noverant) bona, inquam, illius venia & sibi & jumentis abire liceret. Annuit Vir Dei, veniam donat, & bono Deo Angeloque duce abire jubet. Et ecce jumenta, quæ eò usque quasi loco affixa stiterant, soluta veluti vinculis, nullo adigente pergunt, & inceptum iter prosequuntur.

Et hoc beneficii amoreque illius quem antè vel gravissimè læserant. O amœna *Lux Gregis*, ô ardens *Flamma Pastoris*.

Lux, quæ oculos animumque non ferit nisi blando quodam amicoque veniæ ac miserationis fulgore. *Flamma*, quæ non urit nisi amoris igne ac caritatis. O quàm nobis alia Lux, alia quoque flamma: Si nomen, aut famam quis verbulo lædit; fulmina Cœlo vindice devocamus; fulmina & ipsi jacimus. Si corpus malè quis afficit, flammas minamur & ignes; & si eos terra non ferat, ex ipsis inferis trahimus, & quà licet etiam eruimus.

Non sic MARTINUS, non sic præcelsæ mentes.

Sciunt illæ, quod aliquando in Delphico Propylæo dignum fuit inscribi. Nimirum, quod *Venia ultione melior est.* (Laertius.)

Sciunt & illud Themistii Oratoris, quod *venia Virtutis sit victoria*, & veluti trophæum quoddam egregiæ humanitatis. (Orat. 6.)

Sciunt & pulchrum istud D. Ambrosii: *Vindicare se non est actus fortitudinis; sed abjectionis & timiditatis. Vincitur* enim *ab inimico; non vincit, qui se vindicat.* (Lib. 1. Offic. c. 36.)

Sciunt denique quod amica benignaque injuriæ remissio sit velut summa quædam disciplinæ Christianæ; de qua extat aureum illud D. Ambrosii: *Hæc nostra Christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus.* (Serm. 10.)

Et ita rependit D. MARTINUS, nec patientiam tantùm; sed & veniam, sed & gratiam ac beneficium, quæ præclara quædam est *Virtutis victoria*.

V. Humilitas in prosperis. Ab hac transeo ad excelsum aliud animi decus, ac lucem, quæ in D. MARTINO, ceu *Ecclesiæ lucerna*, emicavit. Est illa insignis animi demissio etiam in altissimo dignitatis gloriæque culmine, in quo Omnipotens Dei manus Præsulem hunc nostrum posuerat, veluti super candelabrum.

Pars autem culminis illius ac gloriæ non infima fuit, apud Imperatorem Maximum eam invenisse gratiam, ut cùm omnes propè Episcopi degeneri inconstantia regiæ Clientelæ Sacerdotalem dignitatem submisissent, in solo MARTINO Apostolica authoritas permanserit, quam in eo semper suspexit Imperator: argumento est illud, quod inter epulas oblatam sibi à ministro pateram, honoris ergo primum MARTINO dari jusserit, ratus, quod eam deinde esset accepturus. at secus accidit: Sacellano suo eam tradidit, ut vel eò doceret Sacerdotalem dignitatem etiam Regiæ anteferri oportere.

Quod ut in alio quovis odisset Imperator, in MARTINO tamen amavit: ea nimirum illi gratia, ea fuit authoritas.

Nec minor apud Imperatricem, quæ sæpiùs repulsam passa, ægrè tandem à S. Præsule obtinuit, ut mensæ suæ vel semel assideret. Assedit aliquando: at quibus obsequiis, quo famulitio? Imperatrix ipsa mensam illi sternere, aquam manibus infundere, cibos coquere, potum præbere, & sedente MARTINO ipsa stare ac ministrare. Denique à mensa fragmenta panis micasque colligere, & reliquias illas Episcopalis cœnulæ Imperialibus epulis anteponere.

Hæc apud Imperatorem & Imperatricem gratia alium extulisset: at MARTINUM depressit, cui præter Deum nihil in terris magnum, cui nihil magnum, quod non etiam humile atque abjectum.

Ex illo humilitatis fonte etiam manavit illud, ut & Divinos favores, cœlestesque visitationes occultaret ipse quàm maximè, ne inde apud mortales aliquo in pretio & supra vulgus videri posset.

Aderant illi sæpiùs Angeli, & cœlorum motrices Intelligentiæ: adsuere beatæ Virgines, Agnes & Tecla, & Virginum Regina Dei Mater MARIA; adfuere & Apostolorum Principes Petrus ac Paulus; & tamen neque ex his, neque ex illis animos unquam sibi fecit altiores; imò quò magis à Cœlitibus Deoque ipsi extolli, hoc magis à seipso deprimi ac dejici videbatur.

Et hinc etiam alterum demissionis profundæ argumentum, quod miracula, quæ ita habebat ad manum, ut sui ævi Thaumaturgus dici & esse posset, quà poterat ipse vel obtegeret, vel aliis ascriberet, sibi verò nihil.

Nos contrà viles animæ & cœlestium inanes, si quid elatum vel à natura, vel etiam à gratia nacti sumus, videri volumus, *digito monstrari, & dicier, Hic est.*

Secus omninò *Sancti*, inquit D. Gregorius, *quantò* enim

Lib. 10 Mor. c. 31. enim *magis Divinitatis interna prospiciunt, tantò magis se nihil esse conspiciunt.*

Exemplo erit vel ex Antiquioribus *Abraham,* qui *nusquam legitur se pulverem & cinerem professum esse, nisi cùm meruit Dei locutionem habere.*

Exemplo erit & Petrus, qui cùm ad Domini nutum laxasset retia, & copiosam ac prodigiosam cepisset piscium multitudinem, in hæc demissionis verba erupit: *Exi à me, quia homo peccator sum Domine.* Luc c. 51. v. 8.

At cur non priùs jactavit illud? Respondet B. Ambrosius: *Admirabatur dona Divina, & quò plus meruerat, hoc præsumebat minus.*

Ita nimirum Animæ sanctæ post Dei dona, humiles magis, & in seipsis abjectæ: dumque vel ipsa Dei manu eriguntur in candelabrum, ut omnibus in Ecclesia luceant, quà luce virtutum, quà dignitatis fulgore, quà etiam gratia miraculorum; eò magis esse student sub modio, student abscondi & latere, memores illius moniti, profani licèt; at veri:

Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Vers. 34.

QVIS ILLE OCVLVS?



E oculo multi multa, ex natura, ex ratione, ex Antiquorum placitis, ex Medicinæ principiis, ex omni penu eruditionis: ego ex iis pauca.

Oculus corporis quis?

Orpheo, *Oculus microcosmi,* id est hominis, *Sol* est, quòd huic sit quod mundo Sol ille aspectabilis.

Hesichio, *Solis portæ* sunt oculi, quòd ipse Sol, aliaque in animum per eos intrent, quasi per portas.

Alexandro Peripatetico, *Oculi fenestræ* sunt animi, per quas scilicet inspicitur quis ille sit, & quo ducatur affectu. Hinc illa parœmia: *Hominis ingenium in tribus cognosci: in poculis, loculis, oculis;* sed in his certius: in iis enim elucent affectiones animæ propè omnes; amor, odium, mœror, gaudium, timor, audacia, commiseratio, spes, desperatio; imò sanitas atque ægritudo: inde Hyppocrates aliique Medicorum facilè principes, suos monent, ut ægri oculos attentè intueantur; quòd in iis etiam se prodat affectio corporis bona, maláve.

Orpheo rursum *Oculus speculum est naturæ;* uti speculum Oculus est artis. Et hæc è profanis petita, è quibus plura qui volet, consulat, quæ de hoc argumento recenter edidit P. Petrus d'Oultremannus, in Opere cui titulum fecit: *Amor Increatus in creaturas effusus.* Petr. d'Oultremannus, lib. 1. c. 2. sect. 3.

Ego iis omissis spectabo eam tantùm appellationem, quam Oculo fecit Incarnata Patris Æterni Sapientia, cùm Oraculum illud edidit: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.*

In densis tenebris, adultaque nocte, Lucerna gressus regit, hominem ducit, suoque lumine ostendit quæ ineunda semita, quæve declinanda. hac si destituatur, ut erret, ut cespitet, ut offendat sæpiùs, est necesse.

Quod in tenebris viatori est lucerna, id corpori est oculus: illud quippè dirigit, & quidem rectè *si simplex* fuerit, id est, si purus, mundus & nullo humore alieno vitiatus; tum enim ejus beneficio totum corpus lucidum erit, & quasi oculatum: Secus autem *si nequam* fuerit, id est, si malè affectus, vitioso humore imbutus, & quasi offuscatus atque obnubilatus: Tum enim eodem quasi vitio totum corpus tenebrosum erit, quia scilicet luce carebit & duce.

Oculus Animi quis?

Et hæc de oculo corporis, quem etiam hîc spectare potuit illius Author & Fabricator Dei Filius: verùm in eo non hæsit: qui enim hæreret in eo qui nobis etiam cum animalculis, cum muscis & formicis communis est? Ad alium certè illo altiorem ac lucidiorem evasit; ad oculum scilicet animi, quem sub oculo corporis veluti symbolo quodam explicatum voluit, quod scilicet id esset animo, quod ille corpori.

At quis, inquies; ille *Oculus animi?*

Divis Hieronymo & Chrysostomo est *Ratio, Mens, Intelligentia.* Ratio.

Sanctis autem Augustino & Gregorio est *Intentio.* Et hæc opinio magis arridet, quia magis consona menti & scopo, quem sibi hîc proposuit Patris Æterni Sapientia.

Docuit enim Eleëmosynam, Jejunium, Orationem, non ad famam & ostentationem fieri oportere, ut in oculis & præconiis hominum sint; sed potiùs in abscondito, ut eorum omnium testis ac præco sit unus Deus, uti etiam & remunerator.

Et hinc Intentionem composuit cum oculo, & quidem simplici. Cur ita? Intentio.

Primum cum *Oculo;* quia ut hujus beneficio seipse dirigit homo, eo spectat quò tendendum, eo videt quò collimandum sit: sic & Intentione, ceu oculo, se suasque actiones dirigit homo, & ad certum scopum collimat; quod dum attendit D. Augustinus, sic opportunè monet:

Non valdè attendas, quid homo faciat; sed quid cùm facit, aspiciat. Aspiciat, inquam, mentis oculo, hoc est Intentione; quæ ut recta sit, simplex esse debet: uti & simplex oculus ut bonus sit. At quomodo simplex? In Ps 31.

Simplex à Theologis dicitur illud, in quo nulla compositio, aut mixtura, nil aliunde collectum, aut emendicatum.

Erit igitur Oculus simplex, simplex Intentio, cui nihil impuri, nullus sui amor, non fatuus timor, non spes vana sit admixta; sed quæ pura, & nullis ejusmodi sordibus turbata. Ut porrò ea sit, hæc omninò servanda.

Primum Oculus ille intentionis seipse non aspiciat, in seipse non sistat: si fecerit, nec rectus erit, nec bonus. Ut enim succinctè & præclarè Publius Mimus: *Malus est vocandus, qui suâ causâ est bonus.*

Secundò, nec sua commoda spectet, nec lucra, nec nomen aut famam: si enim ex his quicquam attendat, non erit Oculus simplex, adeoque nec bonus.

Non potest, inquiebat olim Seneca, *quisquam beatè degere, qui se tantùm intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet si vis tibi vivere.* Epist. 48.

Quod ipsum in alia Epistola, longissima quidem, sed verè aurea, luculenter declarat:

Non in facto, inquit, *laus est; sed in eo quemadmodum fiat. Eadem* enim *res si gulæ detur, turpis est; si honori* Epist. 95.

reprehen-

reprehensionem effugit. Amico ægro aliquis assidet? Probamus. At hoc si hæreditatis causâ facit, vultur est, cadaver expectat. Sic eadem & turpia sunt, & honesta: Ideoque *refert* quamplurimum *quare, aut quemadmodum fiant.*

Ubi hæc extulit quæ oculum intentionis inficiunt ac vitiant; tum adjicit unum illud quod perficit, & quod mihi

Tertio loco statuendum fuit. Sic enim inquit: *Proponamus oportet finem Summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumvè respiciat. Vt* enim *navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus*; sic & viventibus: Sidus autem illud, Seneca judice, est *Summum bonum.* ad hoc dirigendus omnis vitæ cursus, quia, ut addit, *Vita sine proposito vaga est*, adjiciam ego, etiam mala. Ut bona sit, Deum unum spectet, ad Deum omnia referat: sic enim simplex erit oculus, imò simplicissimus, si ita referat, ut etiam ad se nullo modo aspiciat; hoc est neque ad præmium quo donari à Deo debet, neque ad supplicium quo damnari posset; sed purè putè ad Deum, cujus unius gloriam attendat ac quærat.

Ita attendere ac quærere docuit aliquando S. Gertrudem Salvator Optimus, dum sic ad illam:

Blosius in Mon. spir. c. 3. Ex iis, qui mihi serviunt, sunt plerique qui operæ operisque sui stipendia ambiunt & amant; ii scilicet, qui gustum aliquem & saporem devotionis quæritant. Sunt & nonnulli qui quasi stipendiis suis expensisque mihi militant, quibus etsi in opere bono, in precibus, vigiliis, jejuniis nihil affundatur saporis, dulcedinis spiritalis omninò nihil; pergunt tamen quo cœperunt pede: & hi mihi probantur quàm maximè, quia non se in ullo quærunt; sed me: & ex iis te esse velim, ô filia.

Et hoc est, quod præstat rectæ intentionis oculus, imò & ipsa virtus si modò pura: hæc enim non aliam quærit mercedem, quàm se, ut appositissimè in hanc rem Seneca:

Lib. 4. de Benef. c. 1. *Inveniuntur*, inquit, *qui honesta in mercedem colant, quibusq; non placeat virtus gratuita, quæ nihil habet magnificum, si quicquam habet venale, cum virtus nec lucro invitetur, nec absterreatur damno, adeoq; neminem spe ac pollicitatione corrumpat.*

Quod si habet illud virtus omnis, ut *gratuita* esse debeat, ut causa sui amari ac quæri; multò magis Deus ipse virtutis omnis Author & parens à nobis, & amari debet ac quæri sui unius ergo, non præmii spe, aut pollicatione mercedis. Certè si pro hac & illa sola Deo quis serviat, quid aliud facit, quàm canis qui Domino suo pro osse vel offa servit?

Abjiciamus igitur servile istud ac mercenarium, & demus Deo quod amantis est, quod Filii; gratuitum scilicet obsequium.

Ita dedit sanctissimus Præsul MARTINUS: Testem volo vitam omnem, quam uni Deo sic concessit, ut sibi nihil reservarit.

Testem appello & ipsam mortem, quam vel accelerari vel differri noluit, nisi quantum & Animarum salus, & Dei sui obsequium patiebatur.

Jam Angelo benè monente didicerat brevi sibi ineundam esse viam beatæ Æternitatis, ad quam aspirabat totus, nihilque magis habebat in votis, quàm ut corpusculi sarcinam poneret, & puriorem spiritum in Cœli ac Beatitatis sinum immitteret.

Et hoc ipsum discipulis suis, ceu filiis pius Pater, jam non semel insinuarat.

Hinc ingens in omnibus animorum motus, hinc alta suspiria, profundi gemitus, & mixtæ lacrymis hæ voces & amantium & dolentium.

Cur nos Pater deseris? Aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces, & sublato Pastore dispergentur oves.

Scimus quidem, tua te vota è terris evocant, tua te vota ad Christum rapiunt; Salva apud illum tua præmia; at nos qui in terris salvi lupos inter ac tyrannos?

Hæc observantes discipuli, hæc amantes filii; quorũ votis precibusque motus, ita ad Deum suum:

Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.

O Virum ineffabilem exclamat pia Mater Ecclesia, nec labore victum, nec morte vincendum.

Si diutius in vita hac mortali superstes maneat, nihil eum manet nisi labor, dolor, edacea curæ; & onus grave incumbentis Episcopatus, imò & propè dixerim Universi, quod scilicet sua caritate complexus. Contrà verò si terris excedat, si mortem oppetat quàm citissimè, expectant illum cœlestes Genii futuri comites ac duces in domum æternitatis, expectant decreta magnis mentibus præmia, expectat beatitas, & Deus ipse, cujus in sinu beatus æternùm conquiescat. Et tamen nec his movetur, nec illis. Nec labore terretur, nec præmiis invitatur; nec quicquam in votis habet, cui scilicet Deus unus in votis, in curis, in amoribus.

O simplicem, ô purum intentionis oculum! ô Lucernam sacri corporis & animi! imò Lucernam totius Ecclesiæ, quæ ostendat quid in vita, quid in morte; quid in ipsa æternitate quærendum; Deus scilicet unus, qui omnia in omnibus, & præ cujus obsequiis cætera nihil.

Interea dum hæc aguntur in terris, alia decernuntur in Cœlis, in quos MARTINUM assumere Divinæ Providentiæ fixum erat; cujus non inscius orationi totus instat, jacetque in cinere ac cilicio; imò Discipulis molliora meditantibus opponit illud: *Non decet, ô Filii, Christianum, nisi in cinere & cilicio mori.*

Tum oculos in Cœlum erigit figitque, adjiciens etiam istud dignum cedro; *Sinite me, Fratres, Cœlum potius, quàm terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.*

Denique cùm fortè subtimidè astantem dæmonem vidisset, astantem tamen; sic in orcum latebrasque suas redire coëgit: *Quid hîc adstas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies.*

Et verò quid reperiret in eo, qui à Fidei luce, à virtutum omnium splendore, à caritatis ardore quantus quantus fuit, Lucerna fuit: quæ uti luxit in vita, sic lucebit in omnem æternitatem.

IN FESTO
S. CATHARINÆ
VIRGINIS ET MARTYRIS.



IE Festo ac solemni sacris Virginibus prælegi solet Parabola, cujus verba in aperto sunt: at sensus magis in occulto.

Matth. c. 25. v. 1. Dicitur enim *Regnum Cœlorum simile decem Virginibus, quæ exierunt obviam sponso.*

Quod illud *Regnum Cœlorum?* Utique Ecclesia militans. Quæ *Virgines?* Fideles omnes, iique expressi denario Virginum numero, vel quia recepto apud Antiquos more Sponsæ Sponso obviam ituræ dabantur Virgines, veluti fidæ comites, eæque ferè numero decem, quæ præferrent tædas pronubas ex spina alba, ut apud Gentiles mos erat; pro quibus apud Iudæos erant lampades. Vel quia denarius numerus multitudinis & universitatis symbolum est.

Vers. 2. *Ex iis* autem Virginibus *quinque erant fatuæ, & quinque prudentes.* At quænam illæ? Inter Authores non convenit.

SS. Hieronymo & Hilario, *Fatuæ*, sunt Iudæi & Hæretici; *Prudentes*, Christiani.

D. Chrysostomo, *Prudentes* dicuntur, & verò etiam sunt, quæ cum Virginitate oleum habent Miserationis ignémque Caritatis; *Fatuæ* autem, quæ hoc & illo destituuntur.

Lyrano, *Prudentes* sunt Contemplativi & Religiosi, quibus suppetit oleum pii in Superos Deumque sensus; *Fatuæ* verò seculares, qui hoc & illo carent.

Origeni, *Prudentes* sunt eæ, quæ ad Fidem (quæ lucerna est) addunt oleum bonorum operum, maximè verò Caritatis ac Misericordiæ; *Fatuæ* autem, quæ sola Fide contentæ vivunt.

At quis *Sponsus?* Christus, quocum Virgines, id est Fideles animæ in hac vita veluti sponsalia contrahunt, perguntque levi pede illi obviam.

Sed interea injicitur aliqua *mora.* Quænam illa? Vitæ tempus, tempus salutaris pœnitentiæ, quo exacto dormitant omnes, imò dormiunt. At quem *somnum?* Utique non alium, quàm mortis: ab illo *media nocte* fit *clamor*, quo jubentur surgere quæ longo mortis somno jacuerant insepultæ, & ire obviam adventanti ad judicium Sponso, id est Christo: Surgunt omnes, & *quæ paratæ erant*, hoc est oleo miserationis ac igne Charitatis probè instructæ, intrant *ad Nuptias*, æternæ scilicet Beatitatis: quæ minus paratæ, etsi jactent sæpius illud: *Domine, Domine aperi nobis*; non audiunt nisi durum & horrendum istud: *Nescio vos.* Nec mirum, quia deest oleum, id est miseratio; deficit ignis, id est caritas; deficiunt denique opera bona.

Ideoque non auditur, nec prodest illud, *Domine, Domine.* *Quid* enim *prodest voce invocare, quem operibus neges*, ut rectè monet D. Hieronymus. Et hæc summa Parabolæ, à qua descendo ad Doctorem Angelicum & Seraphicum.

EX D. THOMA.

Serm. hic c. 14. PRo argumento primùm sumit illud ex Proverbiis: *Sapiens mulier ædificat domum suam.* Deinde ex Scripturis producit tres mulieres sapientes.

Prima, est *Abigaïl.* Et hæc sapiens fuit in Ethica, 1. Reg. c. 25. quia de moribus opportunè & doctè Philosophata; etiam sua sapientia liberavit Nabal.

Secunda,

2 Reg. c. 14. Secunda, est mulier *Thecuitis*. Et hæc sapiens fuit in Physica; bellè enim discurrit de naturis rerum, quod est Physicæ: Et hæc etiam liberavit Absalon.

Tertia, mulier est *Debora*. Et hæc sapiens fuit in Logica, quæ scilicet inquirit atque investigat verum; uti & illa fecit atque etiam Civitatem liberavit.

Hæc ubi dixit, ad extremum componit cum illis D. CATHARINAM: & quidem,

Primò, cum *Abigail*, ut quæ sapientia stultam fecerit sapientiam Philosophorum, quos refert *Nabal*, id est stultus.

Secundò, cum *Thecuite*, ut quæ stultam fecerit sapientiam mundi hujus, id est Absalonis, qui Patris luctus fuit & amaritudo.

Tertiò, cum *Debora*, ut quæ Civitatem, id est Ecclesiam, sua sapientia à confusione liberarit, Fideles confirmando in Fide quà verbis, quà exemplo: & Infideles convertendo, Regemque confutando.

EX D. BONAVENTURA.

Psal. 67. Serm. bis. EX illo Vatis Regii: *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri*. D. CATHARINAM comparat cum *Columba*, cujus producit quinque proprietates.

Prima, Columba *humilis est in affectu*, simplex & mitis *in convictu*. Felle enim caret, nec rostro lædit, nec ungulis discerpit. Et hæc est *simplicitatis innocentia, quam D. CATHARINA corde tenuit, ore docuit, opere custodivit*.

Secunda, est *lugubris in cantu: Gemitum enim habet pro cantu*. Et hoc innuitur asperitas pœnitentiæ, in qua à primis annis gemuit CATHARINA. Hanc imitari stude, ô peccator, audique benè monentem Serm. 16. de verb. Dom. Augustinum: *Tolle vocem corvinam, & habe gemitum columbinum*.

Tertia, est *mutabilis in visu. Novies enim visum amittit, & novies recuperat. Et per hoc signatur sagacitas providentiæ, quam ostendit Virgo contra triplicem insultum; scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ*. Sunt oculi tui illis similes; *Oculi* videlicet *Columbarum*, docti fugere tartareum accipitrem.

Quarta, *Celer est in volatu*: quo nimirum revolat in nidum suum: & hoc significatur obedientia velox, qua animæ ut *Columbæ volant ad fenestras suas*, id est ad Isai. c. 60. custodiam suorum sensuum, & inde etiam mandatorum Dei. Et ita volavit S. CATHARINA ad primas Dei vocantis voces, *quasi avis ex Ægypto sæ-* Osee c. 11. *culi hujus, & quasi columba de terra Assyriorum*, hoc est infidelium; ut in nidulo suo, hoc est Ecclesia, Dei domo, nidulo bonarum mentium, requiesceret.

Quinta, *Fertilis est in effectu. Frequenter enim in anno pullificat*. Et per hoc indicatur *fœcunditas conscientiæ, quæ major est fœcunditate naturæ*. Quia, ut scitè D. Ambrosius: *Non matrimonii onus, non dolor partus, & inde numerosior soboles piæ mentis, quæ omnes pro liberis habet, fœcunda successionibus, sterilis orbitatibus, nescit funera, novit heredes*.

Huic soli dicitur: *Aperi mihi soror mea, amica mea,* Cant. c. 5. *columba mea*.

Soror cohabitatione, amica dilectione, columba operatione, qua fertilis est.

Et talis fuit CATHARINA, quæ cùm instar columbæ nidificaret in summo ore foraminis, id est vulneribus Christi, ibi virtutibus fœcundabatur, & inde etiam numerosa spirituali prole, id est animabus, quas Religioni & Christo peperit.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus*. Matth. cap. 25. vers. 1.

CUR REGNUM COELORUM (quod est Ecclesia) *dicitur simile decem Virginibus?*

Cur Virginibus? SI Regni cœlestis similitudo ex aliquo Beatorum ordine peti debuit: Cur è Virginibus? Cur non potiùs ex aliis? Certè occurrebant imprimis veteres illi & nominari Patriarchæ, Abraham, Isaac, & Jacob, alta nomina: Cur ex illis non ducitur Regni cœlestis similitudo?

Occurrebant etiam Prophetæ, veluti perspicaces Ecclesiæ oculi, qui etiam longè futura prævidèrent ac prædicerent.

Occurrebant & Apostoli, magnæ illæ mentes, & cœli novi, hoc est Ecclesiæ, veluti motrices Intelligentiæ.

Occurrebant & Martyres, grandes Animæ, invicti pugiles, fortia pectora, & vitæ sanguinisque prodiga.

Occurrebant & Confessores gloriosi, à patientia & exantlaris Dei ac Religionis causâ laboribus spectabiles: Cur aut his, aut illis simile non appellatur Regnum Cœlorum? Similis Ecclesia, cujus tam hi, quàm illi, quasi columnæ dici possunt? Cur iis relictis dicitur simile decem Virginibus? Hic est nodus quæstionis, qui solvi potest,

Primò, si responderis: Hæc Dei, hæc Christi voluntas fuit, quæ rationum est instar omnium: quia tamen, ut eleganter D. Cyprianus, *Apud summam rationem nihil expers est rationis*; hic rationes inquirimus.

1. Ratio. Una esse potest, *Cælestis* quædam *Angelica* ac propè *Divina Virginitatis excellentia*.

Divinam appello; quia vel in ipso Deo, in ipsa SS. Triade inventa: dicitur enim SS. TRINITAS *prima Virgo*; quia in ea Pater Filium generat, at sine Matre; uti in terris Virgo, sed sine Patre.

Cælestem dico, quia ut ait Richardus à S. Laurentio, *Ros cœli Virginitas, uti pinguedo terræ fœcunditas*. Lib. 1 de Laud. Virg. c. 6.

Amplius dico, dum *Angelicam* dico Virginitatem; ut enim aureè D. Chrysologus, *Semper est Angelis* Serm. 143. *cognata Virginitas*. Nec cognata solùm, sed & quodammodo *superior*; quia *Angelicam gloriam acquirere majus est, quàm habere. Esse Angelum felicitatis est, Virginem esse, virtutis*. Et quia virtutis est, hinc majus quiddam est, quàm si esset felicitatis ac naturæ, uti revera est in Angelis.

Hinc factum autumo, ut antiquiores illi Sophi, atque Astrologi Virginem in cœlo, clarissimo loco signiferi

signiferi Orbis collocarint, ut innuerent rem esse planè cœlestem, & inter signa astravè cœlestia referendam.

Et inde etiam Græci rerum naturas intuiti, pari propè arcanæ intelligentiæ invento virtutes nominare παρθένους, id est *Virgines*, quòd aut Virgines esse crederent, aut à Virginitate habere quod essent in numeru virtutum. Tanta in eâ vis erat, excellentia tanta.

Quod si ita est, si Virginitas *Cœlestis*, *Angelica* ac *propè Divina*: & Virgines *Cœlestes*, *Angelica*, *ac propè Divinæ*. Quid ergo mirum si Cœlorum Regnum Virginibus esse simile pronuntietur?

III. Ratio. Accedit & altera ratio, quæ ejus dignitatem mirum quantum commendat. Distinguit hæc castitatem triplicem: Videlicet

Conjugalem, *Vidualem*, *Virginalem*. Tum inter has discrimen hoc ponit.

Ut Virginitas sit aurum, *Castitas argentum*, *Iugalitas æramentum*.

Virginitas Sol, *Castitas lucerna*, *Iugalitas tenebræ*.

Virginitas Regina, *Castitas Domina*, *Iugalitas ancilla*.

Ecce quo intervallo Virginitas distet, & quantum intersit inter Virginitatem & Castitatem ac Jugalitatem: tantum scilicet quantum inter aurum & alia metalla; quantum inter Solem & lucernam, imò & noctem; quantum inter Reginam & subditas.

Nimirum Virginitas *Aurum* est, auroque ditior ac pretiosior.

Sol est, hoc aspectabili Sole lucidior atque ardentior.

Regina est, quæ Castitatem aliam quamcumque sic antecellit, ut Regina promiscuum fœminarum vulgus. Quid ergo mirum, si ea fit, quod Cœlum cum Virginitate, & Virgines cum Regno cœlesti componantur, etiam judice Incarnata Patris Æterni Sapientia, qui hujusce virtutis, utpotè Cœlestis, Angelicæ, ac propè Divinæ, dignitatem noverat ac majestatem.

Noverat etiam CATHARINA, & jam inde à teneris annis amarat pulcherrimæ hujus virtutis speciem.

Legerat nimirum, & Fidelibus oculis animoque usurparat illud Sapientis: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. Casta*, inquam, *hoc est* (interpretibus Origene, Cypriano, Ambrosio, Bernardo) *Virginea*. Sap. c. 4.

Legerat, inquam, & in illius amores exarserat, & Deo Virginitatem Christoque, ceu Sponso, se Sponsam devoverat: quod sanè difficillimum illi fuit.

Virginitatis hostes. Tres enim erant Virginitatis hostes acerrimi, quibuscum ei pugnandum erat acriter, & vincendum feliciter; at non sine sanguine.

Primus. Primus erat eximia quædam atque amabilis totius corporis compositio, ac membrorum conformatio, oris gratia, genarum rubor, frontis dignitas, majestas faciei, & forma Imperio digna, cum qua Castitati ac Virginitati luctandum fuit.

De cultu fam. c. 2. Fatendum enim est, pulchritudinem, etsi Tertulliano sit *Anima vestis urbana*, & quædam veluti *felicitas corporis*;

Hom. 3. de verb. Isa. Etsi D. Chrysostomo, *Divinæ sapientiæ opus atque donum*; Platoni, *naturæ privilegium*: Nihilominus ex naturæ nostræ corruptela, atque vitio, etiam esse (ut vult Theophrastus) *Silentem fraudem*; Ut Socrates, *Crudelem tyrannum*.

Fraudem quidem, quæ blandè & subdolè incautas animas decipiat; *Tyrannum* verò *crudelem*, qui etiam vi cogat, & armata manu, minis, flagris, plagis, ipsâque mortis imagine. Et ut non decipiat, nec cogat; at certè litem movebit: ut enim verè cecinit Latinus poëta:

Lis est cum formâ magna pudicitia.

Et cum forma CATHARINÆ lis fuit; fraus fuit, fuit & tyrannis. At litem diremit illa, fraudem detexit, tyrannidem fregit ac vicit, & Virginitatem, quam Deo Christoque voverat, ad extremum spiritum servavit.

Testis erit fons ille lacteus, qui è collo eburneo, è capite resciso manavit uberrimè, & pro sanguine lac fudit: lac, inquam, index illibatæ Virginitatis, cui etiam cum alio hoste congressus fuerat.

Secundus. Fuit hic regius sanguis, avitum genus, & inclyta propago, quæ regias spoponderet nuptias, quæ purpuram, quæ diademata, quæ coronas offerret; & cum his Virginitati pugnare & vincere mirum quàm arduum & difficile fuit: pugnavit tamen vicitque CATHARINA, cui pro genere virtus fuit, cui corpus aptarat formaratque Castitas.

Si enim de Viri sancti efformatione Boëtio dicere licuit: *Viri sacri corpus virtutes ædificaverunt*. Et mihi de CATHARINA Virgine ac Martyre dicere licebit; L. 4. de Cons. Prosa 6. Virginis sacræ *corpus virtutes ædificaverunt*; atque imprimis Virginitas, quæ virtutum instar omnium, & cui etiam cum tertio hoste pugna fuit.

Tertius. Fuit hic ætas tenella, & quasi primus illius flosculus, quem sæpè sæpiùs adurit æstus aliquis, & ardor concupiscentiæ, à qua flaccescere solet & marcescere vigor ille pudoris & lilium castitatis: at in CATHARINA (licet in primo annorum & ætatulæ vere) nec vigor ille remitti unquam potuit, nec Virginitatis candor mutari: stetit & hic & ille sibi semper similis & constans, eundemque colorem retinuit, licèt à corpore, ceu hoste, non semel impetitus.

Fatendum enim verissimum esse illud D. Hieronymi ad Nepotianum: *Adolescentia multa corporis bella sustinet*. Et ita sustinuit in D. CATHARINA; sed sustinendo vicit evicitque. Ep. ad Nepot.

Utinam & nos ita sustineamus, ut cum illa etiam vincamus: quod si fortè (quæ naturæ fuit in malum inclinatio) victi hactenus fuimus, si vigor ille pudoris emarcuit, si exaruit albicans castitatis lilium. Hac die certè, quæ D. CATHARINÆ, Virgini longè castissimæ, est anniversaria, reviresçat, imò & reflorescat.

Narrat S. Gregorius Turonensis de S. Severo stupendum illud ac perenne miraculum: quod scilicet lilium ab illo quondam templo oblatum, cùm anno toto aridum fuerit, ipso die anniversaria quot annis reviresceret ac reflorescere. L. 1. de glor. Confess. c. 106.

Quod illi lilio; hoc & nobis anniversaria D. CATHARINÆ luce obveniat: & si fortè (quod avertant Superi) flaccidum, exsuccum, aridum in animis corporibusque nostris fuerit castitatis lilium; hac ipsa die reviresçat atque reflorescat. Et quidem ea mente, ea constantia, ut imposterum nec flaccescat nec exarescat unquam.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba : *Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* vers. 4.

QVÆ PRVDENTES? ET QVÆ EARVM PRVDENTIA?

Quid Prudentia? IN hac quæstione primò generatim inquirendum erit Quid sit Prudentia, & in quo reposita? Deinde, quæ hic Virginum prudentia? Denique, quæ etiam D. CATHARINÆ?

Lib. 6. Eth. c. 5. Aristoteli, *Prudentia est habitus vera cum ratione activus, circa ea quæ & bona & mala homini sunt.*

Dicitur primò, *Habitus*; quia est qualitas intellectui insidens, & in eo permanens : non autem ad modum transeuntis, ut sunt actus.

Secundò, *Activus*, quia non sistit in contemplatione nuda (hæc enim omnis propè boni inanis esset ac vacua) sed ad actionem & praxim dirigitur.

Tertiò, *Vera cum ratione:* si enim rationi, & quidem veræ, & non apparenti tantùm, conjuncta non esset; non esset virtus intellectualis, adeóque nec prudentia.

Quartò, denique, *Circa ea, quæ homini bona sunt*, ut ea sectetur & quærat. Et circa *mala*, ut ea aversetur ac fugiat.

Lib. 1. Offic. Romano Oratori, *Prudentia est scientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.* Munus enim, imò & laus prudentiæ posita est in notanda & persequenda opportunitate rerum agendarum.

L. 1. Offic. c. 26. D. Ambrosio, Prudentia sita est in *investigatione veritatis.*

Lib. 83. Qu. 52. D. Augustino, *Prudentia est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum.* Cognitio, inquam, non speculativa; sed practica.

Prov. c. 9. v. 10. Salomoni Regum sapientissimo, *Scientia Sanctorum est prudentia.* Vel ut est in Hebræo: *Scientia Sanctarum*, nempè rerum, est *prudentia.* Vel ut alii : *Summum in prudentia est nosse Divina.*

Quæ illius partes? Hujus portò prudentiæ, duæ sunt partes, Videlicet *Intelligentia*, quæ spectat statum rerum præsentium. Et *Providentia*, quæ futurarum.

Ex *Intelligentia* oritur judicium certum, quo bona à noxiis, & inter ipsa bona meliora discernuntur.

Et hæc vulgò appellatur *Discretio*, quæ est in Anima quod in oculo pupilla. Imò aliarum virtutum oculus est, & quasi omnibus communis.

Quod in Photei filiabus pulchrè adumbrat Mythologus : ait enim tres fuisse sorores, quæ communem haberent oculum unum, quo, si fortè egredi domo, aut aliud quippiam facere voluissent, una post aliam utebantur.

Hoc est ingeniosum figmentum; ista veritas. Virtutes Cœli filiæ sunt, sorores omnes; & discretionem ut communem & unum habent oculum; quo, si prodire velint in publicum, aut aliquid commendatione dignum moliri, uti debent.

Providentia, procul posita & futura mente & cogitatione percipit; & hinc providentia dicitur à procul videndo. Ab hac oritur cautio & præcautio, indicium magnæ mentis, & fœtus animi honoratus, quem Ennodius in Theodorico Italiæ Rege sic

In Panegyr. commendat. *Nec viri fortis in te deest securitas, nec cautela metuentis.* Nimirum & hanc & illam præstat providentia potissima prudentiæ laus & commendatio.

Prudentia Virginum. Et hæc & illa fuit in Virginibus, quæ hic *Prudentes* appellantur. Sentiebant evocari se, ut obviam irent sponso; longum ac difficile iter superandum, in via etiam interquiescendum, imò obdormiendum, & quidem sopore gravi ac diuturno, à quo ex improviso ac derepentè erant excitandæ : & hinc prospiciendum ut & lampas esset expedita, & oleum in copia, & lychnus paratus fovendo igni & luci mediis in tenebris profundaque nocte. Neque expectandum dum insonaret tubæ clangor, & aures feriret ille clamor : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*; tum enim sera nimis providentia, dum non suppeteret à quo & unde peteretur oleum. Quod quàm verum esset, suo malo didicerunt Virgines *fatuæ*; quibus dum deficit oleum, deficit ignis, & lux deficit, & ipsa beatitas excidit, dum à nuptiis excidunt audiuntque dictum illud : *Nescio vos.*

Et hæc de Virginum illarum prudentia : venio ad illam, quæ in D. CATHARINA eluxit vel maximè.

Si Salomone judice prudentia *Scientia Sanctorum* est, si *summum in prudentia est nosse divina* : & hæc in D. CATHARINA fuit, cujus à prima ætate, à teneris annis in sacris Paginis studium fuit, è quibus, velut è fontibus ubertimis hauriebat cœlestium ac divinorum cognitionem, altissimaque lumina, quibus oculo mentis in cœlos ipsos Deumque evaderet, & arcana Fidei omnia pervideret. Prudentia S. Catharinæ.

Et hæc fuere lumina, quibus perstrinxit oculos & animos quinquaginta Oratorum, quos è toto Regno exciverat Maximinus, ut cum una Virgine descenderent in lycæum de causa Religionis disceptaturi.

Venerunt illi fastu tumidi, & à profana sapientia, ut sibi videbantur, bellè instructi : At quid illa ad *Scientiam Sanctorum?* Quid ad CATHARINÆ prudentiam? Norant illi humana; at CATHARINA Divina noverat, quod summum est in prudentiâ, & hinc pro illa victoria stetit, stetit veritas, stetit & Deus, & victas CATHARINÆ Deoque dedere manus Oratores omninò quinquaginta. Tanta prudentiæ vis fuit. Et hic primus ab illa animarum proventus. Aliud accipe prudentiæ munus, unaque etiam fructum.

Si Tullio prudentia est scientia oportunitatis idonei temporis ad agendum : & hæc quoque in CATHARINA fuit.

Emanarat à Maximino Imperatore edictum impium, quo jubebantur omnes Alexandriam se conferre, ut profanis deorum, aut potius dæmonum simulacris sacrificium offerrent. Illi obsequens populus aut reverentia Imperatoris, aut minarum metu, undique confluebat Alexandriam, eo concursu, iis undis populorum, ut Civitas cæteroquin amplissima vix eos caperet : Ipse Maximinus ad templum ibat stipatus immani procerum militumque turba; & è suo ære centum viginti tauros diis immolabat; è popello pro suo quisque modulo, hic bovem, ille vitulum, ovem alius, alius avem immolabat; resonabat Civitas & templi adita quà mugitu, quà balatu victimarum, & aër ipse earum nidore & graveolentia inficiebatur.

Quid hîc ageret CATHARINA, quæ aliàs in secreto conclavi, sibi Deoque vacare solita erat, nec

in publicum prodire; prodit tamen, & duce prudentia, quæ captandam dictabat opportunitatem rei benè agendæ; primùm stetit in templi limine: dein accepta ab Imperatore venia ad interiora penetravit, ad colloquium venit; & Christiana planè libertate Maximinum arguit impiæ superstitionis, quod qui uni immortalique Deo sacrificare debuisset, mutis dæmonum simulacris litaret, in Deum impius, in seipsi crudelis, in populum injurius, quem ad id sceleris litteris suis, edictoque coëgisset.

Hic primò attonitus hæsit Imperator, quà vultus & oris gratia, quà facundæ orationis vi captus; dein in iras exarsit; denique peracto sacrificio in aulam evocavit pluribus super ea re illam auditurus.

Audit enimverò, & ut erat vanis illis deorum erroribus irretitus, non Virginem, non puellam terris innatam credidit; sed unam è deabus cœlo in terras elapsam existimavit, & ingenuè confessus est: sed & in hoc erroris arguit CATHARINA, & se quidem Imperatoris filiam, at mortalem tamen mortales inter agnovit, imò eò se abjecit, ut pulvis & lutum haberi vellet.

Hic suspice, hic ama, Lector, CATHARINÆ prudentiam, quæ oportuna capit fandi tempora, quod est prudentiæ; quæ etiam in aliis enituit.

Si prudentia D. Augustino est *Cognitio rerum appetendarum & fugiendarum.* Et hæc quoque in CATHARINA fuit.

Eam primo blanditiis tentavit Imperator, & quà voluptatum lenociniis, quà opum pondere, & auri gemmarumque luce, quà honorum titulis & dignâ natalibus sede; sede, inquam, majestatis, purpura, sceptro, corona.

Deinde ubi his ne tangi quidem CATHARINAM vidit, nedum commoveri, ad minas feroces, ad vincula, ad equuleos, ad catastas, ad ferrum, ad rotas, ad ignes venit, eosque unà cum multo irarum æstu evomuit.

Quid hæc inter CATHARINA? Quod suggessit prudentia, atque enata ex illa cognitio rerum fugiendarum & appetendarum: ita pro nihilo voluptates, divitias, honores esse duxit, duxit & esse fugiendos: at carceres, vincula, equuleos, ferrum, rotas, & acerbissima quæque Dei ac Religionis causa appetenda esse censuit.

Et hoc quidem ex *vera ratione* & prudentia, quæ (ut ait Philosophus) spectat quæ homini *bona sunt, quæ mala.* Ita hic malæ voluptates, malæ divitiæ, mali fucati honores; bona autem vincula, supplicia, morsque ipsa pro Fide Deoque fortiter obita.

Et hæc sibi dicebat CATHARINA *ex vera ratione*, ex Christianæ, id est veræ prudentiæ, legibus. Et hæc ipsa nobis dicamus ipsi.

Si carcerem minetur tyrannus. *Recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse; & exisse nos è carcere, quam in carcerem introisse intelligemus.* Tertul. l. ad Mart. c. 2.

Si ad tenebras vocat obscuramque specum. Et *majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant.*

Si catenas objicit atque obtrudit. Et *graviores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt.*

Si ad carceris sordes abjicit. Et *pejores immunditias expirat mundus, libidines hominum.*

Si reos nos appellat, & reos arguit. Et *plures mundus reos continet, scilicet universum hominum genus.*

Si ad tribunalia evocat, evocat ad judicia: Et *judicia* mundus, *non proconsulis; sed Dei sustinet.*

Si ad labores, & *duriorem tractationem à liberiore conditione seponit.* Etiam *Athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam; ut robori ædificando vacent: Continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu jucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur: quantò plus exercitationibus laboraverint, tantò plus de victoria sperant.* Cap. 3.

Et illi (ut inquit Apostolus) *ut coronam corruptibilem consequantur. Nos æternam consecuturi, carcerem nobis pro palæstra interpretemur, ut ad stadium tribunalis benè exercitati incommodis omnibus producamur; quia virtus duritiâ extruitur, mollitiâ verò destruitur.*

Si denique *timebit Caro gladium gravem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam; & omne carnificis ingenium in tormentis.* Tum *spiritus contraponat sibi, & carni, acerba licet ista, à multis tamen æquo animo excepta; imò & ultrò appetita famæ & gloriæ causâ.* Cap. 4.

Postquam hæc sibi & Carni contraposuerit spiritus; tum ex vera ratione, ex Logicæ Christianæ, id est prudentiæ, præceptionibus eam trahat conclusionem.

Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias tormenta contemnant sub pretio laudis humanæ; possum dicere modica sunt ista passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis & Divinæ mercedis. Si tanti vitreum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso?

Et hæc ipsa est conclusio, quam à prudentia probè docti elicere debemus, & quam elicuit D. CATHARINA, & quâ sibi animos fecit omnibus suppliciis ipsaque morte altiores.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS:

Ad illa verba: *Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ, & ornaverunt lampades suas.* vers. 7.

QUÆ SINT ILLÆ LAMPADES? Et quæ earum ornamenta?

Lampades.



ALTIORE mortis somno cùm profundum indormiscent Virgines, derepentè aut cœli tuba, aut clamore valido excitatæ surrexerunt, & accinctæ ad iter longissimæ æternitatis ornaverunt lampades suas.

At quæ, inquies, sunt illæ lampades?

D. Hilario lampades sunt animæ, & *lampadum assumptio, est reditus earundem in corpora*, quæ sunt velut animarum vasa; eas enim continent. *Oleum* autem sunt opera bona, ea maximè quæ misericordiæ dicuntur. *Ignis* est caritas, quæ & Deum spectat, & proximum attendit. *Lux* verò est qui à bonis exemplis emanat fulgor, & spectantium oculos ferit. De singulis mere nostro ne nulla subdemus. Can. 27. in Matth. Animæ.

Divina providentia, quæ, subinde quibusdam symbolis,

ſymbolis, futuris eventibus amat præludere, lampades ac lucernas objecit pro ſymbolo, & quodam Martyrii præſagio.

Shr, 24. Feb. Ita objecit aliquando S. Montano ejusque ſociis, è quibus unus, cui nomen *Reno*, in amœna ſomni imagine, *Vidit produci ſingulos, quibus prodeuntibus lucernæ ſingula proferebantur; cujus autem lucerna non præceſſerat, nec ipſe ſequebatur.*

Maximè martyrium. Vix hæc viderat, cùm ſibi à ſomno redditus eſt, & unà cum ſociis ad judicem Fidei causâ raptus; ac deinde Martyrio affectus.

Oleum miſeratio. Et hæc de lampade: de oleo pauca ex ſacris Paginis. Fuit illud omni ævo ſymbolum miſericordiæ: & hinc faciles ac proni ad miſerendum dicti ſunt *Filii olei*.

Zachar. c. 7. v. 9. Sic Joſue & Zorobabel appellati ſunt *duo Filii olei*.

Sic David ad miſerendum copioſus atque effuſus, potiſſimùm verò in ſua ſenectute, de qua ſic canit: *Et ſenectus mea in miſericordia uberi*. In hebræo eſt *Scemen*, hoc eſt oleum. Inde Hieronymus vertit: *Et ſenectus mea in oleo uberi*.

Sic Chriſtus appellatus ab Iſaia *Filius olei*. Hieroglyphico ſanè honorato, quo ejus miſericordia exprimitur in Eccleſiam, ceu vineam; de qua ſic Vates: *Cap. 5. v. 1.* *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu Filio olei*, id eſt Chriſto, ut explicat Origenes, aliique.

Ex quo qui Hebræis dicitur *Meſſias*, Græcis & Latinis dicitur *Chriſtus*, id eſt *Unctus*; & Reges *Uncti Domini*, ex recepto inter antiquos more, ut oleo inungerentur, eoque ſacratiore ritu admonerentur Clementiæ & Miſerationis, qua eos in ſubditos decet eſſe; & quæ virtutes inter Regias prima ac potiſſima cenſeri debet.

Indeque Vopiſcus in Aureliano: *Primam dotem Imperii* vocat *Clementiam*, quam alia appellatione etiam magnifica Claudianus vocat mundi hujus aſpectibilis cuſtodem. *Magni*, inquit, *cuſtos Clementia mundi*; quæ *Plutarch. in Iſide.* auguſtiore voce ab eodem Claudiano dicitur, & eſt *maxima natu Cœlicolûm*. Quam appellationem hauſit ex ingenioſo illo commento, quo Zoroaſtes, & magi, *Oromazen* Deum ſummum, aiebant genuiſſe ſex filios, è quibus primum appellavit *benignitatem*, ſive *Clementiam*, & Amorem ex illo Parmenidis:

Ante Deos omnes primum generavit amorem.

ex eo quod amor, clementia, benignitas omnia Dei opera antecedat; & quaſi præoccupet.

Et hæc paucis occaſione olei, ſymboli utique miſerationis, clementiæ, & amoris.

Ab oleo lampadis noſtræ transeo ad ſacrum illius Ignis Caritas. *Ignem*: eſt hic *ſymbolum amoris & caritatis*.

Ita Spiritus ſanctus, qui totus amor eſt in ignis ſpecie apparuit; ita dicitur in ſacris Paginis *Deus ignis* *Deuter. c. 4. v. 24.* *conſumens*.

Ita de Chriſto Joannes vox Verbi dixit: *Ipſe vos* *Matth. c. 3.* *Baptizabit in Spiritu Sancto & igni*, hoc eſt *igneo & igniente*, quia ſcilicet adinſtar ignis amore accendit, & urit.

Ex quo Scripturæ loco perperàm intellecto, Hermiani & Seleuciani hæretici ſuos Baptizabant, *Hæreſ. 59.* non aqua, ſed igni, ut teſtis eſt D. Auguſtinus; quod non feciſſent, ſi hîc ignem ſymbolicè accepiſſent, pro ſymbolo illius amoris ac caritatis, quam Spiritus ſanctus per Baptiſmum accendit.

Lux exemplum boni. Et hæc de igne: de *Luce* lampadis etiam pauca. Eſt enim hæc partus ignis, & quidem nobiliſſimus, illuſtreque *ſymbolum boni exempli*, de quo ſic olim ad *Matth. c. 5. v. 16.* Diſcipulos Salvator: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*. Eſt illa lux doctrinæ ac ſanctitatis, hoc eſt exempli boni, quod ſanè doctrina potius atque efficacius.

Ex quibus liquet ad ſecundam quæſtionem reſponſio; videlicet ornamenta myſticæ hujus ac ſpiritualis lampadis, id eſt Animæ, eſſe oleum miſerationis, ignem caritatis, & lucem exempli ſanctioris.

Et hæc ornamenta lampadis. Et hæc fuerunt in D. CATHARINA, ceu Lampade, quam Deus in Eccleſia ſua appenderat.

D. Catharina lampas. Et primùm quidem oleum miſerationis. Hæc ab aliena miſeria ita pendet, ut ſi nulla ſit miſeria, nulla quoque ſit miſeratio: unde in Cœlis nec erit miſericordia, nec *opera miſericordia, quia tranſiit miſeria*, ut annotat D. Auguſtinus. *In Pſal. 85.* At in terris, uti abundat miſeria; ſic & miſericordia. Et tam hæc quàm illa duplex. Ut enim miſeria alia corporis eſt, alia mentis: ſic & miſericordiæ opera alia corporalia ſunt, quæ corpus afflictum levant; alia ſpiritualia, quæ animum terris, imò inferis jam proſtratum erigunt.

In his & illis ſeſe explicuit, quæ in D. CATHARINA fuit Regia virtus miſeratio; maximè verò in iis, quæ ad animos ſpectabant.

Oleum, miſeratio ergà proximum. Videtat illa confluentem undique turbam, & quà nefandi Imperatoris edicto, quà etiam ſuo impete in exitium ruere, dum profanis deorum ſimulacris ſeſe inclinat, & victimas offert, quæ ſumma erat miſeria. Et hinc ſummâ opus miſericordiâ, qua illicò moveri ſe ſenſit CATHARINA, & inde, quæ aliàs domi ſeſe continebat, quæ abſtinebat à publico, quaſi oblita ſuæ ſolitudinis, ac pertæſa diuturni ſilentii, in publicum erupit, Maximinum in ipſis deorum fanis convenit, invaſit, & immanis ſacrilegii arguit, & quà licuit potuitque ne in id ſceleris ac miſeriæ veniret populus contendit; quod ſanè miſerentis animi fuit, & Deo jam propinqui.

Si enim, aliquando Plinius, *Deus eſt juvare mortalem*; *Lib. 2. c. 7.* *Et homo homini Deus*, ut habet Græca parœmia: Certè D. CATHARINA popello de ſalute periclitanti, *Deus* fuit, quia juvit, & quidem in eo negotio, in quo non de pecunia, non de corpore, non de tempore agebatur; ſed de anima déque æternitate.

Quod populo, hoc deinde Philoſophis omninò quinquaginta. Audierat illos profanis diſciplinis malè onctos, & inſanis deorum erroribus irretitos, quæ ſumma erat miſeria: & hinc miſeratione tangi ſe ſenſit, impellique divino nutu, ut tanto malo remedium afferret.

Et verò attulit: nam & errorum nubem, qua tegebantur, diſpulit; & amœnum Fidei jubar; ſolemque Divinæ caritatis intulit: & eò quidem, ut & ipſi deinde pro Religione Deoque vitam inter incendia poſuerint, Martyres ſic innoxia ac lambente flamma, ut ne pilum quidem abſumpſerit. Crederes quinquaginta illos Chriſti pugiles non tam foris igne quàm intus amore ſublatos.

Et hæc tua laus, tua gloria, ô dilecta Deo CATHARINA; hæc ſunt, quæ tuliſti Animarum ſpolia, hæc lucra, imò tua lucra & Chriſti. *Ferrandus Diaconus in paræn. ad Regem.* *Gaude igitur ad lucra Chriſti*; gaude etiam ad tua. *Quod enim majus lucrum poteſt eſſe, aut quid pretioſius, quàm ſi humanam animam quis lucretur?* *Hieron. in 1. Epiſt. ad Tit.*

Majus enimverò nullum. Et hoc in animo, & cogitatione, ceu trutina appendiſti: & hinc tua illa de animabus cura, hinc ardor entheus, quo etiam Imperatricem ipſam ita accendiſti ut pro Fide Chriſtóque & innoxiam cervicem carnifici ſubmiſerit, & caput ferro. *Gaude* igitur, gaude, ô Diva, *ad lucra Chriſti*, imò & tua.

Gaude, quod etiam Porphitionem militum Tribunum, cuſtodemque carceris unà cum militibus omninò ducentis Chriſto etiam pepereris, imò & Martyrio, fœcunda ſanè & ſpiritali prole dives, etſi Virgo.

Nimirum illa, illa Virginitati tuæ debebatur benedictio, longè potior ea, quàm olim Jacobo Iſaac; qui ſic aliquando ad illum:

Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam. *Gen. c. 27. v. 27.*

Si, ut potuisti terrestri sponso juncta fuisses, forsan dedisset tibi Deus benedictionem; sed *de pinguedine terræ*: prolium enim carnalium *fœcunditas*, est *pinguedo terræ*. At *Virginitas*, quia *ros cœli*, dedit tibi indulgens Deus abundantiam prolium spiritualium; sed *de rore cœli*, de gratia, quæ ex vero *Ros cœli*. Gaude igitur, gaude Virgo illo rore, gaude & illa prole. Hac cœlum replebis, aliis nonnisi terram repletura. Verum enim illud: *Nuptiæ terras replent, Virginitas Paradisum.*

Et ita Virginitas tua, ô CATHARINA, Paradisum replevit: replevit, inquam, non jam Philosophis, sed Martyribus; non profano duce ac milite, sed Cœli principibus; non terrena Imperatrice, sed inter beatas mentes Regina & Cœlorum Imperatrice. Et hoc beneficio cœlestis olei, id est miserationis, qua animam suam ceu lampadem repleverat.

Ignis, in Deum amor.

Venio ad *Ignem*, quo eam accendit: est hic ut dixi Amor in Deum intensus vel maximè. Probatur hic duobus: In vita quidem labore; in morte verò dolore ac martyrio.

Hom. 30. in Evang.

De amore, quem in omni vita ostendere debemus, sic piè philosophatur D. Gregorius: *De dilectione Conditoris lingua, mens & vita requirantur. Nunquam est Dei amor otiosus: operatur enim magna si est; si verò operari renuit, amor non est.*

Exod. c. 8. v. 19.

Ethine amabili Dei Sapientia Spiritus Sanctus, qui in Divinis amor est, in sacris litteris dicitur *Digitus Dei*. Ut inde noveris quis nexus amorem inter & opera: manus enim & digitus instrumenta sunt operis, imò & symbolum operis ac laboris.

Probatur labore.

Et Spiritus Sanctus qui *Dei Amor* est, & *Dei Digitus* est; quòd in Deo amare idem sit ac operari; & amor idem ac labor, & opus in gratiam rei amatæ. Quod si in Divinis Amor & opus, amare & operari idem sint; ut in humanis quoque idem sint oportet.

Et certè idem in D. CATHARINA fuisse jam demonstravimus, ubi sub oleo, symbolo quodam miserationis, expressimus pios illius labores, seu in arguenda impii Imperatoris superstitione, sue in acri illa longaque disceptatione, quam habuit tenellula Virgo, cùm sola in arenam descendit cum barbatis ac fastu tumidis Oratoribus quinquaginta, seu in Imperatricis, & Porphirionis Tribuni, ac ducentorum militum ad Christi Fidem conversione. Neque enim in eo certamine parta illi victoria partaque gloria sine labore, sine sudore.

L. 2. Ep. 2.

Ingeniosè & pulchrè de gloria generatim pronuntiavit illud Isidorus Pelusiota: Eam *sudoribus irrigari*; quòd ego de gloria, quam sibi in hac ingenii Fideique lucta peperit CATHARINA, ex veritate dixero: *Sudoribus irrigari*; imò & amplius quiddam, etiam sanguinibus.

Ita profectò pii illi Virginis nostræ labores primùm sudore, dein sanguine irrigati: sanguine dico Imperatricis; sanguine Oratorum quinquaginta; sanguine Tribuni ac militum, atque ad extremum ipsius: Et hinc

Probatur & dolore.

Descendo ad aliud amoris indicium, quod in morte elucet, & in dolore ac martyrio positum est.

Ea gloria quanta quanta est, non emitur nisi dolore, tormentis, ipsaque per pulchra vulnera morte.

Testem habeo D. Cyprianum, qui mortem Martyrum pretiosam appellat, & *consummationem virtutis*, hoc est caritatis, quæ scilicet nihil habet sublimius quò ascendat, quàm in equuleos, in rotas, in cruces, in mortem Dei sui causâ.

Epist. 9.

Verè sublimis, verè pretiosa mors, *quæ* (ut ait ille ipse S. Præsul) *emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis.*

Sic immortalitatem emit D. CATHARINA pretio sui sanguinis: sic accepit coronam de consummatione virtutis, hoc est accensæ in Deum caritatis.

Juvat illius pluribus meminisse, oculisque fidelibus subjicere quod illius pretium, quo dolore, quibus cruciatibus exactum, & quæ illius consummatio.

Cùm & vinci à D. CATHARINA suos Oratores, & minas suas irrideri, & blanditias contemni vidisset Maximinus, ira ac furore præceps in supplicia, in tormenta proruit, & virgineum corpus boum nervis ad duas horas continenter cædi jussit.

Quid hæc inter CATHARINA? Quo vultu, qua fronte, quibus oculis suam illam tenelli corporis aspicit lanienam? Iis certè, quibus deinde apud D. Bernardum invictus Christi pugil:

Stat Martyr tripudians, & toto licèt lacera corpore; non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Serm. 61. in Cant.

Circumspicit, inquam, & quidem amœno lætoque vultu; adeò ut vix læsam crederes. Nimirum illi tum evenit quod de alio Martyre eleganter Tertullianus:

Hunc tu læsum existimabis, quem vides lætum? Enimverò non existimabis. neque etiam existimasses CATHARINAM: quomodo enim læsam existimasses quam vidisses lætam? Et tamen læsa erat, & quidem toto corpore. Verùm quid facias? Nimis etiam in illa verum illud Tertulliani: *Nihil crus sentit in nervo, quum animus in Cœlo est;* uti reipsa erat animus CATHARINÆ. In Scorpiac. c. 2. L. ad Mart. c. 2.

Ab illa porrò laniena detruditur in obscurum fœtidúmque carcerem, ut ibi quà pœdore & graveolentia, quà inedia contabescat ac consumatur: sed quæ *extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere etiam carceri: & nihil interest ubi sit in sæculo, quæ extra sæculum est.* Ibidem.

Et verò quidni extra sæculum esset, quæ in sæculo Cœlum invenerat, & in carcere etiam Paradisum?

Quidni enim carcerem Paradisum appellem, *in quo bonum agonem subitura* Virgini *Agonothetes fuit ipse Christus*, qui se ei visendum dedit unà cum illustri Beatarum mentium corona, & animos ad tormenta fecit, quos parabat ad palmas? Cap. 3.

Quidni eum carcerem Paradisum appellem, in quem totis duodecim diebus, quibus in eo Virgo fuit, devolavit columba, quæ annonam vitæ sustinendæ deferret?

Quidni appellem Paradisum, qui cœlesti luce non semel conspicuus apparuit, quique Cœli Superumque spirabat odores. Nisi mavis & lucem ei CATHARINAM fuisse, & odorem suavitatis, ut de ea quoque verum esset quod deinde de Martyribus in carcere clausis pronuntiavit Tertullianus:

Triste illic expirat; sed vos odor estis suavitatis. Cap. 2.

Et sanè odor fuit CATHARINA, qui eò suavius expirabat, quò torrebatur magis. Sic expiravit in eo agone qui illi fuit cum immani machina: constabat illa rotis quatuor, quibus infixæ serræ & clavi acutiores, quibus media Virgo discindi diffindique debuit immiti circumvolutione. Ea machina posita sub Virginis oculos, ut vel aspectu suo horrorem incuteret: at non incussit; sed animavit magis, & eas etiam voces elicuit, quæ animum testarentur suppliciis omnibus superiorem

Videor mihi CATHARINAM ea ad Maximinum dicentem audire, quæ deinde apud Aldhelmum *Secunda*, Virgo fortissima, quæ sic ad tyrannum:

Applica ignes, saxa, gladios, flagella, fustes & virgas: quot tu pœnas intuleris, tot ego glorias numerabo; quot tu violentias irrogaris, tot ego Martyrii computo palmas. De Virgin. c. 26.

Hæc & majora jactabat CATHARINA, cui etsi sanguis per verbera toto corpore expressus esset pro veste, etsi immanis illa rotarum machina pro lecto, jactabat nihilominus illud quod deinde Christiani & Martyres apud Tertullianum:

Hic est

In Apolog. c. 50. *Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.*

Et tali curru triumphavit CATHARINA, tali Martyres omnes, invicti Christi pugiles, fortes animæ; quibus equulei, catastæ, rotæ, cruces pro curru triumphali, quo in cœleste Capitolium veherentur.

Et eodem evecta Diva Virgo & Martyr CATHARINA: Cùm enim rotas inter, cultris & ferro lanianda foret atque discerpenda, adfuit è Cœlo Tutelaris Angelus, utque antiquo proverbio jactari solet, *Deus in machina*; hoc est summo discrimine: adfuit, inquam, & instrumentum illud ac prodigium barbaræ immanitatis evertit, confregit, dissipavit & in ipsos carnifices adjacentemque turbam convertit, eo impete, ut pars læsa, pars fœdè lacerata, pars etiam cæsa.

Itaque inter tumultus ac lamenta cadentium ac morientium auditæ illæ voces, Fidei ac miraculi testes: *Magnus Deus Christianorum.*

Has inter dum gaudio exultat triumphatque CATHARINA, Deo vindice libera, & soluta vinculis rotisque minacibus, sanctioris vitæ scenam nobili ac generoso actu clausit; niveam enim cervicem ferro submisit, & vitam hanc mortalem amisit.

Lux exempli boni. Sic *enim immortalitatem pretio sui sanguinis, accepit coronam de consummatione virtutis*, à qua veluti Solis æmula lucet lucebitque in omnem æternitatem, posterósque omnes docebit *Christianum esse agere & pati fortia.*

Et verò quidni & sic agant & patiantur, tanta exemplorum luce ac splendore provocati? Quidni ex iis sibi animos addant tormentis omnibus ipsaque morte majores?

Video certè etiam Ethnicos inde sibi animos audaciámque addidisse.

Epist. 99. Senecam audi, qui sic olim ad Lucilium: *Dic tibi, ex istis, quæ terribilia videntur, nihil est invictum. singula vicêre jam multi; ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato. Et nos vincamus aliquid.* Hæc fuit Senecæ ratiocinatio, qua etiam Christianè usus est Tertullianus, ut Martyres erigeret etiam Ethnicorum exemplis, à quibus acerbissima quæque æquo animo excepta, imò & ultrò appetita famæ & gloriæ causa; nec à viris tantùm, sed etiam à fœminis.

Tertul. l. ad Mart. c. 4. *E viris Mutius manum suam dexteram in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet.*

Heraclitus se bubulo stercore oblitum exussit.

Empedocles in ignes Ætnæ montis dissiluit.

Peregrinus rogo se immisit.

Ubi hæc à viris sexuque firmiore exempla sumpsit, seu patientiæ, seu (ut videbatur) fortitudinis; tum ad molliorem sexum delabitur, &

De fœminis, inquit, *ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suæ pareret.*

Dido cùm post virum dilectissimum nubere cogeretur, ignes contempsit.

Asdrubalis uxor, quæ jam ardente Carthagine maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium patriæ devolavit.

Cleopatra ne in manus hostium perveniret, taurum & ursum immisit sibi.

Meretrix Atheniensis, quæ conscia conjurationis, cùm propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit conjuratos, & novissimè linguam suam comestam in faciem tyranni exspuit: ut nihil agere se scirent tormenta, etsi ultrà perseverarent.

Postquam hæc tum à viris, tum à fœminis exempla in medium protulit, tum descendit ad solemnitatem, quæ apud Lacædemonas erat maxima: hæc erat *Flagellatio, in quo sacro, ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affligebantur, astantibus parentibus & propinquis, & uti perseverarent adhortantibus. Ornamentum enim & gloria deputabatur, majore quidem titulo, si anima potius cessisset plagis, quàm corpus.*

Et hæc omnia sævitiæ & cruciatus certamina, jam apud homines affectatio, & morbus quidam animi conculcavit. Et hæc ipse Dominus in sæculum admisit; sed ad nos & nunc adhortandos, & in illo die (decretorio scilicet) *confundendos, si reformidaverimus pati pro veritate in salutem, quæ, alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.* cap. 5.

Hæc Tertullianus gravi ut aliàs stylo; à quo ad te, mi Lector, imò ad Divos Divásque redeo, & paucis mutatis sic teipse verbis Senecæ compello.

Ubi ad vincula manicásque tremunt manus, ubi ad carceris fœtorem nauseat stomachus, ubi caro mollicula verbera refugit, ubi tormenta mortemque mens exhorrescit: *Dic tibi*, dic ad aurem, dic ad animum. *Ex istis, quæ terribilia videntur, nihil est invictum. Singula vicêre jam multi* Divi Divæque Martyres. *Saxa Stephanus, ignem Laurentius, crucem Petrus, ferrum Paulus, feras Ignatius, rotas Catharina. Et nos vincamus aliquid*: dicamúsque nobis quod aliquando sibi Augustinus, dum nutaret hæreretque inter antiquas illas mundi carnisque, quibus tenebatur, illecebras, & graviores Cœli Deique ad se attrahentis stimulos; dicamus, inquam, nobis: *Non poteris, quod isti & istæ?* Enimverò, si voles, poteris.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.



NTERPRETE ac Doctore D. Chrysologo duplex S. ANDREÆ natalis est dies.

Uunus quo effusus est ad gratiam: & hoc, ut ait, *Conceptu Fidei*; quando scilicet *ad unam vocem Domini, patrem, patriam, censum reliquit*; & se *laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigilius Christi indefessè germani societate donavit.* Serm. 131.

Alter autem quod *Martyrii partu cœlestem noscitur generatus ad gloriam.*

Quando non eum materna cunabula suscepêre vagientem; sed superna triumphantem secreta receperunt.

Et hic ex vero illi natalis est; uti & aliis Sanctis: quando nimirum *non nascuntur* Serm. 129. *in terram de carne; sed de terra in Cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, de mundanis risibus ad coronam.*

De hoc & illo Natali die pauca proponemus: ubi tamen priùs

EX D. THOMA.

DUAS de S. ANDREA concinnes posteris reliquit:

Matth. c. 14. Prima ducitur ex hoc argumento: *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum:* Ex quo, inquit, docemur tria:

Primò, *Continuò obedire Deo:* & hoc propter qua- Serm. 1. tuor: 1. Quia continuò etiam ipsi desinemus. 2. Quia nisi obediemus, in nos continuò veniet illius ira. 3. Quia obedienti statim est sua merces. 4. Quia etiam ipsæ creaturæ irrationales ei illico obediunt.

Secundò, *Retia relinquere.* Quadruplex autem est rete: 1. Est *divitiæ sæculares.* De his etiam Jo- Cap. 18. bus: *Misit in rete pedes meos.* 2. *Mala mulier.* De hac Cap. 1. Abacuc: *Congregavit in rete suum;* sic de sorore sua dixit etiam D. Bernardus, quod erat *rete diaboli.* Prov. c. 29. 3. *Adulator*, de quo Sapiens: *Homo, qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.* 4. *Vltio divina*, quam dum in Israëlem explicat Deus, ait Oseæ voce: *Expandam super eos rete meum.* Cap. 7.

Tertio, *Post ipsum ire:* hoc est ipsum sequi. Et huic promittit quatuor: 1. *Vitæ claritatem. Qui sequitur me habebit lumen vitæ.* Joan. c. 8. 2. Judiciariam potestatem. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Matth. 19. 3. *Thesaurum in Cœlo. Veni*, inquiebat, *& sequere me, & habebis thesaurum in Cœlis.* Ibidem. 4. *Loci amœnitatem.* Sic enim ait: *Me sequatur, & ubi ego sum, illic erit.* Joan. c. 12.

Secunda concio argumentum petiit ex illo Canticorum: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Cant. c. 8.

In hoc tria, inquit, notantur: 1. Prompta *patiendi voluntas*, hac voce expressa, *Ascendam.* 2. *Passionis qualitas:* mors in palma, id est cruce. 3. *Passionis utilitas;* ait enim *apprehendam fructus ejus.* Sunt illi duodecim Paradisi gaudia; de quibus sic D. Joannes: *Et lignum afferens fructus duodecim.* Apoc. c. 22.

EX D. BONAVENTURA.

Ad Galat. c. 6. SEraphicus Doctor ex illo Apostoli: *Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV-CHRISTI.*

Ostendit Primò, quod gloriam humanam fugere debeamus: & hoc quatuor ob causas, è quibus

Serm. 1. 1. Quia *vilissima* est; petitur enim à creaturis, quæ viles sunt, Deo & Angelis despicabiles, & plerumque etiam noxiæ: similis ligno putrido quod noctu lucet, interdiu putridum apparet: sic & illa in nocte hujus ævi aliquid videtur habere lucis ac splendoris; at in die æternitatis nihil in ea apparebit nisi putredo, cinis, vanitas.

2. Quia *fragilissima*: vix enim durat, vix eodem in statu consistit, similis fumo, qui dum tollitur evanescit, similis flori, qui mane surgit, meridie crescit: Isai. c. 40. *Gloria ejus quasi flos fœni: exaruit fœnum, & flos decidit.*

Flos Assueri gloria, qui 120. Provinciis imperavit.

1. Machab. 1. Flos Alexandri Magni, in cujus conspectu *terra siluit.*

Flos Imperii Romani, quod tamen ad modum ferri omnia regna domuit. Ubi enim hæc, ubi illæ modò?

3. Quia *falsissima in promissione*: mira spondet, & nihil servat. Stabile quid promittit, & nihil illa fugacius; elabitur enim adinstar navis maria secantis, avis per aëra volantis, torrentis impete rapido defluentis.

4. Quia *malignissima in retributione*: ad extremum enim nihil relinquit nisi pœnam atque ignominiam, & æternam quidem.

Amens profectò qui illam sequitur, & gloriam cœlestem cum terrena mutat; similis stulto mercatori, qui pro plumbo argentum, pro aurichalco aurum pro vitro daret margaritam. Ne is etiam sis, amice Lector,

Ostendit secundò, quam gloriam ambire debeamus ac sequi: eam scilicet, quæ est à Cruce Christi. Hæc enim *nobilissima, stabilissima, veracissima, & si dici posset*, inquit, *optimissima.*

Et hanc ambivit, amavit, quæsivit ac tandem invenit D. ANDREAS: & quidem: 1. A seipso Crucem spiritualem. 2. A tyranno etiam materialem. In hac & illa quatuor dimensiones considerat S. Doctor:

1. *Imum*, sive *profundum* Crucis. 2. *Altum.* 3. *Latum.* 4. *Longum.*

Et hæc quatuor attendit etiam in Cruce spirituali, quam in suos quasi humeros extulit Sancti ANDREAS.

Imum, sive profundum, fuit profunda ipsius humilitas ac demissio. Serm. 2.

Altum, fuit ejusdem voluntaria paupertas, quæ scilicet illum à terra extulit, & Deo proximum fecit.

Latum, ostendit effusa illius charitas, quæ tot provincias, imò & Orbem ipsum est complexa.

Longum, exhibuit perseverantia, qua in Cruce & vivere voluit, & emori, nec ex ea deponi se passus est.

Ab hac & illa Cruce illi gloria, quam unam semper suspexit, despexit alias omnes.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ambulans IESVS juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, & Andream.* Matth. cap. 4. verſ. 18.

QVID IN SIMONE ET ANDREA NOMINIS? Quid Divinæ Vocationis?

Quid nominis?

E quolibet quæri poteſt primò quid nominis; deinde quid rei. & meritò. Eſt enim rem inter & nomen plerumque nexus quidam amabilis, & in nomine bonum omen, quod portendit quid in re etiam ipſa aut ſit, aut futurum ſit.

Ita ne diſcedam à duobus fratribus, in eorum nominibus fortunatum eſt omen, quod oſtendit, qui aliquando futuri eſſent; & quàm idonei excipiendæ Divinæ voci ac vocationi.

Simon, id eſt Obediens.

Simon enim hebraicè idem eſt quod *audiens*, vel *obediens*; *Scama* quippè *audire* vel *obedire* ſignificat.

Andreas, id eſt Fortis.

Andreas autem, quod græcum eſt nomen, idem eſt quod *virilis, robuſtus, fortis.* Ἀνδρεῖος enim virilem, fortem, robuſtum ſignificat:

Et hæ fuerunt in germanis fratribus germanæ virtutes: in Simone quidem *Obedientia*; in Andrea verò *Fortitudo.* Quæ enim potius? Quæ aptius ad ſublimem & Apoſtolicam vocationem? *Ad quam ſine obedientia nullus intrat, ſine fortitudine nullus perſeverat.* ut rectè innuit Gloſſa.

Quid Vocationis?

Et hæc à nomine petita virtus, præſaga illius, quam deinde vel in ipſa vocatione, vel in omni vita, vel etiam in morte erant exhibituri; ut patebit ex iis, quæ ſubjiciemus. Et quidem ut abeamus à Petro, (cui alibi ſuus fuit locus) & ſtylum figamus in ANDREA (cui hic dies eſt ſacer) videtur non ſemel ad Chriſtum evocatus abiiſſe.

I. Vocatio D. Andreæ.

Primùm cùm à Joanne, cui ut Magiſtro priùs adhæſerat, audiit illud de Chriſto ſeu Vaticinium, ſeu Oraculum:

Joan. c. 1. v. 29.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Cùm, inquam, illud audiit, illicò ſecutus eſt Chriſtum: In quo ſingularem ejus obedientiam amabis atque miraberis. Singularem dico; nam & eas quoque D. Joannis voces alii quoque Diſcipuli audierant; & tamen ex iis omnibus, nonniſi duo (quos inter ANDREAS) IESUM ſunt ſecuti.

Verſ. 35. 36. 37.

Quod ipſum annotat Chriſti ſcriba: *Altera*, inquit, *die ſtabat Ioannes, & reſpiciens IESVM ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo Diſcipuli loquentem; & ſecuti ſunt IESVM.*

Jam iterum iterumque Diſcipulis ſuis, aliiſque qui erant in conferta turba, ingeminarat illas de Chriſto voces: *Agnus Dei.*

Et tamen Evangeliſta teſte dicuntur duo tantùm loquentem audiſſe; audiſſe ſcilicet *auribus animæ* (ut explicat Euthymius) nam & alii quoque auribus corporis exceperant: Duo dumtaxat auribus animi, id eſt prompta atque expedita ſubmiſſione atque obedientia. Sed qui illi *Duo?*

Verſ. 40.

Unum deinde nominat, ait enim; *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant à Ioanne: Ecce Agnus Dei.*

Verſ. 39.

At quis alter? Ipſus eſt Joannes, qui ſcribit & qui unà cum ANDREA Chriſto ſe adjunxit, & cum illo manſit *die illo*; die, inquam, naturali, qui noctem comprehendit ac lucem: ita totis viginti quatuor horis cum JESU fuêre ANDREAS & Joannes; nec ab eo avelli poſſe videbantur. adeò illius comitate, diviniſque colloquiis rapiebantur. Quæ porrò fuerint illa, in occulto eſt: at in aperto illud, cœleſtia fuiſſe ac Divina, ex quibus inter alia & hoc agnovere, eum quocum ita familiariter agebant, eſſe Meſſiam.

Verſ. 41.

Hinc ut ab eo diſceſſit ANDREAS, *Invenitq́ primùm fratrem ſuum Simonem, dicit ei: Invenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus.)*

II. Expoſitio.

Geſtientis atque exultantis eſt hæc oratio, & læta nuntiantis: quaſi diceret, ut explicat Author Imperfecti in Matthæum:

Invenimus Meſſiam, quem pronuntiarunt Prophetæ; quem lex præconio ſuo tanquam tuba prædicavit; quem olim adumbrarunt ſigna; quem vidit Micheas in throno gloriæ; quem Iſaias contemplatus eſt ſuper Cherubim: quem Ezechiel vidit ſuper Seraphim; quem Daniel ſpectavit ſuper nubes; quem Nabuchodonozor vidit in fornace; quem Abraham accepit in tugurio; quem Iacob non dimiſit niſi ab eo benedictus. Hunc nos invenimus ſine principio genitum, & in ultimis diebus viſum.

O theſaurum ingentem: hunc ut invenias, ô frater mi, *fuge Circumciſionis paupertatem, exue te laceris pannis Legis, abjice jugum litteræ, relinque rete ut paupertatis inſtrumentum, ſcapham ut naufragii thalamum, piſcandi artem maritimæ fluctuationi expoſitam, piſces ut ventris negotiationem, gentem Iudaicam ut rabiem contra Deum, Caipham ut pravi conſeſſus parentem.*

Verſ. 42.

Hæc & ſimilia ad Simonem Andreas, non inani tantùm verborum ſono; ſed vi quadam altiore, qua etiam *adduxit eum ad IESVM.*

Et hæc prima D. ANDREÆ laus, prima gloria in ipſo vocationis quaſi limine, in ipſo ortu novæ lucis, eandem quoque fratri ſuo Simoni affudiſſe.

Serm. 1.

Ecce (inquit B. Petrus Damianus) *Andreas inter ipſa novi tyronicii ſui rudimenta fructificat; & veritatis prædicator efficitur, cujus adhuc vix erat auditor. Novus Diſcipulus factus non eſt propria ſalute contentus, condiſcipulos quærit; ad lucrandos alios fraternus ſe amor extendit. Theſaurum reperit, gaudet aliis prodere; furtum deputat, illum ſine conſortibus poſſidere.*

Fauſta denique, & præclara futuræ indolis ſigna novus tyro prætendit, & in ipſo novæ converſionis exordio mox quod didicerat, docuit; quod acceperat fideliter erogavit.

Et quidem primùm Simoni fratri, etiam ſeniori: *O fraternæ caritatis exuperantiam! ô inverſum ordinem!* exclamat Author Operis imperfecti.

Poſterior Petro in vitam ingreſſus eſt Andreas, & prior Petrum ad Evangelium allexit, & tanquam venatus eſt. Felici profectò ac fortunata venatione, qua in Evangelii caſſes tam nobilis præda venit.

II. Vocatio D. Andreæ.

Et hæc de prima D. ANDREÆ ad Chriſtum vocatione, quam Toletus *Interiorem* appellat, per occultum ſcilicet atque internum inſtinctum, quo Chriſtus (qui in animos per inſpirationes illabi ſolet) eum ad ſe traxit. Et hæc propriè non eſt vocatio ad Apoſtolatum.

Altera

Altera fuit *Exterior*, qua scilicet evocatus est ad officium Discipulorum & Apostolorum; de qua hic Evangelista, qui omnes omnino circumstantias accuratè expendit; nihil enim in iis vacat mysterio. Has inter hæc est

Prima, *Ambulans IESVS*; non animi causa (ut plerumque homines solent) sed Patris Æterni negotium acturus; sed officium Messiæ, quod erat Dei gloria & animarum salus. Et hoc peragit *ambulans*, non autem stans, aut sedens, quod otiantis videri potuisset; sed ambulans, quod laborantis erat atque operantis. Et quidem

Juxta mare, quod à *meando* dicitur, quia perenni quodam fluxu refluxuque meat ac remeat, accedit ac recedit: typus utique mundi hujus, qui *crescit nascendo, decrescit moriendo; elevatur in prosperis, dejicitur in adversis*. Ne porrò à sua levitate atque inconstantia semper is esset, ANDREAM & Simonem aliosque ad se vocaturus, erat ambulans juxta mare: & quidem

Auctor Op. Imperf. ho. 2.

Galilex; ut ubi caput nascendi sumpserat exordium, inde membra horum acciperent incrementum; & ubi ortum primum Sol Iustitiæ dederat, inde stella fulgentes mundo apparerent; & ubi Virgo audierat, Ecce concipies, ibi piscatores audirent, Venite post me.

Supra.

Et hæc de prima circumstantia, loci scilicet in quo vocatus est. Secunda spectat ad personas: Una quidem Christi, qui *vidit duos fratres* (non tam oculo corporis, quàm mentis; nec tam externam speciem, quàm cordis intima respiciens) *Simonem* scilicet, & *Andream mittentes rete in mare*. Ita nimirum facit Dominus, *quos terrenis lucris inhiare considerat, cœlestibus desideriis advocat.*

Glossa.

Et hæc tertia circumstantia; operis scilicet ac piscationis, cui incumbebant toti, ut scilicet *futuræ dignitatis gratiam artifici opere* quodammodo *prophetarent*.

Chrysost. in Matth.

Erant enim *piscatores*. Et hos sibi & Ecclesiæ suæ delegit Incarnata Divini Verbi Sapientia.

Non elegit Reges, aut Senatores, aut Philosophos, aut Oratores; sed plebeios, pauperes, & indoctos piscatores. Et rectè, *Volens enim superborum frangere cervices, non quæsivit per Oratorem piscatorem; sed de piscatore lucratus est Imperatorem. Magnus Orator Cyprianus; sed prius Petrus piscator*, piscator & ANDREAS: & tamen per hos JESUS & Reges, & Senatores, & Oratores cepit, ut solet piscator pisces. Utque caperet sic ad illos:

Aug. in serm. de Kal. Ian.

Venite post me. Non tam pedibus quàm affectu & imitatione.

Glossa.

Et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.

Et hæc de secunda D. ANDREÆ vocatione: descendo ad illam, quam in ea sequenda probavit animi submissionem & obedientiam.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Venite post me.* vers. 19.

QVID SIT IRE POST CHRISTVM?
Et quomodo post Christum iverit S. ANDREAS?



DIVUS Bernardus ea qua solet piæ mentis solertia examinat illud Sponsæ ad Sponsum: *Trahe me post te; in odorem unguentorum tuorum curremus.*

Cant. c. 1.

Trahe me, ait, Eccur illud? An igitur invita ac reluctans post Sponsum abit? Minimè gentium.

Sponsæ votum est.

Quî enim sic abiret quæ Sponsa est, adeoque illius amantior? Deinde quî *trahi vellet* invita, *quæ & hoc rogat?*

An fortè infirma ac debilis, quæ ut vellet quàm maximè non possit? Nec etiam illud. Sponsa quippè cœlestis Sponsi *fortis* est ac valens, cui proinde durum accideret, ut debilem atque infirmam trahi.

An fortasse premi se sentit, & aggravari corporis sui sarcina, ut ad superna ac cœlestia cum Sponso abire non possit, nisi ab illo vi quadam altiore trahatur. Nec etiam istud: Si enim id esset, dicere debuisset *Trahe me ad te*: non autem *Trahe me post te*, ut ingeniosè notat D. Bernardus.

Serm. 21. in Cant.

Quid ergo? Videt illa Sponsum suum cœlestem, id est Christum, instar gygantis currere; *Quid mirum si indiget trahi quæ post gygantem currit.* Certè *non valet ex æquo currere, non potest pari cum illo celeritate contendere: qui exultat ut gygas ad currendam viam, non potest suis viribus; & propterea rogat se trahi.*

Post sponsum trahi.

Videt illa sponsum salire in montibus altissimæ perfectionis ac virtutum, transilire colles, hoc est sanctissimos, excelsissimosque; & quia cum illo pari passu currere non potest, ut trahatur exposcit.

Vel, dic age, sponsam, id est animam, quamdiu hoc corpore, ceu mortali veste, tegitur, sibi plusculum timere, ne fortè deficiat, ne in alios amores inclinet; ideò jactat illud amantis: *Trahe me post te, ne incipiam vagari post amatores alios. Trahe me post te, quia satius mihi est ut me trahas, ut scilicet vim qualemcumque mihi, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis, inferas, quàm parcens in meo me torpore malè securam derelinquas.* Ideóque *Trahe me post te quodammodo invitam, ut facias voluntariam. Trahe torpentem, ut reddas currentem.*

Quæ ratio?

Sed cur inquit *post te*; ac non potius ad te? Hic D. Bernardus invenit ac distinguit duo hominum genera:

Primum est imperfectorum, qui, ut ait, ad Christum, ceu sponsum *pervenire volunt, non* autem *ire. Desiderant invenire, sed non curant quærere, cupientes consequi, sed non sequi.* Qui scilicet *volunt illo frui, at non ita & imitari. Conregnare cupiunt, sed non compati.* Et hi quidem inclamant: *Trahe nos ad te*; sed incassum. Nec enim trahet ad se quos non prius traxerit *post se*. Quod dum probè novit alterum genus hominum, videlicet perfectorum, cum sponsa optat, & rogat illud:

Trahe me post te, ut nimirum *conversationis ejus valeat vestigia sequi, ut possit æmulari virtutem, & normam tenere vitæ, & morum queat apprehendere disciplinam. In his quippè maximè opus est adjutorio, quo valeat abnegare seipsum, & tollere crucem suam, & sic sequi Christum.*

Quid in sponsa trahi post sponsum?

Hic prorsus trahi necesse habet sponsa, nec sanè trahi ab alio quam à Christo; qui cùm sit via & vita, notas facit vias vitæ vocans eos post se.

Et ita vocavit Simonem & ANDREAM, cùm sic ad illos: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.*

Post

Quid in D. Andrea? *Post me*, ait non ad me. Vocantem audierunt, & post eum *iverunt & pedibus & affectibus*: *Pedibus* quidem, dum illum secuti sunt ut Dominum famuli, ut Magistrum discipuli: *Affectibus* autem, dum ejus vitæ normam ac virtutem imitari: quod in præsens de D. ANDREA ostendere mihi est animus (nam de Simone aliàs)

Exivit Christus quodammodo è sinu Patris, & è Cœli Regia in terras venit. Et hoc ut Æterni Patris faceret voluntatem.

Exivi, inquiebat, *à Patre & veni in mundum.* Ut & vos libero pede, hoc est affectu exireris è patria, è paterna domo, procul à patre, procul à cognato sanguine.

I. Exire à Patre. Et ita vel ad pauculas Christi voces exivit D. ANDREAS: vix enim audierat invitantis illud: *Venite post me*; cùm illicò relictis omnibus & patre & patria secutus est vocantem Christum.

Et ita nos relinquere oportet vel exemplo Apostoli, vel præcepto Christi: qui sic ulim ad Discipulos, sic modò etiam ad nos.

Putatis quia pacem veni mittere in terram? *Non veni pacem mittere, sed gladium*, hoc est *separationem* Patris à Filio, Filii à Patre, ut primùm explicat S. Chrysologus. Tum etiam petit *Quare: Quia*, inquit, *conjunctio cœlestis est in ista separatione terrena. Nemo enim potest connecti terræ & jungi Cœlo. Grata ergo & chara sit ista terrena separatio, quæ nos sic à terrenis separat, ut inserat nos divinis.*

Matth. c. 10. v. 34.

Chrysolog. Serm. 164.

II. Omnia relinquere. Et ita inserunt D. ANDREAM, quem etiam paupertatis amor, & in eo studium imitandi Christum, penitus à terrenis separavit; ut unà etiam cum Simone fratre dicere posset, *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.*

Et nos sic omninò sequi oportet, ac credere dictum nobis quod olim D. Matthæo: *Sequere me. Hoc est me sequere de supernis ad superna tendentem; & non aurum de inferis ad inferna mergentem.*

Chrysolog. Serm. 29.

Sic Christum secutus D. ANDREAS, primùm abeundo ab amicis & patre; tum etiam abeundo longiùs à rebus hujus ævi insigni earum despicientia ac studio paupertatis. Et certè sic abire decuit Apostolum, ut nudus nudum Christum sequeretur.

Chrysol. Serm. 28. *Athleta ad luctamen nudus accedit, confligit cum fluctibus nauta nudus: miles in acie nonnisi expeditus assistit. qui tendit ad Philosophiam, totum, quod in rebus est, contemnit*, ut disertè S. Chrysologus.

Athleta erat ANDREAS, cui cum mundo, imò & cum infernis potestatibus acris erat lucta, & periculosum certamen, ad quod nudus accedere debuit, ne teneri posset atque implicari amore terreno ac possessionibus tanquam vestimento.

Ex hac vita, velut affuso quodam oceano & seipse & alios ducere debuit in portum beatæ Æternitatis, cum aquis multis, id est populis (*Aquæ enim multæ populi multi*) illi fuit confligendum, adeóque & nudum esse ac terrestribus impedimentis liberum.

Miles erat, imò novæ militiæ dux atque antesignanus, qui proinde à divitiis ceu sarcinis atque oneribus expeditus esse debuit.

Ad Philosophiam, hoc est altiorem quamdam ac cœlestem Sapientiam, tendebat: ideóque omnia, quæ inferiora erant, debuit antè despexisse. Quî enim aliàs Philosophus esse? Quî Christianus? Quî Apostolus?

Chrys. supra. Ad consummatam Apostolicæ vitæ perfectionem arduásque virtutes aspirabat, ideóque pauper esse omninò debuit: semper enim *virtutibus cognata paupertas*; uti & divitiis extranea atque inimica.

Amplius aliquid dico: Est *paupertas virtutum parens, virtutum socia.* Et hinc Christus *ad virtutum officium pauperes sic elegit.*

Quod ipsum, ne longiùs abeat, ostendit D. Chrysologus in Petro & Andrea, Jacobo & Joanne. Sic enim inquit,

Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, germanitas combinata; imò congeminata paupertas, in Apostolorum Principes eliguntur. Supra.

Adeò paupertas Christo fuit in amoribus, etiam ea quam aut nascentis aut fortunæ conditio intulisset; quantò magis illa quam voluntas, & pia quædam ipsius, ceu magistri, æmulatio, quæ certè in D. ANDREA fuit quàm maximè; ex qua etiam enatum aliud, ut mundo mortuus videretur, & esset re etiam ipsa, ex quo Christo vocanti sese adjunxisset. III. Mundo mori.

Apud Priscos Patres & vitæ spiritualis Magistros idem omninò fuit *Religiosum* esse, & *mundo mortuum.*

Hinc solemne effatum illud Basilii Magni ad Monachum: *Tu autem mortuus es & toti mundo crucifixus,* Constit. Mon. c. 21.

Quod si Religiosi ex instituto vocationis suæ mundo mortui; certè & mundo mortui fuerunt Apostoli (utpotè primi in Ecclesia Religiosi.) & mundo quoque mortuus D. ANDREAS, ut patebit discurrenti.

Qui moritur alicui vitæ, ab illis operibus decidit quæ illi vitæ congruunt; inquit D. Thomas. Opuscul. 19. c. 2.

Moritur quis vitæ vegetativæ; crescere desinit, desinit vegetari, desinit & nutriri. Moritur vitæ sensitivæ; unà etiam desinit sentire, videre, audire, olfacere, tangere. Moritur vitæ rationali; desinit intelligere, discurrere, ratiocinari.

Et contrà, *qui incipit vivere aliqua vita, illa opera facit, quæ illi vitæ competunt*, ut ait ille ipse Angelicus Doctor.

Quod si ita est in ea vita qua vivunt plantæ, animantia & homines ipsi; etiam in ea qua vivunt sancti, qua Apostoli, ut ita sit, est necesse.

Moriuntur hi mundo, id est vitæ mundanæ: igitur & decidunt ab iis operibus quæ illi vitæ congruunt, hoc est à cura rei familiaris, à negotiis sæcularibus, ab opum appetentia, ab bonorum ambitu, ab amore famæ & magni nominis umbra.

Et è contrario vivunt Christo, hoc est vitæ Christianæ, adeóque etiam ea exercent opera quæ huic vitæ conveniunt: pauperes esse, & videri volunt, amant abjici, vilipendi: pro corpusculo, pro fama nihil solliciti sunt; unum enim Dei negotium agunt, negotium æternitatis, negotium salutis omnium si possint animarum: Hæc enim sunt opera vitæ Christianæ.

Et illa egit S. ANDREAS. Cùm Orbem universum inter se partirentur Apostoli, D. ANDREÆ obrigit Achaia, quam excolere cœpit dum vita superstes fuit: At quæ vita? Vita sanè Apostolica. In fame & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis, in laboribus plurimis, in sudore & ærumna, per infamiam & bonam famam.

Hæc quippè sunt opera vitæ novæ, vitæ Apostolicæ, quam inivit ex quo post Christum abiit; & qua, ea felicitate Domini sui negotium egit, negotium dico animarum, ut quà latissimè pateret Achaia, nulla esset Civitas in qua jam non essent deserta profana idolorum fana, & sacratiora erecta immortali ac vero Deo.

Ab his porrò & truces inferni minas, & sacrificulorum invidiam, & Ægei Proconsulis iras in se concitavit.

Hinc primò jussus de Crucifixo altùm silere: At qui sileret, qui vivit vita Crucifixi? Religiosorum vitam appellarunt SS. Patres, *Vitam Crucifixorum.* Ego veriùs, vitam Apostolorum, vitam dixero Crucifixorum, & vitam S. ANDREÆ vitam Crucifixi; ut qui hunc in corde vitæ fonte jam antè descripsisset. IV. Crucifixo conformari!

Bollandus in ejus vita 25. Ian.

Dicitur B. Henricus Suso cùm è precibus matutinis ad cellam rediisset passus esse mentis excessum, in quo primùm vidit à corde emanare cœleste quoddam augustumque lumen, cujus beneficio cor ipsummet suum introspiciens aspexit in eo crucem auream multis iisque pretiosis gemmis intertextam, in quibus miro decore amabile JESU nomen luculenter apparebat.

Si patenti pectore licuisset intueri cor illud Apostolicum, cor Divina luce conspicuum, cœlestique caritatis igne succensum; cor, inquam, D. ANDREÆ: in illo vidisses, si non corpore, at mentis oculo altè impressam crucem, & hanc quidem à caritate auream; vidisses & impressum JESU nomen tot ornatum gemmis, quot virtutibus. Si enim verum illud, Ex abundantia cordis os loquitur, cùm nihil loqueretur nisi Crucem, nisi JESU nomen atque amores; dicendum nihil in eo fuisse præter JESUM, & incensos Crucis amores atque incendia.

Emerserunt illo, & sua se luce prodiderunt, maximè cum Proconsul carceres minari cœpit & flagella & cruces; sed frustra: nam & carceres & flagella & cruces amabat ambiebatque Apostolus, qui jam, si non corpore, at animo confixus erat cruci, qui vitam agebat Crucifixi.

Sed à verbis ad verbera, à minis ad supplicia, ad feralem crucem venit Ægeas; & primò Apostolum vinculis onustum obscuro & squallido carcere conclusit. Quid inde?

Hic suus, hic liber ANDREAS, hic gaudet, hic gestit, hic triumphat, & carcerem ut cœlum habet; adeo volupe illi erat pro Christo claudi ac vinciri.

Sed ecce è tota propè Achaia confluit ingens hominum turba: dixisses undas tumultuantis popelli, & ANDREAM, ceu parentem suum requirentis. & certè non procul à tumultu res aberat: irrumpitur enim in carceres, ad cædem, ad mortem quæritur Proconsul, & ANDREAS ad libertatem, ad vitam repetitur.

Quid hic Apostolus? Non sic filioli, inquit, non sic; non clamoribus, non minis, non aperta vi, non ferro certandum; sed silentio & patientia vincendum: ita certavit, ita vicit Christus, qui tanquam ovis ad victimam ductus est: Et ego sic duci velim, sic velitis & vos, ô filioli. In his enim vinculis libertas est Christiana, uti & in morte pro Christo vita, & æterna quidem; ne hanc mihi invidete.

Hæc & similia per totam noctem jactavit Apostolus, & his populi tumultum sedavit; tum orationi se dedit. Nimirum, ut eleganter ac nervosè annotavit Tertullianus.

Lib. ad Martyr. c. 2.

Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis. Hi in opportuno secessu, & avia solitudine liberiùs orabant: & Christiani & martyres & Apostoli in carcere sibi & orationi vacabant quàm liberrimè. Diceres abstulisse carceris nomen, & secessum vocasse, secessum invenisse. & meritò: *Etsi enim corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent.* Ita nimirum *totum hominem animus circumfert, & quò vult transfert*, etiam in Cœlum, etiam in Deum. Et ita transtulit D. ANDREAM, qui etsi corpore esset in vinculis, animo totus in Cœlo erat.

Supra.

Interea verò dies illucescit, & ab impio judice evocatur ad tribunal; in quo non dicta causa, non producti testes, non objectum crimen: nisi crimen dicatur fuisse JESUM prædicasse, & hunc Crucifixum.

Huic nisi renuntiet, primùm intentat flagella; deinde & crucem: & hoc, ut Christo suo & flagellis cæso & cruci affixo conveniret.

Quid hic animi, quid vocis in Apostolo fuit? Num exhorruit? Num expalluit? Num ingemuit? Minimè verò: Qui *carcerem pro palæstra* habuit, ut *ad stadium tribunalis benè exercitatus incommodus omnibus*

Supra.

produceretur, etiam vocem habuit quam in sua vota, & crucis amorem explicaret: fuit autem illa ejusmodi.

Ego Crucis Christi servus sum, & crucis trophæum optare potius debeo, quàm timere.

Hic siste, mi Lector, & apud te tacitus expende, quo loco seipse statuat Apostolus, quo etiam Crucem. Seipse quidem *servum* facit Crucis, & crucem pro *trophæo* sibi erigit, & in votis habet ac deliciis: ad hanc damnatus dum educitur, ubi primùm in oculos illa venit, nec animum ultra, nec vocem tenere potuit; exclamavit illico:

Salve, ô bona Crux! Salvere jubet, quam horrere, quam adversari, quam detestari solet mundus.

Bonam apellat, quam pessimam mollicula caro deputat.

At unde, inquies, *bona?* Quia, ut ait, *in corpore Christi dedicata, & ex membrorum ejus margaritis ornata.* Quot enim in illam aliquando impluerunt sanguinis guttæ, tot fuerunt margaritæ, quæ illi decori essent atque ornamento.

Hinc omnis à cruce abscessit horror, timor omnis, & pro hoc & illo accessit amor. Et hoc ex quo in eam ascendit Dominus:

Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti; modo verò amorem cœlestem obtinens, pro voto susciperis. Hæc inter plausus & gaudia, quæ ne vana crederes, ad crucem dirigit ambientis & amantis istud:

Securus ergo & gaudens venio ad te: ita ut & tu exultans suscipias me Discipulum ejus qui pependit in te Magister meus: quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te. O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando jam concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me.

Ubi hæc extulit inter amplexus & oscula, tum vestem exuit ipse, & parato ligno innoxia instravit membra, & manus ac pedes vinculis & carnificibus dedit; sicque sublimis in crucem elatus est velut in triumphalem currum, quo in Cœli Regiam victor eductus, non dura necessitate, sed prona potiùs in id genus mortis voluntate: quod ex tribus clarissimè patuit.

Primùm, quòd Ægeam Proconsulem clamoribus ac propè vi tumultuantis populi victum, & ad se properantem sic verbis exceperit.

Si ad me venis ut Christo ac Religioni des manus; benè habet, gratus advenisti, venia tibi dabitur, & Cœlo benigniore gratia: sin autem ut me è cruce deponas; & ingratus ades & invisus, nec ut maximè velis, poteris. Stat enim in hac cruce, ceu sacra statione, ducem meum expectare; stat pro eo emori.

Alterum fuit, quòd carnifices jussos jam cruci admovere manus, & vincula solvere, etiam miraculo sic impedierit, ut ne crucem quidem attingere possent; & cùm alii atque alii id molirentur, omnibus & manus & brachia quasi stupida, & motus experta hæsêre: Adeo crux ei fuit in amoribus, adeo caris in amplexibus, ut etiam miraculo servata fuerit ad ultimum usque spiritum: quem ut in ea, seu amoris, seu doloris lectulo, redderet, etiam

Tertium miraculum Deus addidit: lapsus quippè à Cœlo splendor ad instar fulguris, quo ita undequaque cincta crux, cinctus Apostolus, ut & humanis oculis ereptus sit & manibus.

Tenuit autem ea lux, is fulgor ad medium horæ spatium, quo deinde sensim abscedente, abscessit & anima, & Cœlo Deoque est reddita: Sic beatus ille Spiritus superis cessit, & corpus (magnæ mentis nobiles exuviæ) molliori humo, impius autem Proconsul Ægeas malo dæmoni totus cessit, & in ipso fori medio malè volutatus expiravit.

Et hæc

Et hæc summa rei tum gestæ: ex qua liquidò apparet, quomodo post Christum iverit ANDREAS, ceu post Magistrum discipulus, post Dominum servus. Ut & nos ejus exemplo sic ire discamus.

Et verò quidni discamus; cùm hæc unica sit ad Christum, & Cœlos via: via, inquam, crucis; in qua velut in ara *exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, Sanctam, Deo placentem.* *Ad Rom. c. 12.*

Hostia occiditur ut offeratur, inquit magnus Pontifex Gregorius. Sic nos occidi necessum est vel ferrò tyranni, & cruce patibulari (si is favor Cœli propitio detur) vel in ara Crucis, hoc est perfectæ & suis numeris absolutæ mortificationis; sic enim occisi Deo offeremur in hostiam viventem, & quidem æternos in annos.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* vers. 19.

CUR, INQUIT, PISCATORES? Quid in eo nomine illecebræ? Quid honoris & gloriæ?



Cur Piscatores? CCURREBANT indubiè Verbo Incarnato, & Divinæ Patris Æterni Sapientiæ, alia nomina, eaque pretiosa ac splendida, quibus ex aquis ad Apostolatum, ex humili loco in sublime tum Simonem, tum Andream alliceret: dicere enim potuit

Cur non Prophetæ? Primum illud: *Venite post me, faciam vos fieri Prophetas*; qui puriore mentis oculo, & cœlesti quadam luce etiam futura longè sæcula penetrent, & quæ in iis ubique terrarum eventura essent, pervadant. Certè Prophetas eos postea appellavit, cùm sic ad Judæos: *Ecce mitto ad vos Prophetas.* Cur non etiam modò in ipso quasi primo limine vocationis? Fuissent in eo nomine suaves, imò & potentes illecebræ. *Matth. 23. v. 34.*

Cur non Sapientes? Dicere potuit secundò: *Venite post me, faciam vos fieri sapientes*, imò novæ cujusdam, atque altioris sapientiæ Magistros, ac veluti Cœli novi, hoc est Ecclesiæ, Intelligentias. Si enim verum illud esset, quod adverit Marius Victorius, esse *figurationes quasdam intelligentiarum inscriptas in anima nostra, quæ à Divino Spiritu moveantur*; multò quàm verissimum est in Divis Simone & Andrea jam inde à prima vocatione inscriptas esse, non dico figurationes obscuras; sed apertas, sed dilucidas imagines cœlestium Intelligentiarum, hoc est mysteriorum divinorum. Cur igitur ab illis non dicuntur sapientes? Profectò eos postmodum esse dixit, cùm ita ad populum pro concione: *Ecce ego mitto ad vos sapientes.* *De Gener. Divin.* *Matth. 23.*

Certè Paulus non dubitavit se *Sapientem architectum* nominare, qui videlicet cùm in Cœlo structuram vidisset mirabilem, & quandam ædificii spiritualis effigiem, detulit eam in terras omnique arte ac studio elaboravit ut in aliis quoque, opus adinstar illius, quod viderat, effingeret. Opus dico cœlestis sapientiæ ac perfectionis. Cur igitur ab illo non sunt dicti *Sapientes*? *1. Cor. 3.*

Cur non Soles? Cur non etiam ab illo *Soles, Orbis oculi & Mundi lumina*?

De illis aliquando dicet Salvator Optimus: *Vos estis Lux mundi*; quia quod Orbi Sol; hoc estis nascenti Ecclesiæ.

De illis dici tum potuit quod deinde de magno Athanasio pronuntiavit S. Gregorius Nazianzenus: *Sanctissimum esse Orbis oculum.* Quod de Apostolis omnibus Procopius, *Perspicaces & acutos esse Ecclesiæ oculos.* *Orat. 21.* *In cap 56. Isai.*

Denique quod ipse deinde Paulus; qui Apostolos φωστῆρας, hoc est, *Luminaria* nominavit; quæ scilicet serenam in mundo noctem efficiunt, & sapientia quadam sua perillustrem. Cur igitur *Luminaria* non dixit Christus?

Cur non Cœli? Cur non etiam *Cœlos*? Certè Cœlos longè antè eos dixit Propheta Regius dum cecinit: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Ubi & deinde de illis elatè D. Bernardus:

Habet Ecclesia Cœlos suos, homines vita conspicuos, Fide puros, Spe firmos, latos Caritate, Contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutarem, tonant increpationibus, coruscant miraculis, & enarrant gloriam Dei. *Serm. 27. in Cant.*

Quæ omnia quàm optimè cadebant in Apostolos, in Simonem & Andream. Cur igitur hoc nomine, ceu luce quadam amœniore ac cœlesti, non signavit Christus? Si enim ut ille ipse D. Bernardus, *Virtus est sidus, & homo virtutum Cœlum*: profectò quæ in Simone, quæ in Andrea virtus fuit, sidus fuit, & ipsi virtutum Cœlum. *Supra.*

Cur non fundamenta mundi? Quod si non placent ab Orbe superiori petita nomina; ab hoc inferiori duci potuerunt, & dici *Fundamenta Orbis terrarum*, uti censuit Regius Vates: *Fundamenta terræ*, uti voluit Micheas Propheta; *Fundamenta mundi*, uti deinde D. Gregorius Nazianzenus: de quibus meliori jure jactari posset illud, quod olim de lectis ab Augusto Cæsaribus Seneca: *Nulli cessura ponderi fundamenta.* *Psal. 17.* *Cap. 6.*

Verè enim super his ædificata fuit, quanta quanta fuit Ecclesiæ fabrica; nulli unquam cessura perfecutionum ponderi, quia fundata super firmam petram, & alterum à Christo lapidem angularem.

Cur non gemmæ? Quod si nec arridet ea appellatio, quòd durior accidat, dic Apostolos, dic Simonem & Andream gemmas fuisse supra rubri maris opulentiam Indiæque pretiosas. Ita enim eos vocitavit olim Zacharias Vates, dum dixit esse *lapides Sanctos*, in quibus superextrueretur Ecclesia; de qua Isaias Dei nomine vocéque sic air:

Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam jaspidem propugnacula tua, & portas tuas lapides sculptos. *Cap. 54.*

Quid sapphiri? quis jaspis? qui lapides sculpti? Nisi Simon & Andreas, qui perfectam ferrent imaginem Salvatoris, quem Zacharias *Lapidem cælatum*, omni scilicet perfectionis cælatura; quem Amos, ob insignem, invictámque fortitudinem, *Adamantem* esse dixit; quem denique Septuaginta apud Isaiam *Carbunculum*, ob vim expiantem & ardorem caritatis. Quæ decora in fundamentis Ecclesiæ, hoc est Apostolis Simone & Andrea, inveniebantur. Cur ergo Christus Magister Optimus iis nominibus illos non affecit Orbique ostendit. *Cap. 3.*

Cur non Columnæ? Quod si nec probatur ea nuncupatio, quod cultior videatur atque ornatior, dic age fuisse *Columnas* Ecclesiæ; est enim in hoc nescio quid immobile ac divinum: ideóque columnæ Numinibus olim attribuebantur: & ipsi dii nuncupati *Columnæ*, ut è vetusto oraculo prodit Clemens Alexandrinus, apud quem Bacchus Thebanis dicebatur *multijugi gaudii columna.* *L. 1. Strom.*

Sed profana, inquies, sunt ista: factum illud, visum Hebræis Deum in columna nubis, & Christum *Greg Nyssen. Hom. 1. in Cant.* Redemptorem dictum esse *firmam & stabilem columnam.* Cur non ab illo Simon & Andreas Columnæ appellati?

De Simone profectò postea dixit D. Augustinus, quod *ædificandis Dei populi lapis esset ad fundamentum, Columna ad sustentaculum.*

De Epiphanio Cypri Episcopo protulit illud D. *Epist. 61.* Hieronymus, quod esset *Columna Veritatis ac Fidei.*

Epist. 27. De S. Macario aliisque eximiæ sanctitatis viris quod *Columnæ Christi.*

Denique de Lupo Tricassino inconcussæ virtutis Præsule extulit istud Sidonius Apollinaris, quod *Lib. 6. Ep. 1.* *Columna virtutum* esset.

Et Simon & Andreas Columnæ fuerunt veritatis ac Fidei, Columnæ Christi, Columnæ virtutum; Cur igitur Columnas non dixit Christus?

Cur non muri & turres? Quod si nec satis est illud ad Apostolorum decus, ut *Columnæ* dicantur & sint; agedum appellato muros & turres Ecclesiæ, ceu Civitatis cujusdam novæ ac propè cœlestis.

Certè Hyppocrates viros egregia virtute præditos aiebat esse turres, mœnia & propugnacula populorum.

Et D. Ambrosius, dum Sodomam nonnisi tenues favillarum reliquias fuisse testatur, ait etiam si decem viros Abrahamo similes habuisset, perire *L. de Abrah. c. 5.* non potuisse. Unde & illud conficit: *Quantus murus patriæ vir justus!*

Sic & Gratianum Imperatorum, bonum & vir- *In Psal. 61.* tutibus inclytum, dixit esse *validum murum circumfusi toto Orbe Romani Imperii.*

Et ipse David dum animo & cogitatione descendit in futura longè sæcula, optat adesse tempus illud, *Psal. 50.* quo *ædificentur muri Hierusalem*, hoc est (interprete Euthymio) Doctores atque Apostoli, qui illi sunt pro muris ac propugnaculis.

Cap. 27. Ita nimirum *Ecclesia*, quæ apud Isaiam est *Civitas* *In Ps. 118.* *munita: habet muros suos*, ut rursum D. Ambrosius, & ab illis muris etiam propugnacula sua, sua præsidia, salutem suam, in quam contuens Isaias in hanc gra- *Cap. 60.* tulationem erumpit: *Vocabuntur salus muri tui*, id est Apostoli; qui ex vero muri sunt, & hostem ab hac Civitate & ab illius civibus arcent quà fusa ad Deum oratione, quà virtutum præsidiis, quà etiam sacratioris eloquentiæ vi, quà denique suis apud Deum meritis.

Sic Antiocheni Simeonem stylitam pro muro sibi esse duxerunt; nec vivum modò, sed, quod mirere, etiam mortuum. Cùm enim Leo magnus Imperator corpus illius expetiisset, misêre legatos, qui instructa ad persuadendum oratione supplicarent, ne se eo præsidio spoliaret. Nam cùm nostra, inquiebant, Civitas murum non habeat, ut qui magno *Nicephor. l. 14. c. 51.* terræ motu concidisset, *Sacro-sanctum Simeonis corpus pro muro & vallo nobis est futurum.*

Si vel ipsum exanime corpus pro muro, pro vallo fuit Antiochenæ Civitati; quid fuerat aliquando, imò quid etiam tum erat magna illa S. Simeonis Anima jam cœlis addita ac beatitati.

Certè pro muro firmiore, pro vallo inexpugnabili: Quod si Antiochenæ Civitati is fuit S. Simeon; ii quoque Ecclesiæ universæ fuerunt Apostoli, ii Simon & Andreas. Cur igitur eos muros, turres & propugnacula Ecclesiæ non nominavit Christus?

Cur Piscatores? Cur abjecta & vili appellatione Piscatores dixit? Præter ipsam Christi voluntatem, quæ Christiano debet esse rationum instar omnium, aliæ atque aliæ occurrunt: è quibus hæc

Ut meminissent. I. Unde vocati? Prima, ut in omni deinde vita meminissent unde à Domino evocati: nempè ex aquis ipsis & piscatione; adeoque ut notat D. Chrysologus, *Pauperes censu, loco humiles, viles arte, obscuri vita, labore communes, addicti vigiliis, fluctibus mancipati, negati honoribus, inju-* *Serm. 28.* *riis dati, præsidio rete, solo piscium captu, victum vestitumque conquirentes.*

Et hæc ad pristinam vitæ anteactæ conditionem faciunt, ut ejus perennis esset memoria ac recordatio, quæ faceret ut etiam in altissimo gradu humiles, & in seipsis abjectos semper gererent animos, memores illius unde vocati.

Deinde etiam quò? Videlicet, ut qui antè erant *II. Quò vocati?* *censu pauperes*, jam essent *innocentia locupletes*; qui *loco humiles*, jam *sanctitate sublimes*; qui *viles arte*, jam *simplicitate pretiosi*; qui *obscuri vita*, jam *vitæ merito perlucentes*; qui *labore communes*, jam *proposito singulares*; qui *addicti vigiliis, ad cœlestes victorias jam vocati*; qui *fluctibus mancipati, sed fluctibus non demersi*; qui *negati honoribus, sed honoribus magis jam ditati*; qui *injuriis dati, sed injuriis non relicti*; *captores piscium, sed piscatores hominum jam decreti.* Et hinc mihi objicitur

Tertia ratio, eáque petita ex ipso nomine pisca- *III. Ad quid vocati?* toris, quod laboris, tolerantiæ ac patientiæ nomen est; quis enim nesciat quis in aquis & piscatione labor: ducenda in altum est navis, remigandum, sudandum, luctandum cum æstu maris, cum iratis fluctibus, cum tumultuantibus ventis; explicanda deinde retia atque ex imò in altum reducenda labore multo, sudore multo, conatu etiam multo, & sæpiùs irrito, vel cùm in casses nullus venit piscis, vel cùm eos effringit: ad quod opus est longa & singulari patientia: quam ut hîc quoque discerent,

Captores piscium, fiunt hominum piscatores; & de labore transeunt ad laborem.

Ita nimirum *Apostolos suos Christus humanis laboribus* *Chrys. sup.* *exerceri voluit, ut eos indefessos redderet in Divinis.*

Voluit, inquam, *in eis manere fortitudinem, & de exercitio præstare virtutem: & quia fructus provenit ex labore, voluit eos labores non perdere; sed mutare*, & quidem in melius: & hinc ducitur

Quarta ratio: cùm piscationi vacarent, operæ *IV. Quo fructu?* illis si quid responderet, erat illud perexiguum, nempè piscis unus aliquis, mutum animal, & ex hoc aliquid lucelli ac peculiolæ, quâ vitam ægrè sustentarent: at ubi à Domino traducti ad piscationem hominum, tum enimverò magnus omninò proventus accessit; tantus scilicet quantus homines ipsi, Quos scilicet *vitalis esca jactu, & hamo cœlestis verbi, de* *Supra.* *mortis gurgite ad lucem tollerent sempiternam*, ut aureè D. Chrysologus.

Et hoc discrimen est inter piscium & hominum piscationem: illi quippè capiuntur ad mortem, hi verò ad vitam.

Et quidem primùm ad vitam, quæ homini obvenit à gratia: quod quantum sit, vel hinc confice, quod ut ait D. Thomas, *Bonum unius gratiæ majus sit bono totius Universi.*

Dic age, ô quisquis es, si uno jactu retis ex imo maris gurgite educere posses quidquid in eo vel unionum vel gemmarum est; quanti tibi esset ille jactus? Tanti, inquies, quanti uniones omnes & gemmæ: at illæ quid sunt ad animam, quæ è mortis gurgite extrahitur ad vitam lucémque gratiæ? Non tanti quanti granum arenæ ad uniones & gemmas totius Universi.

Sed quid si ad uniones & gemmas omnes rubri maris adjiceres omne auri argentique pondus, quod in illo insepultum aliquando, quo in pretio tibi esset jactus ille retis. Audio quo aurum argentúmque omne: At quid illud ad animam, quæ è mortis gurgite educitur ad gratiæ vitam lucémque?

Amplius aliquid dico: quid si vel unico retis jactu sceptra, diademata, coronas, regna, imperia in sinum quasi tuum importare posses; quanti illum æstimares? Tanti quanti illa omnia: Ad quid hæc ad animam vitæ redditam & gratiæ? Aut parum,

aut

aut omninò nihil : ſtat enim ſtabitque in ævum omne inconcuſſa hujus Oraculi veritas : *Bonum unius gratiæ majus eſt bono totius Vniverſi.*

Ratio in aperto eſt, quia hujus bonum quantum quantum ſit, intra naturæ fines clauditur, illud autem ſupra naturæ cancellos evadit.

Quod ſi ad bonum gratiæ, quæ eſt animæ quaſi vita prima & ſemen beatitatis, addideris bonum gloriæ, quæ eſt veluti ſecunda atque æterna vita; Quantum illud erit? Tantum quantum Summum bonum, quantum Deus ipſe, qui per gloriam ab anima tenetur & quaſi poſſidetur.

Et ecce omne illud bonum, omnis illa vita, ſeu gratiæ, ſeu etiam gloriæ habetur beneficio manuque piſcatorum hominum. Hi quippè ſunt, qui *vitalis eſcæ jactu, & hamo cœleſtis Verbi* homines *de mortis gurgite ad lucem tollunt ſempiternam.*

O mira, ô cœleſtis, ô propè Divina vis illorum piſcatorum! ô poteſtas Angelis invidenda! ô dignitas propè par ipſi Deo!

O felicem, ô beatum *vitalis eſcæ jactum!* ô potentem *Cœleſtis Verbi hamum.* Quàm bellè, ô Apoſtoli, vos dixit, vos fecit Chriſtus *Piſcatores hominum*; quod dum dixit, dum fecit, omnia & dixiſſe & feciſſe eſt viſus.

Et hinc amabilis ille ſtupor, hinc amor, hinc honor, & ſubmiſſio debita ſacris illis animarum piſcatoribus, id eſt Concionatoribus, qui vitalis eſcæ jactu, & cœleſtis verbi hamo eas capiunt ad vitam etiam ſempiternam.

Margareta Ludovici XI. Regis Chriſtianiſſimi
Lud Geron. Cent, 2. conjux, cùm forrè per atrium tranſiret, primò conſpexit in ſcamno ſopitum ac dormientem Alanum, ſacrum Oratorem & in paucis diſertum, tum etiam acceſſit & ori oſculum infixit. Mirari hîc unus aliquis ac propè damnare, objicereque illud: Eccur hominem adeò deformem (ut erat Alanus) oſculo dignaretur Gallorum Regina? Cui ſic illa:

Enimverò non hominem exoſculor; ſed os illud aureum, è quo tot flumina ſalutaris doctrinæ profluxerunt, è quo tot emanarunt Oracula veritatis, è quo quot verba, tot hami à caritate aurei, quibus è vitiorum gurgite educerentur immortales animæ, & ad vitam meliorem caperentur.

Hæc ſereniſſima Galliarum Regina; quæ etiam os majeſtate plenum demiſit ad oſcula ſacri Oratoris.

Amplius aliquid S. Catharina Senenſis, quæ etiam *Surius in ejus vita.*
eò ſe abjecit, ut ſi quem in plateis tranſeuntem vidiſſet Eccleſiaſten, illicò è cellula ſua erumperet, & veſtigia pedum illius, terrámve, quam calcaſſet, oſcularetur; & hoc quidem ingenti ſenſu devotæ ſubmiſſionis.

Cauſam illius rogata, reſpondit, ex quò Dei beneficio apertis atque explicatis intelligentiæ oculis aſpexiſſet pulchritudinem unius animæ gratiâ jam donatæ, & reputare ſe beatos illos, qui illi animarum lucro vacarent impenſiùs, & fortunatam ſe credere ſi os admoveret ubi illi pedes, imò & ipſa pedum veſtigia, & terram quam calcaſſent ipſi.

Hæc S. Virgo, quæ cœleſti quodam lumine illuſtrior, viderat quo in pretio eſſent *Piſcatores hominum*, id eſt Viri Apoſtolici; & quo ipſi piſces, id eſt homines; & quo etiam modus ipſe ac ratio, quia hi ad vitam capiuntur immortalem.

Et hoc profectò eſt, quod mirabilitatem facit; V.
nec enim piſcatoribus hominum id uſu venit, quod *Quomodo?*
aliis de vulgo piſcatoribus; ſed abſimile penitus ac mirandum.

Illi enim *pro mari vitam humanam tractant, pro ſcapha habent altare, pro ſagena Evangelium, pro arte Divinam gratiam, pro arundine prædicatione utuntur, pro hamo potentia, pro eſca miraculis, pro retibus Cruce, pro piſcibus Reges etiam ipſos capiunt.*

Quis unquam (exclamat Author Operis imperfecti) *In Encomio*
vidit à piſcatoribus, homines tanquam piſces capi; Et capi *S. Andreæ.*
quidem hac ratione?

Nemo certè in omni retrò antiquitate id unquam vidit. Hoc nimirum Dei Providentia ſervatum voluit ſeneſcenti mundo, cùm Verbum caro factum, cùm auditæ illæ ad Simonem & Andream voces: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.*

Beati piſcatores, è quibus & beatiſſimus ANDREAS, qui Evangelium ceu ſagenam in mundi hujus gurgitem immiſit, qui Crucem ceu rete explicuit, qui longè latéque ſparſos tota Achaia populos, ceu piſces cepit, & quidem ad vitam beatiorem: faciat Æterni Numinis amor ac bonitatis illius inclinatio, ut & ipſi aliquando ſimus *Piſcatores hominum.*

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* verſ. 20.

QVÆNAM SINT ILLA RETIA?


BVIA cuipiam atque expedita videbitur reſponſio, ea fuiſſe retia, quibus hactenus uſi in capturam piſcium.

Ita eſt, ſi de illis quæſtio incidat, in aperto eſt reſponſio: at ſi de aliis, in occulto.

Quæ porrò ſint illla, hîc inquirimus. Alia certè corporum ſunt retia; alia animorum, alia piſcium, alia hominum. Ab illis abiiſſe Diſcipulos, parum videri & eſſe potuit; ſed ab his, quam plurimum.

Bollandus in vit. S. Max. Ambroſius Eremicola, quondam diſcipulus S. Maximi Abbatis & Martyris, cùm in aviam ſolitudinem unà cum Magiſtro ſeſe recepiſſet, illius aliquando pertæſus domum repetere ſtatuit: & re
Dæmon piſcator. etiam ipſa dum repetit datque ſe in viam, in alto vertice annoſæ quercus dæmonem conſpexit ementito piſcatoris habitu, qui in patulo aëre ſua jactabat retia, & hinc & inde, à dextris & à ſiniſtris & plurimos & magnos piſces appendebat; eos ſcilicet qui in ejus retia priùs venerant. Sed qui piſces illi? Quæ retia?

Piſcator, diabolus eſt; Piſces, homines; Retia, vitia ſunt, quibus illi capiuntur & præda ſunt.

His monetur Ambroſius Eremo jam profugus, *Ejus Retia.*
ne in ea ſtygii piſcatoris retia veniat, dum ſæculum repetit, in quo, ceu in aëre piſcatur malus dæmon. Ubi enim potius? Aër leviuſculus eſt, & propè inane quoddam & vacuum: & inanis eſt mundus & omnis boni vacuus; in hoc dæmon ſua explicat retia.

At quænam illa? Reſpondet Chryſoſtomus: I.
Actus carnales. Reſpondet Author Operis imperfecti *Generatim*
in Matthæum, eſſe *Vitia ſæculi.* Et hæc & illos re- *explicantur.*
linquere debet, qui Chriſtum ſequi volet.

Ita relinquerunt hîc Simon & Andreas, qui ad illam Christi vocem: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Continuò secuti sunt eum.*

Vera quippè *Fides non habet intervallum; statim audit; statim credit; statim sequitur; statim piscator efficitur.*

Ita deinde Jacobus & Joannes filii Zebedæi pariter vocati, *relictis retibus & patre, secuti sunt eum*; quas promptæ obedientiæ vias ac modos dum spectat D. Chrysostomus, sic ait:

In Matth.

Tria sunt, quæ relinquere debet, qui venit ad Christum: Actus carnales, qui per retia piscationis signantur; substantiam mundialem, quæ per navem; & parentes, qui per patrem.

Hæc ubi mysticè sic explicuit S. Præsul, tum paucis ostendit quid reliquerint Discipuli, & quem in finem; sic enim de illis:

Catena aurea.

Reliquerunt navem, ut fierent Ecclesiasticæ navis gubernatores. Reliquerunt retia, ut non pisces afferrent ad Civitatem terrenam; sed homines ad cœlestem. Reliquerunt unum patrem, ut spirituales Patres omnium fierent.

Hæc ubi dixit, tum ad nos ipsos delabitur, ostenditque quomodo etiam in duobus illis vocati simus, ea etiam via ac ratione, qua olim ipsi.

Primùm enim *Ambulavit IESVS, dum ad nos per Incarnationem venit.*

Secundò, *juxta mare*, id est mundum, qui ex vero bonoque est *mare propter amaritudinem & fluctuationem.*

Tertiò, *Galileæ*, quæ scilicet volubilis rota dicitur, quia & volubilis ipse mundus.

Quartò, *Vidit duos fratres*, non tam oculo corporis quàm mentis. Hos, inquam, vidit, dum eos *misericorditer despexit*; & in illis duos populos: In Simone quidem (qui dicitur & est *obediens*) Judaicum populum, qui Deum per Legem agnovit: in Andrea verò (quo significatur *virilis*) populum Gentilem, qui Deo per Fidem semel agnito, virili constantia semper adhæsit.

Hos, inquam, vidit, & per Discipulos, quos jam fecerat piscatores hominum, extulit & illud Cœli miserentis: *Venite post me, id est, relinquite deceptorem, & sequemini Creatorem.*

Benè habet quod illi *relictis navibus, id est, carnalibus desideriis & retibus, id est, mundi cupiditatibus, secuti sunt Christum.*

Ut & nos sequamur, ex SS. Patrum sensu atque authoritate videndum erit paulò explicatius, quæ sint illa retia, quæ relinquere est necesse ut Apostolos imiteris, & Christum ceu ducem sequaris.

II. Speciatim.

Retia sunt malæ cogitationes.

Prima retia, quibus homines, ceu pisces capit dæmon, sunt *malæ cogitationes*, has injicit in animam, ceu turbatum mare: turbatum, inquam, ab æstu passionum suarum, modò iræ insolescentis, modò cupiditatis immodicæ, modò blandæ veneris ac voluptatis, modò gloriolæ & vanæ cujusdam ambitionis.

Ubi porrò cogitationes illas, ceu retia laxarit, tum iis te involvit, & sic implicat, ut explicare non possis nisi quàm difficillimè: quod si iis teipse non explicaris, iisdem & caperis & peris.

Serm. 2. post Pent.

Hæc retia sic aperuit D. Bonaventura magnus animarum piscator: *Diabolus*, inquit, *capit homines retibus malarum cogitationum; Irretitur* enim homo *cogitationibus, capitur consensu*: quod si illis irretitur, & hoc capitur; certè ut illæ retia sint est necesse, quibus scilicet capiatur ut pisces solent, & quidem ad interitum.

Verba adulatoria.

Sed & alia mali dæmonis retia sunt; nimirum blanda & ficta verba, quibus dum subdolè veritatem obtegis, dum palpas, dum adularis, amicum capis ac perdis.

Prov. c. 29. v. 5.

De his olim Sapiens: *Homo, qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus*: in quo veræ amicitiæ jura pactaque violat; hæc enim volunt dissolvi retia, si quæ aliunde injecta, non autem parari: hæc gressus, id est actus ac mores in bonum dirigi, non verò in malum inflecti; quod tamen faciunt adulatoria verba; à quibus quàm maximè cavendum docuit Seneca, dum ait:

Natur. Qu. l. 4. in Praef.

Nec adulatoribus latus præbeas; artifices enim sunt ad captandum: mihi crede capieris, si proditioni eorum ipse te tradis.

Hæc ille ad omnes quidem, maximè verò ad Reges ac Principes, quibus ut disertè Curtius: *Perniciosa adulatio, perpetuum malum Regum, quorum opes sæpius quàm hostis evertit.*

Lib. 8.

Et hinc ab Anaxilla dicitur *Principum vermis*; & à Diogene edacior *Corvo*, dum ait, *præstare ad corvos redigi, quàm adulatorum encomiis laudari.*

Nimirum falsa sunt ejusmodi encomia, à quibus abhorrere debet recti, verique amans animus: & hoc quia iis facilitantur vitia, & inaurantur culpæ: unde illud Omerbin Abdalaziz: *Ignoscat Deus homini, qui facilitavit vitia mea, & inauravit culpas*; omnino enim adulatione inaurantur vitia, & purpurantur culpæ; maximè autem in viris principibus.

Verba impudica.

Sed & alia etiam à verbis immittuntur in animam retia; à verbis, inquam, nudis atque impudoratis: qualia fuerunt Ægyptiæ mulieris ad castum adolescentem Joseph, cui sæpiùs in aures intulit pudendum illud: *Dormi mecum.* Credebat his irretiri posse, imò & capi: at secus accidit; iis ille sese quàm bellissimè expedivit, & verborum retia dissolvit, & additam etiam manuum vim elusit, illius victor, imò & sui. De hoc & illo sic D. Ambrosius:

De Parad. l. 1. c. 13.

Quando illum adulterii cupida mulier allocuta est, voluit eum capere sermone: misit laqueos labiorum suorum; sed pudicum virum ligare non potuit: Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautelæ, Fidei custodiæ, castimoniæ disciplina. Capere eum igitur retibus suis impudica non potuit; misit manum & apprehendit vestem ejus, ut nodum stringeret. Verba petulantis mulieris retia sunt; manus ejus amoris nodus est: sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo; excussa veste, solutus est nodus.

Exempla prava.

Et hæc à verbis retia sunt: alia ab exemplis, quæ ad capiendos homines longè sunt efficaciora, maximè verò si à viris Principibus, Sacerdotibus ac Pontificibus immittantur: ut quondam à Rege Jeroboam & Sacerdotibus Hebræis, ad quos sic Oseas Vates:

Cap. 5. v. 1.

Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Israël, & domus Regis auscultate; quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super abyssum, ut vertit Arabicus Antiochenus.

Ita nimirum infelix ille Rex Jeroboam, infelices omninò Sacerdotes, quos Deus seu in profana, seu in sacra dignitate, velut in specula constituerat, ut retia, hoc est depravatos mores atque impios ritus à populo remôverent, facti sunt ipsimet & laqueus, & *rete expansum super abyssum* mundi hujus, in quo malis eorum exemplis capti sunt subditi ut pisces solent. Et hinc illis, Osea vaticinante, & Deo comminante, judicium atque damnatio.

Ne hæc etiam te feriat, quisquis annuente Numine in simili aliqua specula collocatus es, vide ne subjectis tibi populis aut laqueus sis, aut rete: eris autem si vita tua solutior fuerit, & ab hac depravata etiam exempla.

Vanitates mundi.

Alia quoque retia sunt à mundi vanitatibus, de quibus sic Scholastes apud D. Hieronymum:

Relinquenda sunt retia aranearum, quibus veluti culices tenebamur.

Spectasti quandoque pendulas medio in aëre aranearum telas; eas illæ dum texunt, dum tenuia fila è visceribus suis educunt; hæc etiam exhauriunt, ac se eviscerant improbo labore, opera futili, ac propè nihili; cui scilicet pro præda nihil cedat nisi culex & musca.

Quod

Quod si te judice, ô homo, improbus est araneæ labor atque inanis opera; & tuum laborem improbum, opellam tuam inanem cense ac damna, qui vanitates hujus sæculi, puta honores, nomen, famam, existimationem captas ut culices: utque captes, retia tibi ipsi tendis aranearum; quæ relinqui velim atque abjici, uti etiam divitiarum: Nam & hæ quoque retia sunt etiam Apostolo teste; cujus hoc Oraculum: Divitiæ.

Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli. 1. Timoth. c. 6. v. 9.

Hos laqueos & retia nobis obtendit in hac via mortali, ut iis moretur, distineat capiatque. In quo facit simile quippiam illius quod olim Mithridates callidissimus & fortissimus Rex Ponti. Cùm illum victum jam & fugientem incluti Romanorum duces ac bellatores insequerentur; longè lateque per omnem viam impedimenta sua sparsit, aurum, argentum, purpuram multam, regiam suppellectilem & pretiosissimam illam & copiosissimam; quæ bona tot ac tanta dum avidè legiones colligunt, elusit insequentium militum conatus, & in tutum se locum recepit, unde postea majore vi ac contentione bellum renovavit.

Sic Erebi Rex, & hostis animorum, in hoc vitæ cursu egregiam variamque suppellectilem offert, spargit nummos, aurum, argentum & gemmarum nitentium splendorem, ingentiaque commoda fortunarum, ut scilicet illis colligendis, ac conservandis impeditos & vinorum vinculis captos irretiat atque opprimat. Quam ob causam D. Paulus divitias *Laqueum diaboli* sapienter nuncupavit.

Has mali genii fraudes ac dolos agnovit Simon, agnovit & Andreas, ideóque & divitias & omnia sæculi hujus impedimenta à se abjecit, & relictis retibus secutus est Christum, nudum scilicet nudus, & pauperem pauper. Ita deinde secuti Viri Apostolici.

D. Augustinus Ecclesiæ dives, Religioni opulentus, sibi pauper, qui cùm diem clauderet extremum nullum testamentum condidit, quia ut in ejus vita Possidonius: *Unde conderet pauper Christi non habebat.*

D. Basilius, qui illustrem Ecclesiæ dignitatem etiam cum frugalitate & inopia jungi posse suo exemplo docuit, utpote, cui (ut ait D. Gregorius Nazianzenus) *Divitiæ erant nihil habere.* Orat. 20.

Ita inter antiquos Patres nominatus ille Hiero, in quo ut virtutem inclytam, & modestiam singularem laudavit D. Gregorius Nyssenus; ita vel maximè *Venerandus*, ut ait, *paupertatis divitiis.* De vram. morte.

Ita denique etiam in primæva Ecclesia ipsi Christiani, de quibus extat dulce & propè Divinum illud acroama, quod extulit aliquando D. Augustinus: *Magna felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est.* Ab hac certè *Christiani* olim vulgò nominati *Pauperes*: quæ appellatio non dedecori cessit, sed honori; quia ut disertè Minutius Felix: Serm. 26. de Verb. Dom.

Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: animus enim ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quî potest pauper esse, qui non eget qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? In Octav.

Ita Deo dives B. ANDREAS; ita divites Apostoli, divites Christiani; utinam & nos Deo divites simus, cætera pauperes.

Enimus autem si relinquamus ea retia seu carnis esse velis, seu mundi, seu etiam mali dæmonis; Et certè nisi relinquamus, incidemus in retia Dei vindicis, qui etiam modò intentat funestum illud, quod olim Sedeciæ, qui typus fuit & umbra peccatoris.

Extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea. Ezech. c. 12. v. 13.

Ita rete suum super te extendet aliquando, ô peccatrix anima, & capieris in sagena illius, quæ tua culpa, dum hic viveres, malè capta es & retibus & sagena mundi ac vanitatis.

DE SANCTO FRANCISCO XAVERIO

INDIARUM ET JAPONIÆ APOSTOLO.



ETIAM illud mihi concedes, AMICE LECTOR, ut inter dies Sanctis & Ecclesiæ festivos, inseram eam lucem, qua magna illa S. FRANCISCI XAVERII Anima Cœlitibus est addita. Quidni enim id fecero?

Si Sanctos hîc veneror & colo: & XAVERIUS vulgò *Sanctus* audit, etiam dum adhuc mortalis inter homines ageret.

Si Apostolos suspicio: & XAVERIUS dictus Apostolus. primùm in Lusitania, in qua etiam ex eo reliqui socii dicti sunt Apostoli, appellatione plena sanctitatis & gloriæ. Deinde in Indiis & Iaponia, ubi regionum illarum Apostolus nuncupatur, & communi voce populorum, & ipsius etiam sanctæ Sedis ac Pontificum authoritate.

Si Martyres prædico atque extello: & hos inter censeri potuit XAVERIUS, qui non tam Martyrio defuit quàm Martyrium ipsi. Vitam enim & sanguinem Dei ac Religionis causâ non semel dedisset, nisi miraculo servatus fuisset.

Si Con-

Si Confessores aspicio & laudo: etiam inter illos eminet XAVERIUS insigni patientia, & cura animarum verè paterna.

Si denique Virgines & candidas illas mentes amo: & XAVERIUS est Virgo, puritate vel ipsis Angelis invidenda.

Si ergò in omni propè Sanctorum Ordine ac serie recenseri possit XAVERIUS, Quidni etiam inter dies illis festos ac solemnes numerari? Maximè verò ex quo accessit authoritas & oraculum magni Pontificis Gregorii XV. Fel. Record. à quo in Sanctorum numerum est relatus.

Sed unde petetur sactæ dictionis argumentum? Potuissem ex Evangelio, imò etiam voluissem; sed cùm in illud liberaliùs calamum duxerim in festo S. IGNATII, ne vel actum agam, vel aliqua materiæ similitudine Lectori nauseam pariam, aliò deflectam; quò scilicet me rapient vel sacri Vates, vel Apostolorum acta, vel Divi Patres. Itáque primùm ex illo Isaiæ: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Deinde ex hoc Christi ad Ananiam oraculo: *Vas electionis est mihi iste, ut portet Nomen meum coram Regibus & gentibus.*

De hoc Doctor Angelicus in Conversione D. Pauli. De illo autem Seraphicus in festo Sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ. E quibus pauca delibabo, quæ ad institutum meum videbuntur opportuna. Sit ergo

QUÆSTIO UNICA

MORALIS.

Ad illa verba: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Isaïæ cap. 60. vers. 8.

QVI ISTI? ET CVR NVBES?

Qui sunt isti?

A vox est Prophetæ admirantis, & quærentis ecquinam essent illi, quos in spiritu & altiore quadam mentis intelligētia videbat advolare adinstar nubium, quæ à vento impelluntur.

Quærentis, inquam, est; nec tamen sibiipsi respondentis. Hoc nempè posteris inquirendum reliquit, ideóque hîc etiam paucis inquiremus; & hoc quidem ex SS. Patrum atque Interpretum sensu. Discedunt & hi & illi in tres sententias:

I. Fideles omnes?

Prima, per nubes intelligi credit gentes & populos, qui tam densi, tamque celeres ad Ecclesiam confluent, quàm densæ flante vento volant per aëra nubes.

Et hinc amabilis ille stupor, hinc mirantis & quærentis istud: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Et hæc opinio fuit olim D. Hieronymi & aliorum.

II. Apostoli.

Secunda est D. Gregorii, Ruperti, & multorum Interpretum, qui per nubes designari volunt Apostolos & Divini Verbi præcones, qui impellente cœlesti quadam aura, ut nubes volant ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ab uno Orbe in alium. Et hæc sententia communior.

III. Indiarum Apostoli.

Tertia est Thomæ Bozii, & ex eo Ulyssis Aldrovandi, qui has nubes opinantur esse Viros Apostolicos, qui afflante aura Divini Spiritus ad Indos extremosque Orbis fines evolant.

Huic opinioni in præsentia subscribo, atque ad illud Isaïæ, *Qui sunt isti?* hoc repono.

Sunt ultimi Orientis, sunt Indiarum Apostoli, quos inter S. FRANCISCUS XAVERIUS Indiarum & Japoniæ Apostolus: quod ut in aperto ponatur & clara luce, videndum erit quæ sit Analogia nubium & Apostolorum.

Prima Analogia.

Nubium & Apostolorum.

Cur nubes.

IN nube quatuor spectari debent, ex quibus ducentur aliæ atque aliæ analogiæ Nubium & Apostolorum. Illa autem vel ex sola definitione patebunt.

Philosopho, *Nubes est addensatus vapor, qui è locis humentibus ad mediam aëris regionem æstu Solis & astrorum evocatus circūstante frigore concrescit, atque addensatur.*

Quid sit nubes?

Primùm igitur *Nubes* est *vapor*: en tibi *materia*; aqua scilicet, aut humor aqueus.

Deinde *addensatus*: en *forma*; nisi enim addensaretur atque concresceret ille vapor, nunquam formaretur in nubem.

Tum etiam *æstu Solis atque astrorum evocatus*: Ecce *causa efficiens*, videlicet Sol, Luna astráque alia, quæ Cœlo micant, & suas in hæc inferiora habent influentias.

Materiam vidisti, formam & causam nubium; attende, qui ab illa deinde manent effectus: alii sunt atque alii; videlicet imbres, pluviæ, nimbi, tonitrua, fulgura, fulmina, & his similia, quæ gravida nubes evomit ceu partus suos.

His ita ex saniore Philosophia constitutis, prima analogia petetur à materia nubis.

Hæc est aqua, fluxum & molle elementum; quod educitur è mari, è fluminibus, è paludibus, è locis humentibus, ipsáque terra, quæ suo humore semper madet. Quid hac materia fluxum magis & labile? Quid etiam Apostolis? Ne ad alios deflectam, calamum sistam in XAVERIO Indiarum & Japoniæ Apostolo.

Patria

Patria illi fuit Regnum Navarræ: locus natalis Castellum Xaverianum, situ & opere munitum; pervetusta ac gentilitia sedes Xaverianæ familiæ.

Hor. Tursel. l. 1. Vita, cap. 1. Maternus avus Martinus Azpilqueta, styrps & hæres relictus antiquissimæ juxta ac nobilissimæ familiæ, & majorum gloria clarus, & sua virtute clarior. Is Joannam Xaveriam pari splendore ac nobilitate Virginem etiam familiæ suæ hæredem, uxorem duxit: ex qua Mariam unicam filiam suscepit stirpem ac spem familiæ utriusque. Hanc deinde Joannes Jassus sibi matrimonio junxit; homo ut genere illustris, ita copiis & doctrina ac prudentia clarus, idemque apud Joannem Regem Navarræ gratiosus in paucis, consiliique Regii præses.

His igitur parentibus ac majoribus nascitur FRANCISCUS XAVERIUS, natu quidem minimus; sed tanquam alter David, parentis designatione maximus.

Et certè ad maxima quæque ab ipsis incunabulis, sollicita educatione ipsaque indole visus est destinari: erat enim egregia corporis forma, magnum & acre ingenium, studium litterarum non vulgare; & in his generosus & altus animus, qui non spiraret nisi magna & alta, ex mundi genio, ex avitæ nobilitatis spiritu, ut familiæ decus, quod amplum à majoribus acceperat, majus & auctius posteris traderet.

S. Xaverius Nubes fuit. Et ecce tibi, mi Lector, nubes, sed aquea tota, quæ tota effluit in sæculi vanitates, tota elabitur ad faciendum sibi nomen, ad viam sternendam ad primas dignitates, ad quas studia sua refert omnia, non minore animi ardore, quàm sumptu fortunarum, quem dum immodicum spectat Parens, de eo domum revocando cogitat; sed à filia sua XAVERII sorore, sacrarum Virginum Antistita ab eo consilio abducitur. Hæc enim (ut erat notæ sanctitatis) divinitus edocta cùm didicisset quis quantusvè aliquando futurus esset XAVERIUS, Patrem per litteras monuit ut excolendo bonis artibus fratri affatim suppeditaret omnia, nec sumptui parceret, etiamsi domesticas in eam rem opes exhauriri oporteret. Quippè illum à Deo novi orbis ultimique Orientis Apostolum destinatum.

Extant etiamnum eæ litteræ in Castello Xaveriano testes vaticinationis, quàm suo deinde tempore comprobavit eventus.

Interim tamen pergit XAVERIUS, & instar aquæ delabitur in terram; sed hæc ardore Divini Solis IGNATIIque caritate è locis paludosis, ex humenti terra educi debet, in altum attolli atque in nubem cogi. Et hæc erit

Secunda Analogia.

AQueus ille vapor, qui nubi efformandæ servit, cùm suapte natura gravis sit, deorsum inclinat, velut ad centrum sedemque ingenitæ sibi gravitatis; extrahi proinde debet è locis humentibus ac deinde extenuari; tum etiam sensim attolli atque elevari ad mediam aeris regionem, ibique concrescere, condensari, atque in nubem effingi.

Sic & XAVERIUS, qui adinstar vaporis aquei suo pondere deorsum tendebat, videlicet ad commoda vitæ lautioris, ad humanos fastus, ad Infulas, ad primas dignitates, verbo uno ad terram & terrena totus, extrahi inde debuit vi altiore: ea, secundùm Deum, fuit S. IGNATII virtus & comitas.

Cap. 2. Cùm hic Parisios venisset, & ad studia tum Philosophica, tum etiam Theologica animum adjecisset, in Fabrum Xaveriumque incidit, atque ab iisdem in contubernii vitæque Societatem benignè receptus, gratiam utrique benè cumulatam reddidit.

Eximia quippè utriusque indole percepta, primùm eos paulatim officiis delinire, tum etiam salubribus præceptis pro re nata excolere; denique ad Christianæ vitæ perfectionem allicere cœpit, & alia atque alia salutis monita injicere, quæ omnia Faber (ut qui humanum nihil magnopere expeteret) avidè arripuit. At XAVERIUS, animo jam gloriæ atque amplitudinis cupidine occupato, penitus exclusit. Imò (ut erat ingenti spiritu juvenis) protervè procaciterque obloqui cœpit, & IGNATII dicta, ipsumque IGNATIUM carpere, & pietati ejus petulantiùs illudere.

Quid facias? Vapor est, & aqueus totus, qui proinde in fluxa & caduca vitæ hujus bona diffluit atque elabitur; sed attolletur S. IGNATII patientia comitate atque officiis: vincent hæc FRANCISCI pervicaciam.

Et verò etiam vicerunt. Paulatim enim (ut erat generosus ac nobilis) respexit primò quem exagitarat, tum etiam Divino afflatu tactus totum se illi regendum tradidit, ad extremum ardore quodam cœlesti igneque Divino illius Solis, hoc est Christi luce atque astrorum, hoc est, Sanctorum exemplis eductus è terra, abjectoque crassiore illo humore ac spiritu quasi extenuatus, elevatus in cœlum est, & in nubem effictus, ut de illo, si modò adhuc spiraret Isaias, quærere posset:

Qui sunt isti, qui ut nubes volant?

Nubes enimverò XAVERIUS; concrescit illa atque addensatur, & tùm odio mundi circumstantis, tum etiam suiipsius, invalescit atque confirmatur.

Hinc edomandi corporis cura; hinc usitatæ inediæ, etiam subinde dierum quatuor sine ullo cibo potuque; hinc verberum ciliciorumque asperitates; hinc noxia, ut rebatur, membra funiculo, non sine acri dolore constricta; hinc assidua divinorum meditatio; hinc ardor patiendi pro Christo, & Martyrii incensa cupiditas; hinc vota quibus se Deo obstringit, & abdicata rerum omnium possessione, animarum saluti procurandæ devovet. *Cap. 3.*

Ecce ut formata jam nubes est, ecce ut terris superior & in cœlesti regione sublimis; spectemus modò qui ab illa emanent effectus, vel ad hominum bonum, vel ad stuporem, vel etiam ad sacrum quemdam horrorem: pro quibus sit

Tertia Analogia.

DIvus Bonaventura in illud Isaiæ: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Omnes apostoli, inquit, possunt dici nubes. *Quia pluunt verbis, Coruscant miraculis, Tonant judiciis, Volant contemplatione mentis.* *Serm. de SS. Apost. Simone & Iuda.*

Et hæc ferè sunt omnia, in quibus notari potest analogia quædam ac similitudo quæ est nubes inter atque Apostolos: de quibus explicabimus sigillatim: & quidem

VIRI APOSTOLICI,

Pluunt verbis.

DE hac pluvia præsago spiritu voceque cecinit olim Regius Vates: *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* *Ps. 7. v. 10.*

At quæ Dei hæreditas? Quæ pluvia? *Quæ sit illa pluvia?*

Cajetano hæreditas est Synagoga; cui Deus cœlesti quadam ubertate ac beneficentia segregavit, hoc est elegit atque extulit *pluviam*, eamque duplicem; *mannæ* scilicet ac *coturnicum*: quam appellat *voluntariam*, quia data ex illius voluntate atque appetitione. Ab hac pluvia, infirma mansit ac debilis Synagoga.

D. Hilarius per *pluviam* intelligit *Doctrinam Evangelicam.*

D. Hieronymus, prædicationem & legem Moysi datam velut illius typum.

Hugo Cardinalis, *prædicationem*, quam Deus Ecclesiæ, tanquam hæræditati suæ segregavit ac separavit, & adinstar pluviæ effudit: & hæc *pluvia* dicitur & est *voluntaria*; vel ut Pagninus vertit, *Munificentiarum*; Vatablus, *Liberalitatum*, quia à Deo immissa est, propensa in Ecclesiam suam voluntate, munificentia ac liberalitate.

Immissa autem per Apostolos, qui ex vero *pluunt verbis*.

[S. Petrus ut pluit?] Sic in ipso ortu surgentis Ecclesiæ Princeps Apostolorum Petrus *Verbis pluit*, & ea vi sacræ dictionis in Judæorum animos impluit, ut vel unica concione à Judaismo ad Christi Fidem circitèr tria hominum millia traduxerit.

Imbuti quippè cœlesti illo imbre, & illius efficacia victi, ita ad Petrum:

[*Act. c. 2. v. 35*] *Quid faciemus viri fratres?* Quibus Petrus. *Pœnitentiam agite, & Baptisetur unusquisque vestrum.*

[*vers. 41.*] Et ecce illicò *Baptisati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.*

Sic nimirum, sic verbis *pluit Petrus*: sic deinde (ut alios in præsentia taceam) *pluit* & S. FRANCISCUS XAVERIUS.

[S. Xaverius ut pluit?] Primùm in Italia & præcipuis quibusque Urbibus, Venetiis, Bononiæ, Romæ, ubi suis concionibus miros fecit animorum motus.

Deinde in Lusitania, ubi è pulpito dixit eo ardore zeloque, ut ab eo primùm glorioso nomine *Apostolus* sit appellatus.

Ita nimirum fieri decuit, ut etiam Europa jam Apostolum in Indias extremosque Orientis fines transmitteret: quod futurum aliquando alnore spiritu voceque Prophetica prædixerat S. Thomas Apostolus, cujus hoc apud Indos celebrabatur Oraculum.

Ventura ea tempora, cùm Oceanus paulatim erosis laxatisque littoribus, crucem quamdam ibi à se statutam, fluctuum appulsu inciperet alluere, tunc ab extremis Europæ finibus in Indiam mari advehendos Viros Apostolicos & Divini Verbi præcones, qui sibi in officio studiisque succederent.

Utriusque eventus mira conjunctio Fidem oraculo fecit: simul enim ad crucem undæ littorales, simul & XAVERIUS crucis prædicator ad Indicum littus accessit; imò & nubis instar advolavit, ut in aridum Indiæ Japonumque solum, in arida mortalium corda verbis implueret; sed cœlestibus illis ac divinis: & hoc quidem ubertate longè maxima.

Hanc colliges primùm ex aliis atque aliis regionibus, quas salutari illa pluvia imbuit, irrigavit, fœcundavitque per longissimos viarum tractus.

Romá quippè digressus totum Orientem decennio ita decurrit, ut ultrò citroque commeans centena & ampliùs milliarium millia tum mari, tum terra fuerit emensus.

In his Dei verbum, ceu *pluviam voluntariam*, longè lateque effudit:

Primùm, Mosambici, Melindæ, in Socotora Insula, in promontorio Comorino, ubi non alio nomine audiit quàm *Sanctus Pater*.

Tum etiam in Ora Piscaria, in Regno Travancoridis, quod Christo adjunxit, in Insula Ceilana, in Molucis Insulis; tum Goæ, Malacæ aliisque Indiarum Urbibus celeberrimis.

Denique in Japonia, ubi sex & sexagena regna lustravit, & Apostolicis concionibus, ceu cœlesti pluvia recreavit. Et hæc omnia illius copiam ostendunt probantque; sed multò magis hominum propè innumerabilis multitudo, quam (pro ea, qua pollebat in dicendo vi) Dei ac Religionis Christianæ jugo submisit.

Certè præter non pauca coronata Regum, Reginarum Dynastarumque capita, ex inferiori, id est plebeio ordine, recensentur duodecies centena animarum millia, quibus ipse unus Sacerdotali manu lustrales aquas superinfudit.

[*L. 6. de signis Ecclesiæ.*] Ut proinde jure meritissimo asseruerit Thomas Bozius, ab omnibus simul hæreticis, qui jam inde à Simone Mago primipilo suo innumera millia conficiunt, non tot Ethnicos ad legem Christi, qualem sibi fingunt, adjunxisse, quot unicus XAVERIUS ad Christum & Orthodoxam Religionem addidit.

Nempè non tam eò laborant Hæretici ut Gentiles ad Christum adducant, quàm ut Fideles ab eodem abducant.

Et hæc summatim dicta sint, ut probarem Apostolicum illud in XAVERIUM quoque cadere: *Pluunt verbis.* Transeo ad aliud; quod scilicet

Coruscant Miraculis.

Pulchrè Regius Vates describit admiranda Dei opera in nube: è quibus

[*Psal. 76. v. 18.*] Primum, est *multitudo sonitus aquarum*, hoc est aquarum è nube effusio cum impetu, quasi ruptis cœli cataractis, quod fit ubi vel rapidus imber ingruit, vel densus nimbus effunditur.

Et huic similem diximus prædicationem Apostolicorum Virorum, qui scilicet *pluunt verbis*, modò adinstar imbris rapidi, aut nimbi densioris, cùm scilicet acrius in peccatores incurrunt, eisque incumbunt: modò instar pluviæ mollis, aut blandi roris, qui tacitè allabitur ad aures & animos auditorum.

Alterum, est quod *vocem dederunt nubes*, vocem scilicet *tonitrui* in totius Orbis ac vitæ *rota*. Et hoc tonitru, est terror ipse & sacer horror, quo Apostoli malos tangunt ac percellunt: de quo postea.

[*Vers. 19.*] Postremum sunt ipsæ *coruscationes*, quæ à nube disrupta illucescunt *Orbi terræ*. Et hæ sunt vel Apostolicorum Virorum *exempla* (ut aliqui volunt) vel *miracula*, quibus ipsi fulgent & coruscant.

[S. Xaverius] Ita fulsit S. FRANCISCUS XAVERIUS, qui adinstar effractæ nubis evibravit fulgura lucemque miraculorum, quam vidit, amavit, stupuitque Orbis universus; ut illi congueret etiam illud quod Apostolis: *Coruscant miraculis.*

[Coruscat miraculis.] Orbem dixi universum, quia nulla propè hujus pars, nullaque portio, cui non aliqua lux affulserit miraculorum XAVERII, quem ex vero sæculi nostri Taumaturgum possumus appellare.

Juvat hic per omnes Universi partes stylum circumducere; ac primò per elementarem regionem: in hac tota fulsêre hujus Apostoli miracula.

[In Aere.] *In Aere* quidem dum Malacensium pestilentem auram, corporis sui vita functi, sed suavissimè fragrantis, adventu discussit.

[*Lib. 3. Vita c. 5.*] Dum Tolum Urbem Christo ac Lusitanis infidum ac rebellem, cinerum, pumicum, saxorumque grandine ac procella suis precibus à Deo obtenta sic obruit, ut fossis repletis, æquatoque ipsius arcis fastigio, Lusitanis oppugnantibus viam ad assultum & expugnationem fecerit. Ut in aëre, sic &

[In Igne.] *In Igne*, dum ab ædibus jam conflagrantibus repentè incendium dispulit.

[*Imago primi sæc. l. 5. c. 5.*] Donati Francisci Galligħai Florentini civis domum multarum jam ædium victor ignis invaserat, & ea erat venti vis, ea flammæ vento actæ potentia, ut nullum ab humana vel ope vel industria remedium superesset. Palam ergo provolutus in genua Donatus, se suasque ædes IGNATIO & XAVERIO suis secundùm Deum patronis commendat.

Vix vota conceperat cùm invocati in auxilium Divi stitere se coram eò, qui ignis lumen vincerent, splendore spectabiles; cumque expressa etiam voce hominem sperare jussissent, illicò subsidente vento flamma omnis momento sopita consedit.

Tanta-

Tanta IGNATII, tanta XAVERII cœlesti igne flagrantium in ignem elementarem potentia. Nec minor

In aqua.

In Aqua, dum aquam marinam salsam illam, dulcem reddidit ac potabilem, elevatis priùs in cœlum oculis, impressoque saluris signo: Hoc prodigium extulit cùm in Sinas vela faceret, ubi secum navigantibus plusquam quingentis tum Lusitanis, tum etiam Saracenis ac Barbaris, alioquin siti perituris miraculo succurrit, admirantibus omnibus etiam Mahumetanis viri sanctitatem, & nonnullis etiam suscepta fide testantibus.

Hoc vivo XAVERIO miraculum sensit aqua: illud etiam mortuo, cùm afflatam suo spiritu ardere coëgit in appensis suæ imagini lampadibus, deficiente scilicet oleo; cujus testes fuêre Saraceni & Barbari præcones, qui experimenti causa etiam lychnos eadem aqua intinctos incendi viderunt atque ardere. Et hæc in aquam vis: similis

In terra.

In Terra, cùm ea non semel ad ejus imperium nutumque contremuit. Ita ad Tolum oppidum (de quo suprà) Barbaris metum incussit excitato derepentè terræ motu; ut non ab aëre solum, sed à terra ac sub pedibus terror esset ac horror. Et hæc in elementis: ab illis

Elabor *ad ventos ac tempestates*: has aqua sinu suo fovet & jactat; illos autem aër aut gignit, ante vomit, sæpiùs etiam ad mortalium perniciem. Sed & has & illos sedavit XAVERIUS, ut elementorum, sic & ventorum ac tempestatum domitor.

Lib. 2. Vit. c. 10.

In ventis.

Tendebat in Insulam Ambonino; sed adversus & pertinax ventus arcebat à portu, in quo tamen XAVERIUM exponere statum erat: defecerat omnino vis omnis, & ars nautica sic ut desperaret gubernator: Ad preces & solita cœli subsidia versus XAVERIUS, & ecce illicò ventus quasi morem gerens se ita remisit, ut portum intraret quàm facillimè.

Image prim. sac. l. 5. c. 5.

Mirum hoc; sed magis illud quod subjicio. Postquam in Sanciano mari exasperatum in ventos cœlum verbo coercuisset; etiam sæviendi in posterum facultatem ademit.

Bollandus in ejus vita 7. Ian.

Quod prodigium ne fortè cuipiam miraculorum censori nimis severo insolens videatur, adjicio huic simile quod ad preces B. Alberti Eremitæ dedit indulgens Deus.

Devenerat ille ad montem, cui nomen Tauricella, hactenus à nemine mortalium cultum, ob vim horrificam, quæ istic sæviebat, ventorum. Hîc illicò cellam extruit, eamque à Deo gratiam est consecutus, ut fusis precibus, religiosa formula loco benè precatus, omnem vim ventorum effugarit, nec sit deinceps vehementior istic flatus ventorum auditus.

Si in continente ventis furentibus frænum injecit B. Albertus; Quidni & in mari S. XAVERIUS?

Quo in genere duplici miraculo illustre est illud, quod subjungo. Cùm in Chinas navigaret, scapha à sua oneraria vi tempestatis avulsa, in altumque delata, illi propitius; imò præsens adfuit XAVERIUS, & periclitantes in ea socios nauticos consolans ac ventis imperans, filiam (ita scapham vocabat) reduxit ad matrem, id est onerariam; quod fieri non potuit nisi dicatur vel ambulasse *super pennas ventorum*, ut præsens compareret in scapha, quam non conscenderat; vel reproductus vi Divina; ut simul esset duobus in locis, hoc est simul in oneraria, simul & in scapha. Sed abeamus à turbulento aquarum elemento, & cœlum, si lubet, conscendamus.

In Sole.

Eò quippè ascendit, eò evasit vis XAVERII miraculosa.

Benartius in Ecclesiastic.

In Indico Oceano à naufragis imploratus, Sole jam infra horizontem deposito destitutis, Solem ipsum restituit (utque etiam manifestius ac stabile foret XAVERII beneficium) plurium horarum spatio, in rapidissimo licèt cœlo ac pronissimo in occasum lapsu, immobilem stitit, Sole, astrorum principe, Orbis oculo obediente voci hominis. Ea nimirum est vis sanctimoniæ etiam in cœlos ac Solem. Nec minor.

In inferis.

In Inferos, ad quos à Supernis descendo; in altam scilicet sepulchri noctem, è qua longè plurimos ad lucem & vitæ usuram revocavit.

Nicolaus Zambecarri in Oratione habita coram Gregorio XV. Pontif. Maximo sanctè asseruit *Miracula per S. Xaverium tum vivum, tum mortuum patrata, tam multa, tam varia, tam insitata esse, ut profectò nihil fecisse minus à magnis Apostolis affirmari possit.* Tum adjicit illud:

Certè mortui ad vitam restituti, quamvis in relatione habita coram Sanctitate vestra quatuor tantummodo numerentur, non tamen pauciores quàm viginti in actu proferuntur.

Ex his unicum dumtaxat producam, de quo in Consistorio secreto coram Sanctissimo Domino nostro Gregorio XV. sic ad verbum Franciscus Maria Cardinalis de Monte:

Cùm servus Dei in Promontorio Commorino concionem ad populum haberet in Ecclesia, in qua die præcedenti sepultus fuerat quidam defunctus, ipseq; Xaverius difficultatem magnam pateretur in convertendis Ethnicis qui aderant; oravit aliquantulum pro eorum conversione: & peracta oratione, ut ad Christum illos adduceret, jussit sepulchrum, in quo cadaver jacebat, aperiri, & populo significavit placuisse Deo iterum mortuum illum ad vitam revocare, ut ipsi converterentur.

Patefacto igitur sepulchro, & rescissa veste funebri, qua defunctus erat involutus, apparuit cadaver. Tunc verò oratione à P. Francisco pro vita illius Deo facta, statim surrexit vivus.

Quod miraculum primò excepit astantium stupor, tum Xaverianæ sanctitatis commendatio, tum denique Ethnicorum conversio, qui ab eodem Patre baptisati.

In dæmonibus.

Lib. 2. Vit. c. 16.

Ecce ut mortis domitor XAVERIUS: vis nosce ut etiam dæmonum. Meliaporæ civis erat prædives miserè à diabolis obsessus vexatusque. Ad hunc FRANCISCUS accersitus, unum è pueris Catechismi adjutoribus cum Cruce misit, qui Evangelio, ut mandarat Pater, super energumenum recitato, protinus malos hospites ac vexatores expulit.

En ut dæmonem etiam per puerum vincit ac sternit; quid amabo te, mi Lector, per seipse facturus.

In piscibus maris.

At quoniam hîc Xaverianæ Crucis memini, præterire non possum illud, quod illius vel in aquas & maria imperium, vel etiam in animantia ac pisces dominatum aliquem testatur, utpotè cui etiam miraculo famularentur.

Image prim. sac. l. 5. c. 5.

Cùm in mari fœdè jactaretur XAVERIUS, tempestatis sedandæ causâ Crucem in mare dejecerat, & hac illicò sopita maria; at cum jactura Crucis, quam ut collo, sic & magis appensam gestabat in animo, & primis curis atque amoribus. His dum cœlum favet; favet & Oceanus, favet & marinus cancer, qui facta demum longè inde exscensione, deambulanti propè littus XAVERIO crucem retulit, & ubi reddidit, quasi peracto officio illo ac famulatu, se etiam aquis reddidit. Et hoc à XAVERII cruce miraculum, cui aliud addo à precatoria ejus corolla.

In hominibus naufragis.

Mercator unus aliquis cùm Meliapora Malacam cogitaret, suo in digressu munusculum à XAVERIO petiit, quo apud se piam sanctamque recordationem foveret: dat ille petenti detractam sibi precatoriam corollam: additque, servaret hoc non memoriæ tantùm suæ; sed defuturi nunquam auxilii pignus æternum.

Jam solverat, jam prospera usus navigatione per vasta ac remota maria, non procul aberat Malaca;

cùm ecce inopinata vis venti pondusque immanis procellæ validam quamvis navim in frusta dissolvit. In hæc raptim temereque compacta, cum nonnullis se mercator immittit; sed illicò sine timore periculi, seu propitii favore XAVERII, abductus à sensibus, non jam navigare, non jactari tabula, non mergi; sed colloqui cum XAVERIO videbatur.

Imago Prim. Sæc. l. 5. c. 5.

Nec otiosum, nec insalubre colloquium fuisse docuit eventus; quinto enim post die quàm se jactaverat in tabulas, sibi tandem mercator redditus, sanum se, sed solum in ipso, unde solverat, littore, non procul Meliapora deprehendit.

Eò sanè vectus per immensos Oceani tractus, non alio ductore quàm XAVERIO, qui dimersis aliis omnibus, amicum sibi ac clientem, ne periret, vel per irata maria, vel per aërem detulit; & ne erraret, in noto littore collocavit.

Et hæc è multis ac propè innumeris pauca collegi, ut evincirem illud, XAVERIO Indiarum & Japoniæ Apostolo convenire etiam Apostolicum illud: *Coruscant miraculis*; quæ scilicet elementa omnia, Cœlum ipsum, inferique, & ipsi quoque muti pisces senserunt, sensit etiam ac prædicavit omnis ætas sexusque mortalium, ut vitam illius vel oculo tantùm decurrenti luce clarius apparebit. Transeo ad aliud; quod nimirum Apostolici Viri

Tonant Iudiciis.

VT effracta nube priùs oculos ferit coruscatio, quàm ad aures appellat tonitru, ex eoque sonus: sic in Vitis Apostolicis, qui nubes quædam sunt, priùs in oculos incurrunt vel vitæ ac virtutum magnarum exempla, vel miracula ac prodigia, quàm animos verberet ac percellat tonitru verborum, ac minarum, quas in adversa Cœlo capita jactare solent.

Et jure sanè meritissimo: nisi enim vel exempla moveant, vel miracula; parum, aut nihil movebunt verborum tonitrua: at ubi illa præcesserint, tum hæc ut sequantur est necesse, & quidem cum maximo animorum motu, & in bonum inclinatione.

Qui tonet Xaverius?

Et ita factum in Apostolis, & S. XAVERIO, de quo dici potuit quod aliquando de Basilio magno elatè pronuntiavit D. Gregorius Nazianzenus: *Tonitruum erat ejus Oratio, quia vita fulgur*: Fulgur, inquam, erat vita, vel à singularis sanctimoniæ exemplis, vel à luce miraculorum; & hinc ejus *Oratio tonitruum* erat, quod audientium aures feriret, & metu sacratiore percelleret animos.

Lib. 2. c. 6.

Ita perculit adolescentem, cui nomen *Durus*. Hic se primùm in XAVERII familiaritatem insinuarat; deinde etiam in Societatem, in quam licèt ægrè admissus, cùm merces suas vendere cœpisset, ut alias cum FRANCISCO merces quæreret, paulò post mutato consilio defectionem meditari cœpit, imò & fugam; clanculum tamen, & nemine mortalium conscio. Verùm ut alios falleret, at XAVERIUM non fefellit, utpotè qui arcana cordis illius, & secretas cogitationes altiore intelligentiæ vi jam pervasisset. Unde illo accito: *Peccasti*, inquit, *Dure*, *Peccasti*.

His voculis, ceu tonitruo percussus, primò persensit XAVERIO patuisse divinitus sua consilia, tum pudore suffusus victusque, ad illius genua accidens, exclamavit: *Peccavi*, *Pater*, *peccavi*. Et in sua deinceps vocatione perstitit.

Ecce ut *tonitruum* fuit *Oratio* XAVERII; quia scilicet *vita* illius *fulgur* erat.

Omitto alias, easque frequentes ac miras animorum conversiones, cùm scilicet è pulpito tonaret XAVERIUS, tremenda Dei judicia, partasque nocentibus pœnas intentaret.

Venio ad horrendum illud & immane excommunicationis tonitru, quo tactus Malacensis Præfectus Indiarum Proregi, XAVERIO Deoque rebellis.

Ut sibi in Sinas aditum pararet XAVERIUS de Proregis consilio legationem adornabat futuram ex honore Regis Lusitaniæ & summo Religionis bono. Ei designatus erat Jacobus Pereria, ut genere, ita virtute nobilis: at Præfectus Malacensis (seu quòd eam spe devorasset, seu quòd alterius gloriæ inviderct, homo gloriæ cupidus, & auri plus æquo studiosus) eam impedire ac disturbare cœpit, nec ullis aut precibus aut minis flecti potuit. XAVERIUS, qui ad eam diem publicè pro Nuncio Apostolico nunquam se gesserat, personam ab humilitate positam, paulisper sumendam existimavit, protulit Pontificium diploma diu reconditum, ac tandem mirum quantum contumacem excommunicationis fulmine percussit; ad quod etiam accessit tonitru, à minis & judiciis divinis, pœnisque ab eo, nisi resipisceret, exigendis.

Nec irritæ fuère minæ, nec vana prædictio. Haud enim multò post, tum quòd alia multa per summam injuriam fecisset, tum quòd Proregis contempsisset imperium, injecta illi vincula, atque ita ut erat vinctus primùm Goam ad Proregem, inde in Lusitaniam ad Regem raptus; ibique bonis malè partis spoliatus, notatus ignominiâ, perpetuo addictus carceri, lepra insuper teterrima coopertus interiit.

Ecce ut Viri Apostolici tonant judiciis: videamus etiam ut

Volant Contemplatione mentis.

VT nubes afflante aura ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem evolant levitate summa, celeritate summa: sic & Viri Apostolici celeri quodam mentis decursu, modò *in Cœlum volant per Contemplationem gloriæ*; modò *in Deum per excessum lætitiæ*; & hoc, ut ait D. Bonaventura, tum quia *peccatorum pondere liberi*, tum vel maximè *agilitate quadam virtutis*, quæ illis instar pennarum esse videantur. Ut enim ille ipse Seraphicus Doctor: *Volatus Sanctorum perficitur quatuor pennis: scilicet Cognitionis, Dilectionis, Orationis, Devotionis.*

Supra.

Qui etiam volet?

In volatu Sanctorum quæ pennæ?

Prima est *Cognitionis.*

VT enim Anima in Deum evolet, necessum est ut eum cognoscat, & videat quàm suavis sit Dominus.

Et hæc est penna Aquilæ, de qua Habacuc: *Volabunt quasi Aquila festinans ad comedendum.* *Cap. 1.*

Ut enim Aquila irretortis oculis Solem aspicit ac contemplatur: sic & Sancti altiore id est cœlesti lumine illustres Deum aspiciunt, & omnia infra Deum posita despiciunt.

Sic de seipse Isaias: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* *Cap. 6.*

Sic & ex voto suo Jobus: *Quis mihi tribuat, ut cognoscam & inveniam eum, & veniam usque ad solium ejus.* *Cap. 23.* Venit enimverò mente, non corpore.

Sic venit S. XAVERIUS, quem sæpiùs observarunt Patres intempesta nocte, fixo in Cœlum oculorum obtutu in hortis domesticis inambulantem, totumque in Dei cogitatione defixum, ut non ambigeres abstractum à sensibus, & in Dei sui contemplatione penitus absorptum. *Lib. 6. c. 5.*

Sic & in Meacensi itinere, sanè aspero impeditóque, cùm jucundissimè meditans animum abduxisset à corpore, crura ac pedes stirpibus lapidibúsque offensans sine ullo lacerabat sensu. Nimirum ut elatè Tertullianus: *Nihil crus sentit in nervo, cùm animus in Cœlo est.* *L. ad Mart. c. 2.*

Sic

Sic & nihil crus, nihil pes, nihil corpus ipsum Xaverii sentiebat, cùm jam ejus animus cognitione & contemplatione Dei in Cœlo esset; & alis Aquilæ quasi subvectus amœnum illud Divinæ bonitatis jubar irretorto mentis oculo aspiceret; ad illud oculatus; ad alia cæcus.

Secunda est *Dilectionis.*

VT in Cœlum Deumque attollatur Anima, necessum est ut illum amet; secus enim ad ima deprimetur: ut enim D. Augustinus: *Amor meus pondus meum.*

Hic si sit creaturarum, ad inferiora inclinabit & trahet suo pondere: sin autem Dei, ad superiora rapiet, sustollet vi sua.

Cap. 5. Hæc est, *penna avis*, de qua Jobus: *Homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volandum.* Labore probatur homo, probatur & amor, ut avis volatu.

Et hoc & illo probatus Xaverius, qui in Deum elatus est pennis amoris, cujus indicia alia atque alia sese prodiderunt.

Primum fuit perennis quædam unio cum amato: ab hac fiebat ut etiam in mediis hominum congressibus jucundissimos cum Deo misceret sermones, nec ulla seu occupationum, seu negotiorum incumbens moles, nec ipsa totius Orientis cura, nec labores immodici à suavi cum illo colloquio, amoreque vel ad momentum avocare possent.

Imò, quod mireris & ames, nec ipse somnus, in quo tamen ut illigantur, & vacant sensus; sic animus illigari quodammodo, & vacare solet: at non vacabat in Xaverio, nec ullam cum Deo suo unionem interrumpebat; imò excitabat magis. Hinc sæpiùs per somnum auditus emittere ejusmodi voces, voces amantis: *O IESV bone, ô Creator mi.* Sic ut orare illum, non dormire crederes; vigilare, non sopiri: nempè dormire nescit, sopiri nescit amans, cui certum illud: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Alterum amoris indicium, est ingens quidam atque incensus ardor pro Deo patiendi: & hic in Xaverio fuit quàm maximus.

Hinc illa martyrii cupiditas, quæ à Turcarum finibus exclusa, ad ultimas terrarum oras progressa, ex feris atque immanibus nationibus, ex pestilentiæ, naufragiorum, prædonumque manifestis periculis Martyrii decus quæsivit millies, ut illi Martyrium potius, quàm ipse Martyrio, defuerit.

Hinc in mediis laboribus, sudoribus, ærumnis, fame, siti, frigore, nuditate, mari terræque periculis ac mortibus inclamare sæpiùs illud: *Amplius, Domine, amplius:* Nimirum amanti nunquam laborum, nunquam dolorum, nunquam periculorum est satis; amplius aliquid, amplius ambit: & hoc quidem, quia amplius atque amplius amat, ignis immodici more modóque, qui affusa aqua invalescit magis atque accenditur.

Tertium argumentum summi in Deum amoris, est illi suppar in proximum caritas, & adgenita ei compassio quædam, quâ alienis malis condolet ut suis, & illis quantum potest nititur subvenire.

Ea fuit D. Pauli caritas, cujus testes eæ voces: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalisatur, & ego non uror?*

Serm. 14. Ita nimirum ut aureè D. Chrysologus: *Verus amor nonnisi passionibus probatur: verus amor est fecisse suas angustiantis angustias.*

Ita suas fecerat Xaverius & pauperum & ægrorum & vinctorum & contagiosorum & barbarorum angustias.

Hinc ægris, vinctis, miseris quasi servum se addicere.

Hinc contagiosis morbis inter funera objicere se intrepidum.

Hinc ad Barbaras efferasque gentes cum aperto capitis discrimine cursitare.

Hinc contemptis exæstuantis oceani fluctibus, piratarum latrociniis, naufragii periculis, incommodis infinitæ navigationis ad ultimos usque Japones penetrare.

Hinc denique etiam ipsa Sinarum claustra severissimis legibus & custodiis firmata tentare. Et hoc ideo tantum ut animabus eò loci de salute periclitantibus opem ferret; impellente scilicet amore, qui cùm verus esset, istarum gentium angustias, suas etiam faciebat.

Et hoc argumentum fuit illius, quo in Deum ardebat amoris, & quo sublimis adinstar levissimæ nubis evolat, cui ad eum volatum accessit etiam alia penna, quæ D. Bonaventura est

Tertia, *Orationis.*

HAc olim se à terris extulerat David, cùm ex vero caneret: *Vigilavi & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Psal. 101.

Vigilabat enimverò David etiam in purpura sceptróque, in negotiorum tumultu, in æstu armorum.

Factus erat sicut passer, qui ut aucupum laqueos declinet ac fallat; sublimis evolat, & pedem figit *solitarius in tecto.* Ita nimirum in aula, aulicorúmque frequentia solitudinem inveniebat David, si non corporis; ât mentis.

Quod olim Davidi; hoc & Xaverio, cui cùm assiduæ occupationes nullam diurni temporis partem ad orandum vacuam relinquerent, orationis magis, quàm somni memor, nocturnæ corporis quieti detrahebat horas semper aliquot, quas animo daret cœlesti illa requie reficiendo.

Et hæc illi erat in vigilia Divini colloquii dulcedo; nec minor in solitudine: notatus enim est sæpiùs sese clam omnibus subduxisse de circulo, ut in sylvam aliquam, aut solitudinem se reciperet, ibique Deum supplex oraret.

Ita vigilabat *sicut passer solitarius in tecto*, à terra & à seipso elatior; & hoc ut laqueos mali dæmonis, ceu aucupis, effugeret; non tamen sic omninò effugit.

Orantem enim ad ipsam Divæ Matris Aram aggressus dæmon, ita flagellis ac verberibus malè excepit, ut ad dies aliquot ægrum lectulo affixerit; Lib. 2. c. 15. Deo scilicet hac ratione, sed mirabili, servi sui vigilias & constantem in oratione animum probante.

Aliàs etiam, cùm ex instituto suo media nocte oraret in Templo; in odeum convenire mali genii, & precationi obstrepentes, quasi matutinas recitare, & Clericorum invicem canentium eboros per ludibrium imitari sunt audiri, ut saltem molesti essent illi, cui terribiles esse non poterant. At nec sic molesti fuerunt; perrexit enim in oratione Xaverius; ita alienus à seipso, ut nec quid illi canerent, adverteret. Nimirum ei pro penna erat oratio, qua sublimis evolaret: sed & alia quoque, eáque

Quarta est *Devotionis.*

VUlgaris illa vox *Devotio*, tria potissimùm notare videtur.

Primum est decens quædam orantis compositio, reverentis animi motus, & sacer horror ad Dei præsentiam contremiscentis.

Et hic in Xaverio fuit, qui semper aut submissis genibus orare, aut cruribus fatigatis super Aræ gradus projicere sese, & quasi pronu in terram vultu jacere: aut si quando populo distribuenda foret sacrosancta Eucharistia, eam de genu & flexo reverenter poplite ministrare est visus. Lib. 4. c. 5.

Et eventus docuit id Deo placuisse: Cosmus enim Saraina medicus nobilis, aliique complures, affirmarunt XAVERIUM in Goano Templo positis genibus sacratissimum Christi Corpus præbentem populo, sæpè abs se esse conspectum, cùm amplius cubito sustineretur sublimis à terra.

Penna scilicet *Devotionis* evectus, & vi quadam altiore ac divina: à qua etiam accessit

Alterum; ardor scilicet & æstus quidam animi, qui etiam in corpus ipsum, in frontem ac faciem emanabat.

Hinc sæpiùs orantis os, oculi, vultus cœlesti quadam luce collucere visa, & eò quidem, ut spectantium feriret oculos, qui veneratione capti, XAVERII vultum, quasi alterius Moysis, nequibant adversum intueri.

Et hic ardor entheus vel maximè eminebat, cùm ad consecrandam Eucharistiam sumendamque ventum erat.

Tum enim manantibus gaudio lacrymis ora complebat sinumque. Tantus porrò Divinæ pietatis sensus in pronuntiatione, vultu, totóque corpore emicabat, ut etiam redundaret in circumstantes, à quibus non semel inter rem divinam sublatus à terra, sublimisque visus est non sine amabili stupore.

Tertium in illo *Devotionis* indicium, fuit copia quædam, & vis magna superinfundentis se lætitiæ cœlestis & divina quædam suavitas, quam dum capere vix posset mortalitas, tunica ab æstuanti pectore diducta, hanc identidem vocem ingeminabat: *Sat est, Domine, sat est.*

Et hic gaudii cœlestisque jubili sensus non solùm in orationis fervore æstuque; sed etiam inter familiares ac pios cum Patribus sermones ita derepentè illius animum occupabat, ut hominum oculos subterfugeret, ne illum extrinsecùs prodere cogeretur.

Ex hac porrò cœlesti lætitia, gaudióque, nascebatur blanda quædam animi quies, à qua non tam agere, quàm pati divina videbatur, & in Deo suo colliquescere ac dissolvi.

Et hæc fuit *penna Columbæ*, quam tot votis expetebat Regius Psaltes, dum sic ad Superos: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Psal. 54.

Quod petiit ille, hoc impetravit XAVERIUS, & *Columbæ*, id est Deo superisque devotæ mentis pennas impetravit, quibus evectus volavit, & in optatissimo Dei sui sinu conquievit.

QUÆSTIO UNICA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illud Christi de Paulo oraculum: *Vas electionis est mihi iste.* Act. cap. 9. v. 15.

QUOD ILLUD, ET QUALE VAS?



VAS Hebræis dicitur *Keli*, & significat quodlibet instrumentum.

Cap. 6. v. 5. Sic apud Amos Prophetam: *Vasa cantici*, sunt instrumenta musica, quibus ad musicam est usus.

Gen. c. 49. v. 5. Sic *Simeon* & *Levi* fratres, dicti sunt à Patriarcha Jacob *Vasa iniquitatis bellantia*; hoc est bellatores. Et arma dicuntur *Vasa belli*.

Psal. 7. v. 14. Sic apud Regium Vatem & tela & gladii, quibus violenta mors inferri solet, appellantur *Vasa mortis*.

Ita & hic *Vas electionis*, est instrumentum singulariter electum. Et hæc de vocula illa *Vas* ex Hebræa notione dicta sint.

De illa verò *Electionis*, alius atque alius est Sanctorum Patrum sensus, atque interpretatio.

D. Hieronymo *Vas electionis* idem est ac prædestinationis ab æterno factæ ad singularem aliquam & gratiam & gloriam. Et tale fuit Paulus, qui deinde 2. Timoth. c. 2. v. 20. prædestinatos pronuntiavit esse vasa in honorem; uti contrà, reprobos vasa in contumeliam.

Aliis *Vas electionis* idem est ac Divinæ electioni ac vocationi apprimè respondens: & is fuit Paulus, in 1. Cor. c. 15. quo *Gratia Dei vacua* non fuit; huic enim respondit quàm maximè, dum illi strenuè & acriter est cooperatus.

Aliis *Vas electionis* est Vas lucis, quale est Sol ille aspectabilis & Orbis oculus, quem Ecclesiasticus Cap. 43. v. 2. vocat *Vas admirabile*, *opus excelsi*. Et tale fuit Paulus quasi Sol alter Orbis & nascentis Ecclesiæ, quam Evangelicæ doctrinæ luce illustravit.

Origeni *Vas electionis* est vas sapientiæ, quam in Prov. c. 20. v. 15. alios effundat: *Vas enim pretiosum labia scientiæ*. Ejusmodi fuit Paulus.

Inc. 8. Osee. D. Hieronymo *Vas electionis est Paulus, quia est vas Legis & Scripturarum armarium*.

Tract. 8. S. Gaudentio *Vas electionis* est Vas electum, id est purum, virgineum: & hoc fuit, qui in corpore virgineo virginem servavit animam, *Corpus* enim, etiam Cicerone teste, *est quasi vas, & aliquod animi receptaculum*.

Aliis *Vas electionis* est Vas à Deo electum ad labores, sudores, vulnera, mortes: Et tale fuit Paulus, cui etiam ostendit Christus quanta eum deceret pati, & hoc pro suo nomine.

D. Chrysostomo *Vas electionis* fuit acris & ignea quædam indoles, ex qua zelus etiam divinæ Legis: mirum enim quantum ad ardua virtutum faciat indoles acris & alta: ita fecit in Paulo, ubi eum à Lege ad Evangelium, à Synagoga ad Ecclesiam transtulit Christi vocantis manus. *Ubi terror ibi salus. Quod faciebat contra nomen Pastoris, patitur pro nomine Pastoris. O sævitia! ò misericordia!* exclamat D. Augustinus. Et hæc & illa sua ab indole sumpsit incrementa: hæc in bonum, illa in malum. Tanti interest quæ ea sit.

D. Thomæ *Vas electionis* est Vas *Pretiosum*, *Speciosum*, *Electum*, *Dilectum*. Serm. 1. in Convers.

D. Bonaventuræ *Vas electionis* est *Vas altum*; *Vas* S. Paul. *purum & mundum*; *Vas lucidum & clarum*; *Vas* denique *solidum*. Serm. 2.

Et hæc sunt, quæ sancti Patres ac Doctores in illud Christi de Paulo oraculum & fusè & ingeniosè sparserunt. Ego in argumento vasto, & propè immenso, me ad pauca contraham, eáque petita ex D. Bonaventuræ sensu; quæ cum bona venia Apostoli & Doctoris Gentium, transferam ad Indiarum & Japoniæ Apostolum S. FRANCISCUM XAVERIUM, qui & ipse Vas fuit electionis.

Probemus illud celebri Vaticinio. Quo anno in hanc lucem venit XAVERIUS, postea Indiarum Apostolus, necatus est *Petrus de Covillanis*, ex Ordine SS. Trinitatis Anno 1497.

Hic

Hic olim Prior Olyssiponensis, tunc *Vasco Gamæ* celebrarissimo illi Orientalium Indiarum exploratori, ac debellatori à confessionibus, & comes navigationis extiterat, cùm vero à Barbaris, Christi quam prædicabat fidem execrantibus, confoderetur telis, in hæc verba prorupit:

Dan. Bartoli de Vita S. Ignatii lib. 2. num. XLVII.

Novus Ordo excitabitur in Ecclesia Dei, Clericorum sub nomine IESV, unusq; ex illis primævis Patribus, divino ductus Spiritu, in remotissimam Indiæ Orientalis regionem penetrabit, maximamq; partem illius, Divini eloquii prædicatione, ad Fidem Orthodoxam adducet.

Ex tabulario Cœnobii Conimbricensis.

Hactenus ille prophetico spiritu: & de S. IGNATIO, sexenni tunc puero, & de S. XAVERIO eo ipso quo natus est anno: ex quo sane Vaticinio liquet illud S. FRANCISCUM XAVERIUM ex tunc in divina mente *Vas* fuisse *Electionis*. Et certè quidni tale esset.

Si enim cœlo judice etiam alii pietate, & sanctitate illustres, Vasa fuerunt Electionis. Quidni & XAVERIUS?

Missarum solemnia singulari piæ mentis æstu celebrabat olim *B. Guilielmus*, Abbas Villariensis, numero decimus; cùm ei sese videndam obtulit Virgo Mater, & hæc ad illum: *Venient ad te, qui urgeant pro receptione pueri: sine mora illum recipe, quia Vas Electionis est mihi.* Hæc ad B. Præsulem vox virginea de puero, qui fuit *B. Arnulphus Lovaniensis*, primum Monachus Villariensis, deinde eò loci etiam Abbas decimus tertius.

Henriquez lib. 2. Fasc. Ordin. Cist. D. 2. c. 2.

Quæ de *Arnulpho* adhuc puero prædixit Dei Mater, & *B. Guilielmo* Abbari edixit hæc eadem tacita voce, secretoque instinctu IGNATIO dixisse videri potuit.

Lutetiæ Parisiorum ad te veniet non jam ætate, & innocentià puer; sed ab adolescentia; & altiore indole præservidus XAVERIUS, illum sine mora in consortium tuum recipe, imò & admitte in eam, quam meditaris vitæ Societatem; *quia Vas Electionis est mihi.* Et vero *Vas Electionis* fuit XAVERIUS; *Vas*, inquã, *Electionis*; non tantum Christo, Virginis Filio; sed & ipsi Virgini Matri, cui in primis curis fuit, atque amoribus: & hoc quia virginea animi puritate nitere debuerat; & hinc mihi primus aditus aperitur in propositum initio sacræ dictionis argumentum.

I.

S. FRANCISCUS XAVERIUS Indiarum & Iaponiæ Apostolus, VAS ELECTIONIS;

Hoc est purum & mundum.

DIci à me posset *Vas Electionis* etiam à sanguine, & natalibus, ortum enim duxit legitima serie ab Regibus Navarræ: hos illi Atavos assignant vetera ejus familiæ monumenta, & juridicè testatur Antonius Zapata Cardinalis.

Daniel Bartoli in Vita & gestis S. Xaverii. num. I.

Patria illi fuit XAVERIUM, leucas fere sex Pampellona distans, in Pyrenæorum radicibus quà Navarra Hispaniam spectat.

Hoc Majorum ipsius meritis repensum præmium per continuos Toparchas ab annis jam inde trecentis, materna familia hæreditarium tenuit: XAVERII Pater *Ioannes Iassius*, dignitate, & stirpe nobilis; Regi suo *Ioanni tertio* ab Consiliis, & percatus: mater *Maria Aspilgueta*, duplici appellatione, ex illustrissimis Regni familiis duabus traducta. Quod autem Xaveriana, in matre desinebat, ne gloriosum tot sæculis cognomen cum ea moreretur, liberorum nonnullis est additum, quorum minimus natu FRANCISCUS noster Anno 1497. in lucem venit; & XAVERII nomen etiam tenuit: paternum Jassi cognomen alii tenuere.

Sed hæc, ut dixi, à natalibus decora, quæ quia nostra vix esse ducimus, iis omissis, transeo ad ea, quæ virtutis sunt & quæ sola sua esse voluit S. XAVERIUS. Ea petentur ex illis Apostoli verbis: *Vas Electionis*, hoc est, interprete Doctore Seraphico, *Purum*, & *mundum*, quibus in voculis exhibet duo magnarum virtutum ornamenta.

Unum est *mundities*, quæ vitæ innocentiam & morum integritatem commendat.

Alterum est *puritas*, quæ illibatum aperit atque ostendit castimoniæ ac virginitatis florem.

Et hæc & illa in S. XAVERIO enituit, maximè ubi à Deo vocatus ut esset *Vas Electionis*.

Cùm sui juris esset, cùm in sæculo & Academia Parisiensi, aliqua adhuc illi adhærebat peccati rubigo, aliqua macula vanitatis & gloriolæ, quam spectabat; quo fiebat, ut Divinis oculis & humanis non ita niteret. At ubi vocanti D. IGNATIO, vocanti Deo cessit, penitus detersa excussáque ea rubigo.

Et hoc quidem ex IGNATII voto, quod inter sacras preces & orationis æstus erat illud Sapientis:

Aufer rubiginem de argento, & fiet vas purissimum. *Prov. c. 25.*

Pro ea, qua erat altioris intelligentiæ vi, XAVERIUM spectabat IGNATIUS ut argentum, argenteam scilicet & candidam indolem, cui tamen adhærescebat aliqua rubigo vanitans. Hinc illud ad Superos Deumque: *Aufer rubiginem de argento*, de XAVERIO, *& fiet Vas purissimum.*

Ita porrò factum est, abstulit Dei manus, detersitque è XAVERII anima vanos illos ac tumidos spiritus, & gloriæ sæcularis appetentiam, & ad cœlestia, ac Divina transtulit. Et hinc *Vas* fuit longè *purissimum*: Et quidem

Primò à cordis munditie, ab integritate conscientiæ, & totius vitæ morúmque innocentia etiam familiarium testimonio comprobata. Hi quippè professi sunt, nihil in eo notatum unquam, quod cujusquam oculos aut animum offenderet.

Et certè quomodo offendisset in eo, qui & diligentissimè, & quàm sæpissimè conscientiam excuteret suam, & ubi copia erat Sacerdotis, Confessionis Sacramento etiam eluebat. *Lib. 6. c. 9.*

Ad illam animi munditiam accessit nivea castitas & virginalis pudicitiæ nitor, quem à prima ætate ad extremum usque spiritum illibatum servavit. Quod Meliaporæ Vicarius ex sermone cum XAVERIO habito, & alii ex ejus confessionibus etiam jurati affirmarunt.

Quod etiam confirmari potest, tùm ex amore castimoniæ, qui in illo fuit; tum ex odio libidinis, quod ejusmodi fuisse constat, ut vel ipsum libidinis nomen horreret.

Hujus indicium illustre erit quod subjiciam. Olissippone profectionis Indicæ diem opperiens cum Simone Rodericio in eodem diversabatur cubiculo. Ibi intempesta nocte, repentè excitatur è somno, adeo commotus, ut è naribus magnam vim cruoris profunderet.

Cujus causam Simonem rogitantem obstinato silentio celavit quamdiu in Lusitania fuit. Ad ultimum, ubi solvendi advenit tempus, sub digressum, in navis angulum cum eo secessit, eique candidè apperuit. Illa nocte impuram speciem sibi per somnium oblatam, ea vi repulisse, ut inde tanta illa copia sanguinis erupisset.

Quid amabo te, mi Lector, quid vigil fecisset XAVERIUS, qui hæc etiam altè sopitus? Qua vi, quóve impete impuras imagines è phantasia expulisset ille cùm suus foret ac liber, qui sic repulit cùm nec suus esset, nec liber?

Habes ex hisce signis, humanisque testimoniis probè testatam insignem XAVERII castimoniam; divinum indicium accipe ac testimonium. Erit hoc extincti corporis integritas etiam miraculo servata.

Dum

Dum Regni Chinensis aditum meditatur XAVERIUS, divina bonitas cœlestis Regni aditum illi aperuit: diem enim suum sanctissimè obiit in insula deserta, in paupere tuguriolo, corpus Sacerdotali vestimento indutum ligneo loculo includitur, terræ utique istic mandandum: at mutato divinitùs consilio, placuit ad carnem exedendam, vivam corpori calcem adhiberi, ut deinde nuda ossa, magnæ mentis exuviæ, in Indiam commodiùs deferrentur.

Itaque aperto loculo magna vis calcis inditur, tum arca diligenter occlusa ibidem humatur.

Labuntur interea menses omninò quatuor: cùm solvendi in Indiam tempus advenit; itur ad tumulum, arca effoditur, excussaque calce inspicitur corpus.

Mirum dictu visuque! ita integrum reperitur, ut jam jam humatum putares. Nullus gravis odor, sed potiùs suavis; nulla tabes, ne in naso quidem & oculis, qui primi mortuis effluere solent.

Lib. 5. c. 13. Imò color vivax, caro planè recens, vestimenta etiam nulla ex parte tabefacta læsaue. Ne vigor quidem, qui ex spiritu constat, destituerat vultum; vivum adhuc ac propè spirantem credidisses XAVERIUM.

Ita nimirum amabilis Dei providentia vel ex integritate corporis integritatem animi voluit æstimari; vel hanc ex illa etiam remunerari.

Hoc in spectaculo ubi datum aliquid stupori, amori, lacrimis, osculis ac venerationi sacri corporis; tum illud in arca cum calce, ut erat, in navim imponitur, & è Sanciano portu mense Martio Malaca petitur, quò perventum secundissima navigatione.

Ad famam & spectaculum incorrupti corporis excitur Malacensis Civitas, & tota portis effunditur, funus effertur frequenti Clero, collucentibus undique facibus, & in Societatis Templum (è quo tamen nullus tum Malacæ supererat) infertur, ibique, post sacrum solemni ritu ac cæremonia decantatum, in novo loculo excussa calce deponitur ac sepelitur, & mox miraculum miraculo additur.

Novi quippè loculi brevitas coëgerat eos, qui operam dabant funeri, XAVERII corpus nonnihil comprimere atque inflectere. Itaque ex humeris repentè profluxit sanguis miram afflans odoris suavitatem.

Quæ res objecta oculis animisque, omnes qui aderant stupore ac miraculo attonitos defixit. Et meritò; corpus enim jam quintum mensem animo vacuum, & in calce viva sepultum atque obrutum, non modò carnem, succum & colorem, sed etiam sanguinem cumque odoriferum retinere, prodigium est à sæculis inauditum.

Cui accessère etiam alia duo. Unum quidem cùm æger attactu sacri corporis illicò convaluit; alterum cùm Malacæ illius adventu afflatúque pestifera lues penitus compressa.

Eadem virginei corporis integritas etiam notata, cùm Joannes Beira Sacerdos è Societate cum aliquot Sociis Molucum petens, Malacam divertit, & nocte intempesta cum Sociis in templum occultè venit, sepulchroque patefacto, FRANCISCUM velut spirantem, & nihilò minus integrum ex humo, quam antea ex calce reperit mense post obitum nono. Lib. 5. c. 14.

Quod & compertum mense ab obitu decimo sexto: cùm enim corpus Malacâ Goam deferretur, Melchior Nunnius Collegii tum Rector illius per otium inspiciundi cupidus, dè media nocte, remotis arbitris, clausisque januis FRANCISCUM in Sacerdotali habitu, sicut erat, ex arca exemit, reperitque eadem prorsus facie, habitúque corporis quo constabat eum fuisse cùm viveret, caro succi plena, cutis recens, color vividus: crederes eum sopitum potius, quàm extinctum.

Eadem sacri corporis incorruptio deprehensa, & confirmata Anno 1637. Octobris 17. ea occasione, quam subjicio.

Exercebat jam inde usque ab Europa *P. Marcellum Franciscum Mastrilli* intuendi Goæ corporis S. XAVERII profunda cupido. Id quàm foret obtentu arduum, verito severissimè aperiri loculo, nisi præverteret, haud ignorabat. Igitur apud Reginam Hispaniarum imprimis operam dedit, ut inter ea donaria, quibus ornare XAVERII monumentum ipsa decreverat, amictus regius esset, quem ipsa suis litteris juberet ab Marcello corpori imponi, & eum, quo jam contegeretur ab eodem Marcello exemptum ad se remitti. *Allegambe de P. Marcello gestis & morte.*

Hoc Reginæ imperio instructus Marcellus P. Provincialem Goæ secreto commonet, ita constituat, ut citra incommodum mos illi geri possit.

Re constituta, Marcellum, Provincialis intempestæ noctis silentio, unà cum Præposito ejus domus professæ, suo socio, uno è professoribus Theologiæ, atque æditu, nec aliis arbitris, accersit, conditorium aperit, & Marcello flagitanti permittit, ut suis ei manibus vestem veterem exuat, & regiam induat.

Igitur exemptum est pristinum amiculum, & substitum aliud à Regina missum pro monumento suæ in sanctum pietatis. Marcello cessit linteum, quod ejus collo erat alligatum, rubente adhuc cruore conspersum. Ipse verò priusquam opertum denuo esset conditorium, devotionis suæ syngrapham Sancti XAVERII digitis insertam ibi dimisit. Erat ea sanguinis exarata notis, quem ille è suo pectore, ferreo stylo in eam scriptionem eliquerat, ut nimirum primitias ejus sanguinis, quem deinde erat in Japonia fusurus, suo XAVERIO dedicaret. Ejus syngraphæ inscriptio hæc erat:

Sancto Apostolo Indiarum, Scriptura, & juramentum perpetuum.

M. fr. M.

Quid porro intrinsecus contineret, legi potest apud P. Allegambe, in morte & gestis ejusdem R. P. *Mastrilli*: ego redeo ad incorruptionem sacri corporis. Voluerat ipse, litteris in Europam datis illam describere: sed inter ordiendum lacrymarum affluentia prohibitus, eam provinciam alteri commisit etiam testi oculato, à quo hæc ad nos delata:

Corpus etiamnum perstare succidum, & tractabile, & cœlestem quendam odorem afflare, jacere supinum, brachio uno pectori admoto (nam alterum Romæ pridem est) in habitu sacerdotali gemmis occluso, vultu esse oblongiore, colore in fuscum vergente, coma, & barba aliquantò promissioribus, & aliquanta canitie distinctu, apertis oculis, totum blandissima majestate venerabilem. Hæc ille Goa Anno 1637.

Et hæc sacri corporis incorruptio, quæ utique manavit ab ea, quæ olim animi fuerat, ut scilicet corpus (quod fuerat veluti vas animi) incorruptum esset, sicuti & hic:

Quod si ex effato Sapientis, *Incorruptio*, id est, (interprete D. Bonaventura) Virginitas, *facit esse proximum Deo*; necessum est fateamur S. XAVERIUM Deo esse quàm proximum, ut qui Virginem animam in Cœlum extulerit, & Virginem carnem in terris reliquerit, futuram posteris vel exemplo, vel etiam documento, ut & ipsi Virginitatem ament ac colant. *Sap. c. 6. v. 20.*

Et verò quidni ament & colant, qui à Christo, qui (ut ait S. Leo) *Virginitatis est Filius*, Christiani nuncupati? *Serm. 2. in Epiphan.*

Qui *renati sunt ex aqua & pudicitia?* Ut eleganter D. Cyprianus. *Lib. de bon. Pud.*

Qui denique à JESU (qui *Dei Sapientia, Dei Sanctitas, Dei Castitas est*) Jesuitæ sunt appellati? *Ambros. L. 2. de Virg.*

Certè si cui ea virtus esse debet in oculis, in amo-

ribus

ribus primisque curis; his vel maximè, nisi & à suo nomine penitus alieni,& à Majoribus suis degeneres, & à Religione, quam profitentur, abhorrentes.

In hac enim velut in nativa domo sedeque visitur ea Castitas, in hac eminet, in hac de carne triumphat etiam testimonio magni Pont. Gregorii XIII. Fel. Record. qui cùm alia observaret in aliis Religiosis Ordinibus, in Societate JESU, tria potissimùm, & illa, ut aiebat, singularia mirabatur:

Imago prim. sæc. l. 5. c. 6.

1. Tantam in varia excellentique doctrina demissionem animi.

2. Tantam in nationum ingeniorumque diversitate unionem, conspirationemque voluntatum.

3. Tantam in tam viridi vividaque juventute continentiam.

Hanc nimirum, uti & illa, hausit à SS. IGNATIO & XAVERIO: Utinam efferat seros in annos posterosque omnes.

S. FRANCISCVS XAVERIVS VAS ELECTIONIS.

Hoc est Vas altum & à terra elevatum.

Divus Bonaventura (quo authore hîc utor) eam Apostolicæ mentis, ceu vasis cujusdam electi, altitudinem reponit in contemptu divinarum ac terrenorum omnium conjuncto cum voluntaria paupertate.

Cap. 43. Et illud Vas vocat *Vas admirabile*, *Opus excelsi*, quale dicitur ab Ecclesiastico Sol ille noster aspectabilis: *Vas utiq; admirabile & opus excelsi.*

Et talis Apostolus, talis & XAVERIVS *Vas admirabile*: quia sub pedibus posuit, quod alii in capite, imò supra caput suum extulerunt.

Conquestus aliquando Seneca, licèt gentilis, de præposteris hominum studiis atque affectionibus, ut qui in capita sua erigerent, quod ad pedes, imò & infra debuerant abjecisse.

Epist. 91. *Nulli*, inquit, *nos vitio natura conciliat. Nihil quidem quod avaritiam nostram conciliaret, posuit in aperto. Pedibus aurum & argentum subjecit, calcandumq; ac premendum dedit, & quidquid est, propter quod calcamur & premimur. Aurum & argentum, & propter ista nunquam pacem agens ferrum, quasi malè nobis committerentur, abscondit. Nos in lucem, propter qua pugnaremus, extulimus. Nos & causas periculorum nostrorum, & instrumenta disjecto terrarum pondere eruimus. Nos fortuna mala nostra tradidimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum.*

Tria hîc carpit Romanus Philosophus:

Primum, quod aurum argentumque eruamus, & in aperto ponamus quod natura voluit esse in occulto.

Alterum, quod extollamus super capita nostra, etiam nostro periculo, quod ad calcandum ac premendum abjecit.

Postremum, quod summa habeamus, quæ ima esse voluit.

Et hoc passim mortalibus vitium est, apud quos divitiæ honorumque tituli ponuntur in summis: at non sic Viris Apostolicis.

Epist. 54. Apud hos enim ii sunt *ditiores & magis inclyti*, *qui pro Christo pauperes & inhonorati*, ut de Pammachio, & Paulino D. Hieronymus.

Epist. 8. Apud hos *ditissima* est *paupertas*, qualis & D. Athanasii fuit judice eodem D. Hieronymo; qui eum vocavit Virum *ditissimæ paupertatis & Apostolica sollicitudinis.*

Orat. 20. Apud hos dicuntur & sunt *pulchrè inopes*, & inclyta paupertate viscendi, qui fluentium rerum curam deposuerunt, ut annotat D. Gregorius Nazianzenus.

Et ita inclyta, ita dives fuit S. XAVERII, ipsarum scilicet divitiarum ac honorum contemptu; à quo & habuit ut esset *Vas electionis*, hoc est Vas altum, & à terra elevatum, quia illi humana omnia sub pedibus, & ipse illis omnibus eminens; & hoc primùm amore studioque paupertatis. *Lib. 6. c. 7.*

Hanc ostendit *in victu*, qui semper ei tenuis ac parabilis, isque aut precanò quæsitus, aut eleemosynæ nomine ultrò delatus; & quem etiam nonnisi semel in die sumebat.

In potu, qui ferè erat *aqua*; vino enim omni ad multos annos abstinuit, quoad affecta ætas, laboribus attenuata valetudo subegit adhibere paululùm vini benè diluti.

In *lecto*, & cubili, qui ei sæpissimè nuda humus, maximè in Comorino, in Moluco, in Japonia.

In *vestitu*, qui ei fuit toga detrita & vetus, quam sibi detrahi non est passus, ut novam ab amicis ultrò oblatam assumeret, sua scilicet paupertate se involvens, & illa dives satis, satis inclytus, satis altus.

Quanquam, & altior ab humilitate, quæ eum apud mortales immortalesque eò altius evexit, quò seipse depresserat magis.

Hanc porrò testatus in honorum titulorumque fuga. Nuntii Apostolici dignitatem, qua ornatus in Indiam venerat, decennio toto ita occultavit, ut sciret nemo præter Episcopum Goanum, ad cujus genua advolutus Pontificium diploma cum litteris regiis aperuerat. *Lib. 6. c. 8.*

Apostoli nomen in Lusitania primùm sibi delatum, dein tota India Japoniaque vulgatum, fugit quantum potuit.

Miraculorum famam, qua toto Oriente inclaruerat, à se ut potuit abjecit, & miracula à se patrata pueris, aliisque dum licuit, semper attribuit, nec de illis mentionem fieri est passus; & si fieret, nonnisi cum rubore excepit.

De se verò humillimè & sentire semper, & loqui: ac ne crederes & intimo tantùm sensu, & voce abjectum esse ac videri velle; ad infima atque abjectissima quæque sese, quà potuit, abjecit.

Certè itinere toto, quo è Lusitania in Indiam perrexit, comitum sedulò curavit equos, religiosus ipse, Sacerdos, Nuntius Apostolicus, tantique apud Regem & Pontificem nominis: verè *Vas electionis*, quia sua ipse demissione altus, & à terra elevatus.

Ut & ipsi simus aliquando vasa electionis, ut apud Superos alti; primùm amemus amplectamurque divitem illam paupertatem, audiamusque quid etiam ad nos Romanus sapiens; sic enim inquit:

Incipe cum paupertate habere commercium. Aude contemnere opes, & te quoq; dignum finge Deo. Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit. *Epist. 18.*

Deinde & Apostolorum & XAVERII humilitatem imitemur, rati in ea una esse Christianam & veram celsitudinem. *Magna* quippè (ut ait è Petri Sede D. Gregorius) *est celsitudo humilium.* Ut contrà magna superborum abjectio. *Lib. 6. in Reg. c. 3.*

Quid enim, ut D. Bernardi verbis utar: *Quid tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi?* *Epist. 126. ad Episcopos Aquitaniæ.*

S. FRANCISCVS XAVERIVS VAS ELECTIONIS.

Hoc est Vas lucidum & clarum.

De hoc elata voce styloque sic Ecclesiasticus: *Vas castrorum in excelsis, in firmamento Cœli resplendens.* *Cap. 43.*

Vas enimverò *castrorum* fuit Paulus, ut qui in Christianæ militiæ castris, *in firmamento Cœli*, hoc est Ecclesiæ (quæ est firmamentum veritatis) *resplenduit*, altioris ac Divinæ Sapientiæ luce.

Vas

Vas etiam *castrorum* fuit XAVERIUS, & quidem *in excelsis*, à mundi, & rerum omnium creatarum despicientia, positus in *firmamento Cœli*, id est Orientalis Ecclesiæ, ut in ea resplenderet adinstar Solis, quà exemplis vitæ sanctioris, quà doctrinæ luce ac splendore, quà etiam prodigiis ac miraculis: quæ lumina omnia jam aspeximus, ubi ostendimus Apostolico more modoque *pluisse verbis*, & *coruscasse miraculis*.

Superest ut mentis oculo lucem aliam intueamur ac suspiciamus, eam scilicet quæ illi etiam miraculo infusa à *Dono Prophetiæ*: quo qui præditus est,

Primò, Absentia & longè posita, quasi sub oculos habet, & aliorum oculis auribusque supponit.

Secundò, In futura etiam elabitur, eaque enuntiat certo & infallibili vaticinio.

Tertiò, Occultas hominum cogitationes, & cordium secreta introspicit. Crederes cum Deo clavem cordium habere communem: & verò etiam habet.

Hæc tria Prophetiæ lumina animo admisit, emisitque XAVERIUS: & quidem

Lib. 4. c. 4. Primum, ubi in Athenos, Barbaros illos, & Christiani nominis hostesiium est: hi per summam injuriam atque immanitatem & Lusitanos nautas oppresserant, & eorum naves aliquot incenderant, & piscatores Christianos cùm fortè cepissent, naribus, auribus & calcaneis foedè mutilatos ad Malacensem Præfectum cum litteris miserant ipsorum sanguine exaratis, in quibus superbè, & contumeliosè eum ad pugnam provocabant.

Non tulit XAVERIUS eam Christiano nomini illatam injuriam, & præfecto Malacensi, & militi Lusitanò animos addidit ad justum bellum, & justam de barbaris ultionem, certam de iis victoriam adpromittens.

Verùm ut animi non deessent; at vires deerant, deerant & naves, nam ex classe Lusitanica septem tantùm triremes hostilis flamma reliquas fecerat, & quidem tempestatibus laceras ac propè bello inutiles.

Animos abjecisset quivis alius: at erexit XAVERIUS, & paucùlas illas naves per Navarchos septem refici, & ad bellum aptari curavit.

Cap. 9. Sed, ô grande malum! dum magnis animis è portu Malacensi solvit Lusitanica Classis, prætoria biremis in ipso Civitatis conspectu (incertum quo casu) deprimitur, marisque hauritur gurgite, omnium rerum præterquam nautarum & militum damno.

Hic civium omnium clamor, horror, comploratio; imò & inconditæ voces jactantes illud esse mali ominis, & pœnam temeritatis. Ecquid enim, aiebant: An non omninò temerarium sex navigia, quæ reliqua erant, objicere Classi sexaginta navium, & ducentos dumtaxat Lusitanos milites, quinque millibus pugnacium Barbarorum?

Certè alteri quàm XAVERIO videri potuisset ac debuisset temerarium: at huic, qui in Deo spes omnes suas, robur omne, momentumque pugnæ ac victoriæ locabat, nihil audax nimis, nihil temerarium.

Animos igitur novos militi facit, additque ad solatium illud, pro una biremi amissa duas Classi accessuras eo ipso die.

Vaticinio respondit eventus. Ante Solis occasum Lusitanas biremes duas præter Malacam velis ferri conspiciunt, quæ deinde rogatu impulsuque XAVERII belli se Socias obtulerunt.

Cap. 10. Itum igitur in hostem fertur, pugnatum acriter, & prima quidem tormentorum Lusitanorum procella, novem hostium navigia demersa, plura afflicta cum ingenti Barbarorum strage. Denique parta insignis & propè incruenta victoria; desiderati enim è Lusitanis tres tantùm, è Barbaris autem ad quatuor omninò millia. Cætera omnia prædæ cessere victori.

Hæc dum aguntur in remotissimo Oceani tractu, eo ipso die (fortè Dominicus erat) XAVERIUS Malacæ dicebat è pulpito ad frequentem concionem, quam enixè hortabatur ut vota precesque suorum armis jungeret. Abierant à discessu Classis Lusitanicæ dies viginti, eoque amplius, nec ullus afferebatur de illa nuntius; imò spargebatur rumor cæsam penitus atque excisam. Hinc Urbe tota mœror, comploratio, luctus, animorum abjectio: quos dum spe bona erigit sacer Orator; ecce derepentè vel ex ingenti defatigatione, vel ex quadam alienatione à sensibus in summam suggesti spondam caput inclinat ac quiescit; ex subitò sese attollens exclamat.

Nunc demum, Malacenses, mœrore deposito, jucunditati vos ac lætitiæ date. Modò hostem nostri juventute quidem prælio devicerunt, non ampliùs tribus è nostris desideratis, tantulo impendio tam insignis victoria stetit. Tum etiam certum diem designavit, quo primum victoriæ nuntius adfuturus esset, deinde quo etiam victores ipsi salvi & incolumes.

Prænunciationem omni ex parte comprobavit eventus. Biduo enim triduòve pòst nuncius adfuit partæ victoriæ, & nuncium victores ipsi cum ingenti præda, & navium captivarum numero sunt secuti. Octo quippe naves Lusitanicæ, viginti quinque hostium captivas agebant.

Mitto alia quamplurima ejus argumenti, quibus probatur XAVERIUM cœlesti lumine didicisse & procul absentia & longè post futura. Videri potest Libri sexti vitæ ipsius Caput secundum.

Venio ad tertium, quo scilicet eadem vi Divina luceque etiam abdita cordium penetravit ac pervidit.

Cocini amicum cùm rogasset uti valeret, illeque, rectè, respondisset. Corpore tu quidem vales, inquit XAVERIUS; sed animo non item.

Agnovit ille XAVERIUM pervidisse quod animo latebat scelus, & cujus conscius Deus unus; & illicò ad pedes abjectus confessione illud expiavit, sicque mentis sanitatem recuperavit, fortunato sibi vaticinio: at non sic alius, cui ille ipse S. Pater pridie quàm excederet è vita, interitum miserabilem prædixit, hac voce iterum ac tertiò ei repetita: *Væ tibi, Væ tibi, Væ tibi*. Nec irrita denunciatio. Ille enim haud multò pòst meretriciis implicitus amoribus, subitò cæsus interiit, triplici affectus clade, conscientiæ, corporis & animi; quæ scilicet comminationi triplici responderet.

Ecce ut S. XAVERIUS eo Cœli dono, eo Prophetiæ spiritu afflatuque etiam *Vas electionis*, hoc est Vas lucidum & clarum: utinam ab ejus luce ac fulgore nobis etiam inclarescat animus! inclarescet autem si vitæ illius, virtutumque exempla, quæ nobis Sole clariora sunt, intueamur imitemurque, si altioris Sapientiæ, ceu lucis ipsius monita, præceptaque admittamus in animum, & cum oculis hauserimus, etiam & moribus exprimamus.

S. FRANCISCUS XAVERIUS VAS ELECTIONIS;

Hoc est solidum ac firmum.

DIVO Bonaventuræ hîc *Vas solidum* est, quod non cedit percutienti, sed potiùs resistit; imò etiam repercutit.

Tale vas est *Incus*, quæ malleo tundi potest, non obtundi; quippè cedere nescia, malleum, quo vapulat, retundit ac repercutit.

Tale est *Lapis*, in quem jacta pila, in jacientem resilit, nec penetrat, aut pervadit.

Tale

Tale denique *Vas plenum*, quod percussum sonum non edit, uti ederet si vacuum esset atque inane.

Et tales à *Patientia & magnanimitate* sunt Viri Apostolici.

Similes *Incudi*: tundi enim adversis possunt, non teri, non frangi; ut potiori jure jactare possint illud, quod tyranno olim Anaxarchus:

Tunde, tunde Anaxarchi vasculum: at Anaxarchi constantiam non teres.

Similes *Lapidi* saxóve duriori, quod leviorem pilam reddit ac repercutit in projicientem; sic illi in tyrannos vim tormentorum.

Similes denique *Vasi pleno*: cùm enim gratia pleni sint, pleni virtute, pleni caritate, si percutiantur, si affligantur, non gemitum edunt, non lamenta, ut molles solent, & donis cœlestibus vacui; sed altùm silent ut vas plenum.

Ita (ut de aliis Apostolis in præsentia taceam) S. XAVERIVS Indiarum & Japoniæ Apostolus Vas solidum fuit, firmum ac plenum, quod tribulationibus, persecutionibus, procellis, turbinibus, & quibusvis malis tundi potuit, non obtundi, non teri, non frangi; imò nec sonum edere quasi gementis ac fatiscentis animi.

Ita solidum, firmum ac plenum vas fuit: eam porrò firmitatem ac plenitudinem adeptus est duce Fortitudine invictaque Constantia.

Illude solidum & firmum! Hujus officia duo sunt: Videlicet, *Agere & pati fortia*. Et hoc & illud explevit quàm optimè. Et quidem ea, quæ ad insignem patientiam & laborum tolerantiam spectant; quæ metiri quisquis voluerit,

Primùm expendat quas ille Universi partes vel suis laboribus excoluerit, vel sudoribus irrigarit, vel etiam animo complexus sit. Scytharum Legati hæc olim Alexandro Magno:

Si Dii habitum corporis tui aviditati animi tui parem esse voluissent, Orbis te non caperet: Altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres.

Hæc illi Alexandro ex quadam assentatione, quæ ego XAVERIO ex veritate. Hic enim una manu Occidentem contigit, cùm in Francia, Italia, Lusitania ea gessit, eaque passus est, quæ pati necessum est eos, qui tori animarum lucris insudant.

Altera verò Orientem complexus est, cùm in Indias penetravit, easque Christianis institutionibus imbuit labore multo, sudore multo.

Hos porrò labores ac sudores portendisse visa est ea species, quæ illi aliquando in somnis objecta; quam non sine amabili stupore commemorare solebat Admodum R. P. Jacobus Lainius secundus à S. IGNATIO Societatis JESU Præpositus Generalis.

Lib. 1. c. 2. Fuit autem ea hujusmodi: Visus sibimet sæpè XAVERIVS per quietem humeris Indum aliquamdiu vectare adeò gravem, ut ipso pondere excitaretur è somno: quod quidem rei futuræ indicium fuit, uti deinde probavit eventus.

Vectavit enimverò Indum, cùm Indiam totam quasi in humeros extulit portavitque; pondus nulli alteri ferendum præterquam XAVERIO.

Vectavit Indum, cùm tot nationes Barbaras, & genio, & moribus, & locis longissimè dissitas, quasi ovem errantem in humeros levavit bonus Pastor, & in Christi ovile, hoc est Ecclesiam, deportavit.

Vectavit Indum, ubi Comorinenses, Oræ Piscariæ ac Travancoridis incolas, Tutuchutinos, Manarios, Japhanapatanios, Macazarios, Ceilanos, Amboinos, Moluccenses, Malabares, Basainos, Paravas, Ternatinos, Melindæos, aliosque populos ab immani & belluina vivendi licentia ad Christianam mansuetudinem Fidemque traduxit, patientia vel ipsis Apostolis invidenda.

Vectavit Indum, cùm in Japoniam, ultimam Orientis regionem, penetravit, & per illam sparsa Regna omninò sexaginta sex amœna Fidei luce perfudit; at non sine gravi patientiæ, laborum ac curarum nube, quæ illius humeris incubuit.

Vectavit Indum, non ut antè per somni & noctis unius ludibrium; sed oculis animoque vigili per annos omninò decem, quibus in India vixit.

Vectavit Indum XAVERIVS, non unius diei itinere, quod longum foret; sed per centena & amplius milliarium millia, quæ decennio toto quà terra, quà mari ultrò citroque eundo ac redeundo emensus est.

Vectavit denique Indum, ubi suis ipse manibus sacris Baptismi aquis lustravit duodecies centena animarum millia; eo labore, eaque defatigatione, ut deficiente corpusculo, brachia nutantia, & collabentia sæpiùs necesse fuerit à Sociis sustineri.

Et hæc generatim, & quasi compendio dicta sint, ut ex iis liquidò appareat Apostolicum, id est Xaverianum fuisse *pati fortia, pati grandia*.

Descendo ad alios XAVERII labores insignemque patientiam, & quidem in ipsa indica navigatione, in qua tria incurrit corpori longè molestissima.

Primum fuit ita paterna erga ægros ac moribundos cura; quos necesse fuit esse frequentissimos, tum ex ipsa jactatione maris & creata inde nausea, tum ex alimentis. Hæc enim plerumque sunt salsamenta, panis mucidus ac corruptus, aqua vitiata ac verminosa; ex quibus omnibus morbi creantur non atroces magis, quàm exitiales.

His afflictos ac prostratos, & vectores & nautas, & promiscuam turbam cùm vidisset XAVERIVS, ut alia cum aliis tolerasset omnia, etiam & illud sibi tolerandum esse duxit.

Per foros onerariæ discurrere cœpit, morientium peccata expiare, ægrorum corporum sordes abstergere, linteas eorundem lavare vestes, coquere & condire cibos, eosque comminutos in os inserere, medicamenta ac sorbitiones sua manu præbere languentibus, ac omnia vel medici, vel matris, vel ægrorum curatoris, vel etiam servi obire munia, etiam cum sanitatis ac vitæ periculo, afflictorum memor, immemor sui. Lib. 1. c. 14.

Et hæc prima patientiæ illius exercitatio: Altera fuit à calore, & ingenti zonæ torridæ ardore, qui enascitur vel ex imminente Sole, vel ex tranquilli æquoris repercussu, ex quo tam intolerandus existit æstus, ut nulla prorsus afflante aura, validissimi quique ac robustissimi sudore fluentes miserè langueant.

Et hinc etiam ingruentes morbi, nauticorum vectorumque strages, sanis & otiosis ægrè spiritum vitamque trahentibus; quos inter XAVERIVS, etsi & ipse eam incommodorum molem sustineret, sibi tamen, ex prima quadam in miseros caritate, aliam addebat, eorum scilicet juvandi studium planè singulare.

Tertia exercitatio patientiæ fuit ad Promontorium bonæ spei. Est illud fœdissimis tempestatibus naufragiisque infame: jactat enim vesanos impetus aquarum, & rabidos ventorum furores, quos ut declinent vectores, quàm possunt longissimè à terra recedunt, sicque periculum fugiunt, at non incommodum: quo enim magis discedunt à Promontorio, hoc magis accedunt ad glacialem zonam, & intoleranda incurrunt frigora, quæ etiam XAVERIO superare necesse fuit, ut ad patientiam nihil deesset, jactareque jure posset illud quod olim Jacob: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Gen. c. 31, v. 40.

Et hæc in navigatione, quæ illi è Lusitania in Indiam prima fuit, quibus paria & majora perpessus est in aliis atque aliis Indiæ regionibus: Ne in omnes excurram (quod longum foret) in Promontorio Comorino, si usquam intolerabiles æstus est passus; ibi enim Sol vel maximè exurit, & jacentes arenas ita accendit, ut cuncta velut igne torreri videantur.

Itaque XAVERIO luctandum sæpè fuit, non magis cum ardore Solis, quàm cum arena, fervido littore non tantum fallente, sed etiam exurente vestigia.

Et tamen ut is Cœli Solique foret ardor, per oppida viginti excurrebat quàm sæpissimè, in quibus præter viginti Neophitorum millia Christianis præceptis imbuenda, complures erant baptizandi vel infantes, vel adulti, præter ingentem ægrorum ac moribundorum turbam, quibus unus ipse vel auxilio erat, vel solatio.

Et hæc è multis, quæ passus est Cœli Solive intemperie atque inclementia; pauca subdamus ex iis, quæ hominum vel invidia vel immanitate.

In Japonicorum fretorum trajectu non semel *Lib. 6. c. 9.* Barbarorum sagittis impetitus est, quibus indubiè saucius & stratus fuisset, nisi, Deo propulsante, innoxia tela cecidissent.

In mari Molucico ter naufraugium fecit, ac semel tabulæ incubans, biduum triduumve fluctibus impunè jactatus evasit.

Armatum in se Saracenorum furorem effugit, plures dies in proxima latitans sylva.

Venena quoque non semel elusit, & mari piratarum, terrâ latronum sæpissimè ' abuit occursus, Cœloque propitio vitavit non sine ingenti cura ac labore.

Et hæ quidem è multis, quæ proferri possent, sunt ærumnæ, hæc pericula, quorum non contemptor modò, sed etiam amator fuit, & ita patiendi avidus, ut in iis auditus sit sæpiùs ad Deum exclamasse, *Amplius, Domine, amplius*

Diceres illi nunquam ærumnarum, periculorum nunquam esse satis: at consolationum, ubi de Cœlo affluebant illæ, mox satis. Hinc illæ voces: *Sat est, Domine, sat est.*

Adeo labor, sudor, dolor erant in amoribus; & solatia dulcedoque propè in odiis; & hoc quidem ex amore Dei, quo totus exardescebat, ex quo etiam enascebatur amor pro illo patiendi.

Et hunc & illum in servo suo amorem probasse visus est Dominus, cùm etiam XAVERIO compati ac condolere voluit; atque etiam prodigio à sæculis inaudito testari.

Lib. 6. c. 6. In Xaverio Castello, adeoque in ipsa natali Francisci domo, sacellum est ubi Christi Crucifixi effigies religiosissima & antiquissima visitur.

Constat autem hoc ligneum Christi simulacrum quoties XAVERIUS gravius aliquid pateretur in India, multo sudore fluxisse.

Imò eo ipso anno quo extinctus est, feriis sextis omnibus per annum totum sudasse sanguine; sudandi autem initium feria item sexta fecisse.

Quod ex litteris domesticorum collocatis temporibus compertum est.

Hoc nimirum indicium fuit, hoc argumentum amoris Christi in XAVERIUM, quo certius & clarius nullum esse potuit.

Serm. 24. Si enim (ut supà ex D. Chrysologo dixi) *Verus amor nonnisi passionibus probatur, & verus amor est fecisse suas angustiantis angustias.* Certè necessum est ut amor Christi in XAVERIUM verus fuerit, cùm & passionibus probetur, & ex eò quòd Christus ipse suas fecerit angustiantis XAVERII angustias; sudavit enim cùm sudaret ille, & sanguinem quidem.

Venio ad alterum Christianæ fortitudinis caput, quod in agendo & aggrediendo positum est: & in hoc mirum quantum enituit XAVERIUS.

E multis duo in medium adducam; cætera silentio premam, ne propositæ mihi in hoc genere scribendi brevitatis terminos videar excessisse.

Primum erit, quo in seipsum egit, seipse edomuit ac vicit XAVERIUS, nova sanè atque inusitata ratione pugnandi atque vincendi.

Alterum, quo & minas & pericula risit superavitque, audax pro Deo suo ardua quæque omnia & agere & pati.

Venetiis erat Valetudinarium insanabilium: in *Lib. 1. c. 5.* hoc, ceu religiosæ patientiæ ac fortitudinis palæstra dum sese exercet XAVERIUS, ægrum nactus est venerea lue ac tabe confectum; huic eò impensiùs ministrare institit, quò magis ab illo abhorrebat animus natura usuque delicatus, à quo mirum quæ pugnæ, quæ deinde victoriæ.

Hinc enim ulcerum fœditas, & graveolentia, quam velis nolis nauseans aversatur natura; inde verò ratio, caritas, & vis quædam Divina, quæ naturæ contumaciam vinceret, & pestis illius horrorem superaret. Dum ab hac & illa pugnæ, & dubia propè quàm in partem inclinaret victoria;

XAVERIUS naturâ, imò & seipso alnor, generoso ausu illam animi sui, qualem qualem æcbatur mollitiem, & delicati stomachi fastidium, edomare statuit penitus ac vincere.

Nec mora, manantem ex ulceribus saniem semel atque iterum unicus sui victor exsugit.

Eximia illa virtus eximio etiam donata præmio: exinde enim morbos omnes, quorum cæteri vel aspectum ipsum horrere solent, ipse deinde cum voluptate tractavit. Tanti refert seipse vel semel generosè vicisse.

Et ita se rursum vicit XAVERIUS: videns enim ab Nosodochio SS. Joannis & Pauli lectorum inopia leprosum excludi: huic sui lectuli parte cessit, ex *Bartoli de vita S. Ignatii lib. 2. n. XXXI.* quo factum ut die sequenti totum se lepra squallere vidit, leproso nusquam præterea apparente. Neque tamen suæ illum caritatis pœnituit: sed eam patientiæ segetem, & officii præmium censuit infelici leproso præstiti; quanquam brevis admodum hæc fuit: mane enim posteræ diei se mundum, & sanum reperit, ut ante: scilicet miraculo caritatis, reddidit Deus miraculum sanitatis: tanti est seipsum vincere.

Et ita seipse etiam aliquando vicit S. Cuanus Abbas in Hibernia, qui leprosum lambere, & iterum *Bollandus in ejus vita 2. Jan.* ac tertiò nares ejus emungens, ore sacro tria phlegmata extrahere visus est, quæ mox in tria auri obrizi talenta conversa sunt.

Si S. Cuanus (quem centum Monasteriorum fundatorem facit D. Bernardus in vita S. Malachiæ) vidit in terris ea phlegmata, hoc est concretam pituitam, & exonerantis cerebri excrementa in aurum optimum verti, quòd illa apud Deum eo essent in pretio; quo apud homines aurum;

Quid videbit in Cœlis S. XAVERIUS? Videbit enimverò veneream illam luem tabemque, quam ore pleno, plenis exsuxit buccis, in uniones, in gemmas verti, è quibus pulchrè texatur corona gloriæ ac beatitatis.

Vidimus quî in seipsum egerit XAVERIUS, quî secum pugnarit, viceritque: attendamus modò quî alios aut invicto animi robore contempserit, aut superarit.

In Travancoridis Regnum (quod deinde Christo adjunxit) iter parabat XAVERIUS: at eundum erat per medios hostes, Barbaros illos, & nomini Christiano infensissimos; adeundum erat manifestum vitæ periculum: ivit, adivitque XAVERIUS.

Ad Manricam Insulam animum adjecerat: at illius incolæ feritate insignes, à quibus aut veneno, aut ferro percundum: & illud parum XAVERIO, pereamus; inquiebat, modò in Dei & animarum obsequiis; sic enim perire salvari est,

Transeundum erat in Japoniam, ultimam Orientis regionem, & quidem piratico lembo: & hoc etiam ire sustinuit securus periculorum, quæ ab amicis & plurima denunciabantur, & maxima.

Denique penetrandum erat in vastissimum illud Sinarum regnum, in quo externis omnibus ita præclusi

clusi aditus, ut nemini in illud insinuare se liceret sine capitis aut servitutis periculo: & hoc & illud contempsit XAVERIUS, certus eò tendere etiam cum jactura libertatis, aut vitæ.

Ecce *Vas electionis*; hoc est vas solidum ac firmum, quod nulli difficultati, nulli periculo, nulli malo, ne morti quidem cedere possit. Nimirum ostenderat illi Deus quanta eum oporteret pro nomine suo pati.

Utinam & ipsi simus aliquando Vasa electionis, Vasa solida & firma, in quæ si incursent mala, retundantur illa & repercutiantur; non autem testea, aut *vitrea, quæ modico tactu franguntur*, ne in nos cadat illud ingemiscentis Jeremiæ:

Thren. c. 4. *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli.*

Hîc è tabula manum subducere parabam, cùm secreto instinctu moveri me sentio, ut paucis ostendam, qui in Cœlis XAVERIUS, ut esset in Superum Regia inter vasa gloriæ.

Ubi in ipso Regni Sinensis quasi limine, in deserta Insula, abjectoque tuguriolo felicem emisit Animam, illi, ut par est credere, obviam venêre quotquot ipse cœlis priùs intulerat.

Hîc infantiles animulæ, quas aliquando è sacro Fonte, ad fontes, & abyssum beatitatis emiserat.

Hîc Viri grandævi, qui in suis olim sceleribus insenuerant, & ea deinde eluerant benè monente XAVERIO.

Hîc Gentiles & Barbari, Cœlis jam additi, piis ejusdem laboribus ac sudoribus, obviam processêre, & triumphali pompa ad Superûm usque Regiam evexêre.

Nimirum id obsequii suo quasi jure exigebat ea, quæ pro illis olim fuit XAVERIO cura laborque: & ipsa, quæ beatis in mentibus esse solet erga Salvatores suos gratitudo.

Certè si id officii datum aliquando etiam aliis; Quidni & XAVERIO concessum id temporis fuisse dicamus?

Cùm B. Seraphinus, Religiosus magni zeli, efflaret animam, Vir notæ tum sanctitatis, primùm vidit aperiri cœlestes valvas, & ex iis delabi beatarum Animarum sexaginta sex millia, quæ Animam B. Seraphini & comitarentur atque etiam efferrent in Cœli Regiam: tum etiam inter festiva gaudia, atque applausus has voces audiit.

P. S. Iure de cogn. Christ. l. 8. sect. 14. An non omninò æquum videtur, ut eum nos deducamus in Superûm domos, in sinum Beatitatis, in quem nos priùs ipse vigili cura; sacrisque Institutionibus deduxit.

Si hæc tum Cœli cives & accolæ; Quid B. XAVERIO è terris abeunti? Quid illius Animæ jam vinculis corporis solutæ?

Enimverò illi in occursum venêre quotquot ejus beneficio, opera, studioque adjuti Cœlum possidebant. Quot autem? Quo numero? Quo agmine? Conjiciat ille, qui audierit ab illo Baptismi fonte eluta esse duodecies centena Animarum millia, qui ex certa Scriptorum fide didicerit, decennio toto, quo in Indiis vixit, ultrò citroque commeando quà terra, quà mari confecisse centena & ampliùs milliarium millia, & hoc tantùm Animarum bono lucroque: quod certè tantum fuit, quantum fuisse necessum tot exantlatis laboribus, tot sudoribus, tot vigiliis, ac paternis curis.

Et hoc quidem ad S. XAVERII gloriam ac felicitatem omninò magnum atque illustre, quod ei in Cœlos abeunti tot occurrerint animarum millia, quot secundùm Deum illum agnoscebant Salvatorem: at majus illud atque illustrius, si dixero etiam illi obvium venisse totius generis humani Servatorem JESUM. Et verò quidni dixero?

Si enim verum illud quod S. Teresiæ fide & testimonio aliquando cognitum; etiam aliis de Societate Cœli Regiam subeuntibus obviam venire JESUM; Quidni & Xaverio?

Certè B. Teresia dum Cordubæ in Hispania degeret, à sacra Communione in Cœlum ac Deum mente sublata, vidit è Purgantibus flammis animas magno numero, & festiva gratulatione in Cœlum ferri ac recepi; quas ducebat una cæteris formosior, & hanc etiam unam præ omnibus JESUS-CHRISTUS inter Angelicarum mentium Ordines factus obviam suo dignabatur amplexu in signum benevolentiæ sempiternæ. *Imago prim. sæc. l. 5. c. 8.*

Hærebat Virgo Teresia, hinc suavissimo recreata spectaculo, indè avida nosce, ecquæ esset illa quasi Dux cæterarum Christoque acceptior. Dumque sic hæret, etiam ausa unam è posterioribus animabus interrogare; ex qua hæc audiit.

Dux noster est è Societate IESV frater unus: Nos Duci gratulamur, cujus virtuti ac precibus debemus quod hodie liberemur. Hæc illa.

Objerat videlicet eo ipso puncto temporis è Sociis unus isque Coadjutor Ecclesiæ nostræ Cordubensis ædituus per annos plus minus triginta. Vir ut cætera continens, ita vel maximè oculorum; qui quadringentas & ampliùs Virgines ad nos Sacramentorum causâ ventitare solitas, distinguebat omnes audita voce; sed nullam penitus earundem de facie noverat.

Et hic aliarum Animarum Dux fuit, & illi (pro infinita suæ Bonitatis inclinatione) etiam obvius JESUS. Quod si illi, quidni & XAVERIO, quem sibi primùm in Religiosum Societatis suæ adlegerat, tum etiam in Orientis, in Indiarum & Japoniæ Apostolum, denique in Vas electionis, ut portaret nomen suum coram Gentibus & Regibus: quod ubi indefessus portavit, quid aliud expectes, nisi ut in Divorum adita deportetur obviis Animabus, quas Cœlo peperit; obvio etiam Christo, cujus nomen magna Orbis parte circumtulit.



IN FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.



Dies omnes magnæ Matri, magnæ Virgini festivos jam inde ab incunabulis complexa minima nostra Societas ut sibi singulari quadam ratione cultuque festivos habuit.

Ac primò quidem & maximè Immaculatam Conceptionem venerata est cùm Romæ primas Theses Theologicas, vivente adhuc Ignatio proposuit, in quibus princeps quæstio Immaculatam Conceptionem asserebat.

Imago prim. Sec. l. 1. c. 5. Deinde cùm legem tulit, ne quis ab hac unquam sententia discederet, cui scilicet tuendæ, Societatem quoque institutam se divinitus cognovisse sæpè testatus est Alphonsus Rodriguez Coadjutor notæ apud nos sanctitatis.

Tum etiam cùm pro hac astruenda per tres horas in Concilio Tridentino peroravit R. P. Iacobus Lainius, ea vi, eo successu, ut sacra Synodus, quæ ab ore dicentis admirabunda pependerat; illo decreto, quo totam Adami progeniem peccati Originalis ream pronuntiat, purissimam Dei Matrem, se non comprehendere, authoritate sua scriptóque consignatum reliquerit.

Lib. 6 c. 3. Denique cùm Mechliniæ sacellum elegans Virgini sine macula Conceptæ ædificavit dicavitque; quod quidem primum in Belgio fuit.

Natalem Divæ Virginis celebriorem fecit B. Franciscus Borgia, cum eo die in aula Regis Lusitaniæ suffragia virtutibus Virginis inscripta Aulicis distribuit; quibus ita placuit ea pietatis solertia, ut in consuetudinem deinde sit versa.

Præsentationem de festorum numero propè sublatam retinuit P. Franciscus Turrianus, cùm Sum. Pontif. quà voce, quà scriptis ad eam retinendam permovit. Nec sine præmio fuit ea Viri pietas: postmodum enim Deiparæ beneficio Cœlo transcriptus eo die, quem ipse defenderat.

Annuntiationem consecravit Ignatius, cùm in ejus pervigilo arma sua ad Divæ Matris Aram in Serrato-monte appendit ex tunc novum militiæ genus auspicatus.

Purificationem autem, cùm ut olim Simeon, puellulum IESVM, dulce Matris pondus, ab eadem accepit & ulnis gestavit.

Visitationem, cum Lainium & Borgiam, duo Societatis IESV lumina (hunc sanctitatis, illum doctrinæ) ad Generalis officium ac dignitatem eo ipso die, non sine Numine, ascivit.

Assumptionem denique, cum Ignatius & Socii Parisiis in monte Martyrum prima Deo vota nuncuparunt: quem diem Societatis festum appellabat Bobadilla, & Societas ipsa quasi natalem deinde habuit.

Ecce ut dies omnes Divæ Matri sacros, vel sibi festos fecit Societas, vel ipsa Societati.

Ut Majorum meorum aut vestigiis insistam, aut mandatis paream; pro mea tenuitate paucula in medium adducam, & quidem ex Evangelio petita, in quo cùm (ex nonnullorum Patrum calculo) Deipara *Liber* dicatur, ei aliqua inscribam emblemata, quæ *Immaculatam* ejus *Conceptionem*, vel exhibeant oculis, vel etiam animis probent. Sit itaque

QUÆ-

QUÆSTIO UNICA MORALIS.

Ad illa verba: *Liber generationis IESV-CHRISTI.* Matth. cap. 1. verſ. 1.

SITNE MARIA VIRGO LIBER? Et Qualis?



CCLESIA pro indita ſibi à Deo luce, primùm in feſto Conceptæ Virginis, ac deinde etiam Natæ proponit Evangelium D. Matthæi, in cujus fronte occurrit illud: *Liber generationis IESV-CHRISTI.* Quæ cauſa?

An fortè ut verbulo innuat B. Virginem Librum eſſe, quem omnes præ manibus habere, quemque evoluere debeant accuratiùs?

Non autim illud aſtruere, niſi ad eam appellationem eò me, quaſi manu, ducerent SS. Patres ac Doctores, & ipſa quoque ratio invitaret.

Maria Liber eſt. Certè Sanctiſſima Virgo Liber dicitur à Gregorio Nicomedienſi de obitu Virginis. A Cretenſi Sermone ſecundo de Aſſumptione. A D. Damaſceno Sermone primo de Nativitate Virginis; & Oratione ſecunda de Virgine in Cœlos Aſſumpta, in qua de Virgine ſic ait:

Novus liber eſt, in quo inenarrabiliter Deus Verbum citra omnem manus operam inſcriptus eſt.

Authoritati ſuffragatur ipſa ratio: ſi enim Divis Antonio & Bernardo hic mundus quantus quantus is eſt, Liber eſt: Quidni & homo, qui parvus mundus eſt, Liber quoque ſit? Quod ſi homo Liber eſt, quidni & Virgo?

Mundum autem hunc aſpectabilem Librum eſſe, liquet ex illo D. Bernardi, qui ſic de illo:

Serm. in Pſal. 24. *Eſt velut communis quidam liber ſenſibilis mundus iſte, ut in eo ſapientiam Dei legat quicumque voluerit.*

Et Diva Virgo Liber eſt, non communis, non vulgaris ille, non etiam mole & magnitudine viſendus; ſed planè ſingularis & arcanorum ac myſteriorum, quæ in eo continentur mirabilitate ſpectandus atque laudandus, & quavis bibliotheca copioſior & locupletior: quod priùs quàm expendamus, videndum erit illius *Virginei Libri* quis Author? Tum quæ materia? Quæ forma? Tum etiam quæ in eo, ceu patenti ac nuda tabella appinxerit Dei, ceu Pictoris Divini manus?

Author Virginei Libri

DEVS ter Opt. ter Max.

Author illius. HOmines inter, qui laborum ſuorum monumenta, & Doctrinæ placita in poſteros emittere volunt, non levi manu id faciunt, nec quidquid in calamum venit, id effundunt, & publico donant; ſed meditatè & per otium, opus, quod prælo parant, moliuntur; ut oleat ſera lucernas, & corroſos ſapiat ungues, & ſæpius ſudet in menſes & annos. Quod ſi quid ſubitò elabatur è manibus, & lucem immaturè videat; vix ut ſuum fœtum agnoſcunt.

Suetonius in ejus vita. Octavius Auguſtus plurima volumina partim ſoluta, partim ſuis numeris illigata oratione edidiſſe ſcribitur. Quædam tempore balnei quaſi per jocum meditata: Quædam curſim, & tumultuatio opere abſoluta: & hæc non magni fecit, imò & abolevit, fortè quod in iis ingenii ſui fœtum agnoſcere puderet: Unum ut ſuum agnovit, amavitque ut primum ac princeps opus, in quo res à ſe præclarè geſtas tredecim libris complexus eſt.

Si licèt exiguis rebus componere magna, dicam Deum ter Opt. ter Max. Authorem rerum omnium ſimile quippiam feciſſe.

Hujus Univerſi molem ceu Librum, & magnum quoddam volumen edidit, arte quidem magna, ſapientiáque Divina; ſed quaſi ludens, & labore propè nullo; ut enim moliretur illud & abſolveret, digitum dumtaxat explicuit, & diebus ſex opus omne mundi perfecit; & hoc quidem, ut ait Sapiens: *Ludens in Orbe terrarum.* Ita illi Orbem edere, ludere fuit. Prov. c. 8. v. 31.

At non ſic Virginem MARIAM: fuit illa (ut annotat D. Bonaventura) antonomaſticè *Opus Domini.* Non qualecumque, non digitorum, uti alia; ſed manus, ſed brachii: dum enim MARIAM fecit, *fecit & potentiam in brachio ſuo;* ut ipſamet deinde cecinit. In ſpec. c. 7. Luc. c. 1.

Fecit inquam, non paucis diebus, ſed totis ſæculis: ut enim elatè & verè D. Bernardus: MARIA fuit *negotium omnium ſæculorum.* Serm. 2. de Pent.

Quot enim ab Orbe condito lapſa ſunt ſæcula antequam in lucem veniret illa, tot eidem aliquando edendæ impenſa ſunt, ut ex vero diceretur & eſſet negotium omnium iſtorum ſæculorum.

Et inde Beatiſſima Virgo ab Anonymo dicta eſt *Sæculorum panegyris, & temporum felicitas:* & meritò; quia ab illa laudata primùm ſunt ſæcula; imò laus fuit ſæculorum, quæ prius erant in vituperio.

Fuit & *temporum felicitas;* quia ante illam infelicia erant tempora, ut quæ nihil ferrent quod Cœlo inferretur & beatitati, nihil quod pacem ſpiraret & quietem; ſed omnia ad bellum ac tumultus nata. At ubi concepta fuit illa, ſimul & concepta ſpes felicitatis, pacis, ac quietis æternæ.

Et hinc à B. Joanne Geometra dicitur MARIA *Gremium & ſinus ævi;* in quo ſcilicet ævum omne, omnia ſæcula conquieſcant; nec conquieſcant tantùm, ſed & recondita videant quidquid unquam ſæculis aliis abſtruſum ac reconditum. In Sym. 3.

Idcóque à Sophronio dicitur Virgo MARIA, *Cunctis ſæculis Sacramentum.* Imò, quod amplius eſt, ab Heſichio In Encomio Virg.

Complementum Trinitatis, quia per illam completur aliquando augebiturque SS. Trinitas. Audax omninò effatū (ſed Heſichii) quod paucis ſic evolvit. Orat. de Deip.

Primum enim completur augeturque Paternitas Patris; quia per MARIAM is, qui ſolius Dei Pater erat, jam eſt Pater naturalis hominis.

Completur augeturque Filius, quia antè ſolùm Deus; jam per MARIAM Deus-homo.

Denique completur augeturque Spiritus ſanctus; quia is, qui procedebat à Deo ſolo, jam per MARIÆ partum procedit à Deo homine.

Hæc ille, quæ tamen accommodè ad myſterium intelligi debent: & ideo à me dicta ſunt, ut nulli mirum videatur, ſi MARIÆ, ceu Virginei Libri, Author dicatur & ſit Deus, longè alia ratione quàm aliorum author & conditor eſt; ut etiam patebit ex iis, quæ ſubjiciemus.

Materia

Materia Virginei Libri Corpus.

Quomodo luci datum?

IN hac quæstione id statuo, quod extra controversiam est, editum supra Naturæ leges, adeòque miraculo; nec tam Joachimi & Annæ partum fuisse quàm orationis, quàm Dei, è Matre scilicet eò usque sterili, & Patre grandævo, qui cùm vidissent se prole destitui, & amabili illo conjugii nexu fructûque privari, ad Deum, ceu Parentem communem, recurrère.

Et quidem Joachimus in montem secessit, ibique & jejuniis & precibus per dies omninò quadraginta vacavit: quod & fecit Anna in horto, paribus jejuniis & orationibus intenta.

Supplices Cœlum audiit, audiit & annuit Deus, atque è Superûm Regia nuntium demisit, qui Joachimo & Annæ prolem sponderet. Is fuit Archangelus Gabriel. Ita S. Germanus in Encomio Virginis, S. Epiphanius de laudibus Deiparæ, aliique.

Igitur ex Joachimo concepit Anna, uterumque gestare cœpit, & in eo Virgunculam, mole quidem Corporis exiguam, at ingentem Animi magnitudine.

De hoc & illo pauca. Hæ enim sunt Libri nostri partes, de quibus sua quæstio, quomodo & qua ratione editæ?

Ac primò quidem *Corpus*. Ubi à Viro imprægnata fuerit mulier, paulatim & aliquo temporis lapsu ita formatur fœtus, ut primùm vivat vita plantæ; hoc est augeatur & crescat: deìn vita animalis ac sensitiva, à qua habet, quod sentiat: denique vita hominis, hoc est anima rationali, à qua demùm informatur.

An autem ille ipse fœtus priùs informatus fuerit Anima Plantæ, tum Animalis, tum denique Hominis, sicut successivè in eo fuerint tres Animæ; apud Philosophos ac Medicos in quæstione est, eâque adhuc sub judice; sunt qui affirment, sunt qui negent. Ego in præsentia nihil statuo, quia nihil ad meum institutum. Ad hoc duntaxat illud erit.

An D. Virginis corpusculum cæterorum more modoque in matris utero formatum; hoc est pauiatim, & consueto in aliis dierum cursu lapsuque. In maribus enim antequam perfecta sit corpusculi fabrica, adeòque Anima Rationali donetur, labuntur dies quadraginta: in fœminis, ut minimùm octoginta.

An sic in Virgine? Tres sunt super ea re opiniones:

Prima vult sensim, & dierum octoginta spatio, effictum ac perfectum Virginis corpus; ut scilicet in ejus formatione nihil fit singulare, nihil abhorrens à communi in eo naturæ lege.

Secunda credit post sex à conceptione horas & formatum penitus, & Anima Rationali probè instructum. Ita censuit B. Amedeus Ordinis Minorum, Libro edito Revelationum, quarum una habet horis pauculis exactis Virginem & perfectissimo corpore & anima donatam. *In chron. Min. l. 6. c. 30.*

Tertia contendit Virgineum corpus ex consueta quidem materia viaque generatum: Conceptum tamen, formatum perfectumque, & Anima Rationali instructum unico instanti; uti deinde in Virgine sacrum Christi Corpus. Ita Philippus Malla Doctor Parisiensis publicè evulgavit Anno 1488. Jacobus Granadus Libro de Conceptione Virginis. Posa Libro 3. Tractatu 2. Capite 4. pagina 867.

Nituntur hi Authores aliis atque aliis rationibus: è quibus

Prima est à pari: ex hoc enim, quod Ecclesia solemni ritu, festoque celebret Incarnationem Domini vigesima quinta Martii, conficimus in Virginis utero & perfectè organisatum Christi Corpus, & Anima Rationali donatum: nec enim de informi Corpore, nec de Anima vacuo, festus ac solemnis dies foret indicendus: Si enim esset ejusmodi, quid coleret Ecclesia? Et illud in aperto videtur esse; igitur etiam hoc.

Cùm eadem Ecclesia Deo plena, plena Spiritu Sancto Immaculatam Virginis Conceptionem recolat, celebretque octavo die Decembris, rectè conficitur eodem & absolutè formatum corpus, & illi infusam Animam Rationalem: Quodsi eo die, igitur & primo Conceptionis, cùm Nativitas deinde celebratur octavo Septembris, id est à Conceptione mensibus omninò novem.

Confirmari potest hæc ratiocinatio. Ecclesia, quæ est Columna ac firmamentum Veritatis, in designanda die publicæ solemnitatis nec videtur errare debere, imò nec posse, nec etiam ipsi festivitati injuriam aliquam irrogare, aut notam inurere; quod tamen factura videretur, si ea ipsa luce Conceptæ Virginis sacra, nec formatum esset illi Corpus, nec Anima instructum; sed massa quædam fluida, informis, necdum coagulata, necdum animata, verbo uno (ut loquuntur Philosophi ac Medici) *Embrio*, quem honore & reverentia dignum quis censeat, cùm & Anima Rationali orbum esse constet, & ex consequenti incapacem omnis gratiæ ac sanctitatis, adeòque etiam religiosi cultus.

Altera ratio ducitur ex quadam revelatione olim facta à D. Nicolao, cujus meminit Baronius in Martyrologio, & Dionysius Carthusianus. *Serm. 1. in fest. Concept.*

Anno Domini 1070 Helsinus Abbas Rhemensis cùm esset in aperto naufragii periculo, furentibus undique ventis, irato mari, subsidente jam navi, Divæ Virginis opem supplex implorat. Supplicem audit illa, & è Cœli Regia D. Nicolaum demittit, qui postquam tempestatem sedavit, compescuit maria, & in tuto navim posuit; seriò indicit, imponitque illud oneris, ut diem anniversariam Conceptæ olim Virginis sacram ac solemnem quot annis recolant. Quærit Abbas: Quæ sit illa dies? Et audit à S. Præsule octavam esse Decembris, quo scilicet Concepta. Et hoc è Cœli Regia oraculum, quo constat de die Conceptionis, & mandatum, quo de illius cultu.

Jam quæro, quis ille cultus? Utique respondebis duliæ, imò hyperduliæ. Sed quod illius objectum? Quis terminus? Audio, dices, Virginis Conceptæ; Igitur & Virginis, quæ à gratia divea & caritate, quæ aliis virtutum ornamentis illustris, verbo uno, quæ longè perfectissima, longè sanctissima. Igitur etiam quæ animata, & quidem Anima rationali, quæ unà capax est gratiæ ac sanctitatis; Igitur etiam cui tum esset corpusculum obsolutè organisatum: nec enim sine illo organorum apparatu, & membrorum conformatione donatur Anima. Igitur à primo ad ultimum ipso Conceptionis die MARIA Virgo & corpus habuit perfectum, & Animam infusam, & gratiam ac sanctitatem. Et quidem primo instanti, ne in cultu illius aut error sit, aut incertitudo si vel tantum horarum aliquot spatium intercederet.

At cur, inquies primo instanti? Respondet Posa, Ne peccato originali inficeretur. *L. 3. Tract. 4. c. 21.*

Alii, ut etiam in hoc cum Christo, cum Filio conveniret, cujus scilicet corpusculum primo instanti perfectissimum, instructum Anima & magna illa mente & gratia hypostaticæ Unionis, adeòque & omni sanctitate.

Alii, ut in primo vitæ ac Conceptionis limine, quasi in vestibulo ostenderet summus ille Architectus, quæ & quanta futura esset illius fabrica, quàm sublimis, quàm omni ex parte spectabilis, ubi corpus quod quasi atrium est ac primum vitæ limen,

limen, ita derepentè atque in instanti perfectum, contrà quam in aliis assolet.

Sicut enim Viri Princeps & Magnates in ædificiorum suorum vestibulis ac propyleis illustria nomina sua, sua arma ac titulos exhibent atque ostendunt; sunt enim vestibula quasi primæ imagines Majestatis: Sic & Deus supremus Artifex in corpore Virginis, ceu vestibulo quodam, potentiam suam, gloriam ac majestatem ostendere voluit, dum illud vel unico momento absolvit.

Et hæc de modo quo effictum ac formatum Virginis corpus, domicilium utique magnæ mentis. Et illud quidem à Deo, ut Authore primo ac principe; à quo secundus fuit *Ioachim* (id est *Praparatio Domini*: felici omine, ut qui Virginem, futurum aliquando templum Domini, præpararet) & *Anna*, hoc est *Gratia*, fortunato nomine eam editura, quæ & gratia plena esset, & *Maria*, id est Universi Domina.

Epiphan. Orat. de Laud. Virg.

At quo modo editura? An eo, quo infantes cæteri? Minimè gentium. Alii enim concipiuntur cum aliquâ concupiscentiæ flamma; sed MARIA cum ardore divinæ Charitatis.

Quod deinde ipsa Virgo D. Brigittæ in excessu mentis apertum esse voluit. Sic enim aliquando ad illam.

Lib. 1, Revel. c. 9.

Ioachimus & Anna ex Charitate Divina, & ex verbo Angeli convenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis; sed contra suam voluptatem ex Divina dilectione, & sic ex semine eorum per Divinam Charitatem caro mea compaginata est.

Hæc D. Virgo, ex cujus cœlesti effato expende accuratiùs quod iterum iterúmque repetitum voluit; nimirum *ex Charitate Divina convenisse. Contrà suam voluptatem ex Divina dilectione;* & denique, quod ex his est consequens, *per Divinam Charitatem* Virginis carnem esse compaginatam.

O novam, ô puram, ô cœlestem, ô Divinam compagem Virginei corporis! tale nempè sibi debuit metari hospitium, qui illi infundendus erat purissimus Animus.

Talis debuit esse conceptus Virginis; talis & partus, qui potiùs spiritui, quàm carni tribueretur; qui charitati, non concupiscentiæ ascriberetur. In quem caderet potiori jure quod in Elizabethæ partum, de quo sic magnificè D. Chrysologus:

Serm. 91.

Partus, non ablatus; sed dilatus donec transiret tempus carnis, passio corporis, conjugii necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quod humanam confundit, gravat, onerat conscientiam Qui enim oneraret? Cùm *non libidinis quod nascitur, sed Divini muneris cognoscatur*, ut disertè S. Hieronymus.

De Nativit.

Ex hoc porrò cœlesti munere, purissimaque Virginis Conceptione conficit Petrus Galatinus immunem fuisse à macula peccati originalis. Sic enim inquit:

Lib. 7. c. 8.

Fateor S. Ioachim & S. Annam sese conjugaliter copulasse, ob ardentem tamen devotionem, vehementemq; contemplationem, qua unanimiter in generationem Beatissimæ Virginis intenti ambo tenebantur; fomes in illo actu penitus extinctus fuit, quare peccatum originale in Conceptione Immaculatæ Virginis locum nullum habuit.

Hæc ille, cujus ratio etsi minus probabitur, faciet tamen ut omninò congruum, & Parentum puritati, & Divinæ bonitati conveniens suisse judicetur, ut à peccato etiam originali libera foret ejus Conceptio, cujus origo prima nec concupiscentia, nec sensus voluptatis; sed prona quædam in Deum, ardensque devotio, Divina Charitas, & altissima Divinorum contemplatio; à qua quid expectes nisi fœtum longè purissimum.

Et hæc de modo, quo editus est Virgineus ille Liber: prosequamur & videamus

Quando, & Vbi editum Virgineum Corpus?

De Anno, quo edita est MARIA, nihil in præsentia attingam: quia cùm inter Authores non constet de mundi hujus ætatibus, & quot à prima illius molitione ad Virginem usque fluxerint; nec etiam constare potest, quo anno concepta: Itaque malo altùm silere, quàm incerti aliquid effundere. Certiora sectari est animus; & quidem

Primò *de Mense*: is Hebræis fuit *decimus*, in quo scilicet cessavit ac recessit immensa illa aquarum eluvies, quæ terram mersetat, & quo, post immane illud & hominum & jumentorum naufragium, montium cacumina apparuerunt. Non sine Numine secretóque Dei consilio, quod portenderet, à Virgine concepta cessare debere antiquum illud diluvium, quo in Adamo, & per Adamum damnata, imò obruta posteritas, & primùm apparere quasi cacumina montium, & pacis per JESUM aliquando futuræ veluti prima capita.

Is porrò mensis Hebræis appellabatur *Thebet*, id est (ut explicat Lyranus) *Bona*, vel *Bonitas*: ut ipsa mensis ac temporis circumstantia ostenderet nihil in MARIA esse nisi bonum: quid enim aliud esset in ea, quæ summum bonum aliquando erat paritura? Et hæc de mense.

De die etiam pauca: fuit hic is, qui nobis dicitur *Veneris*, quo etiam in prima Universi conditione è terra Virgine plasmatus Adam: quo deinde post longa sæcula mœstosque soles conceptus Christus secundus Adam, quo etiam crucifixus ac mortuus progenere nostro victima. Dies fortunata, dies albo notanda lapillo. Et ista de die.

De loco si quæris? Is fuit Nazarethum, oppidum quidem apud mortales humile, apud immortales autem nominatum, & vel ipsa nominis etymologia amœnum ac floridum. *Nazareth* enim idem est ac *Florida*. Hîc Virgini natalis locus, hîc Joachimi & Annæ domicilium: ubi enim potius, quàm in Florido? è quo concipi, è quo nasci debuit flos candidæ Virginitatis MARIA; è qua deinde & ipse Christus, qui ut ait S. Zeno, *Libens requiescit in florentissimo domicilio castitatis*; & ita requievit in Virginis utero, tanquam florentissimo domicilio castitatis: à quo transeo ad illius formam, & quæro.

Serm. 5. de Nat.

Forma Virginei Libri
Anima
Sacro Corpori infusa:

SI ex Aristotele quæsiero, Quid sit Anima? Respondebit: Est *Actus corporis organici*, qui nimirum illud *actuat*, illud perficit. Anima est, quæ dat corpori formam, quæ motum artubus, sensum corpori, actionibus valorem, vitam denique ac fœlicitatem; sine qua corpus informe, immobile, insensibile, telluris inutile pondus.

Quid sit Anima?

Si ex Davide petiero, Quid sit Anima? Dicet: Est *gloria* corporis, sine qua hoc inglorium abjectúmque.

Psal. 107.

Si ex D. Paulo: adjiciet pretiosum illud: Esse *thesaurum in vasis fictilibus*; videlicet in luteo corpore, in carne rumpi facili, in qua reconditur ut in vase latens ac pretiosus thesaurus.

2. Cor. c. 4. v. 7.

Si ex Tertulliano: pronuntiabit augustum illud: Anima est *Lumen vultus Dei* in ea signatum atque expressum, vel *Lumen personæ Divinæ*, & veluti potens quædam irradiatio magni illius Opificis, & arcanæ virtutis effusio, qua se creaturæ communicat, & effigiem gloriosam, & quasi divinam impartitur.

Lib. contra Marc. c. 11.

Si ex Theologis; efferent notum illud in Scholis: *Anima est imago & similitudo Dei. Imago* quidem quod ad natu-

ad naturam spectat. *Similitudo* autem quod ad divinos mores, quos in se exprimit.

Lib. 6. Hexam. c. 8. Si ex D. Ambrosio interrogavero. Quid sit *Anima?* Addet illud sibi olim familiare: Est *Pictura*; tum suggeret monitum illud breve. *Noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate; non cera expressam, sed gratia.*

Quod si ex Authorum fide ac placitis, id est cujusvis hominis Anima; & illud multò magis Anima Virginis.

Quid Anima Virginis? Est *Actus*, est *Forma* Virginei corporis.

Est *Gloria* purissimæ illius carnis.

Est *Pretiosus Thesaurus*, reconditus & abstrusus divina manu, in corpore ceu vase; & quidem à natura fragili, sed à gratia firmo & solido.

Est *Lumen vultus Dei*: Est expressa *Dei Imago*, si naturam solam attendas; at si gratiam, est perfectissima illius *similitudo*: Deum enim apprimè refert, sicuti imago prototypum.

Amb suprà. Denique est *Pictura*, quæ *bonum habet artificem atque pictorem.* Nempè Deum ipsum.

In hac, mentis & intelligentiæ oculum mecum defige, Amice Lector, & sedulò contemplare quid in ea pinxerit, quibusve coloribus animarit. Sub illis leges magnarum virtutum decora atque ornamenta.

Primum quod in Virginis Anima, ceu nuda tabella, Dei, seu peritissimi Artificis, seu divini Pictoris manus effinxit, fuit *Hortus*, isque *conclusus*, in cujus medio pascebatur Agnus. Circum hortum visebatur sepimentum quasi orbiculare, forte, munitum; ad quod accedere videbantur efferæ ac truculentæ animalium species: hinc serpens ore patulo, venenóque timendus; hinc lupus rapax; inde immanis ursus, & ignem spirans Leo ac jubas excutiens. Adjecta erat hæc Epigraphe: *Uni patet Agno.*

Quid in hac Dei manu pictum?

Et hæc imago Picturæ bellè expressa: quid oculis objiciat, paucis accipe.

Hortus ille probè *conclusus*, MARIA Virgo: Agnus, qui in illo læta decerpit pascua, est Deus-homo, Verbum Incarnatum, Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.

Sepimentum illud undequaque circumductum, est Divina protectio, quæ Virginem, ceu hortum circumdedit, sepivit munivitque, ne quis in eam pateret ingressus.

Serpens, qui ad hortum adreptat, est *malus dæmon*, qui venenum Originalis culpæ infundere nititur; sed frustrà; quia arcetur à sepimento, id est peculiari Dei protectione. *Lupus, Ursus, Leo*, referunt alia atque alia *peccata actualia*, quæ nec in hortum, hoc est in Virginem, unquam admissa.

I. Symbolum.

Adjecta hæc epigraphe: *Uni patet Agno*; legendum exhibet illud, quod in Virginem nulli patuit ingressus, præterquam *Uni Agno*; hoc est Verbo Divino, Deo-homini.

Hunc hortum ut suum spectavit olim Sponsus, id est Dei Filius, dum sic ad Sponsam, hoc est Virginē.

Cant. c. 5. v. 1. *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham cum aromatibus meis.*

Honorius hic. *Veni*, inquam, *in te hortum meum carnem de te assumendo; messui myrrham mea passione Martyres colligendo, cum aromatibus meis*, id est *meis Confessoribus.*

Hæc Sponsus Sponsæ jam inde à prima illius Conceptione, quæ ideò pura, ideò immaculata, quia jam eam sibi designarat ut hortum suum, in quo pasceretur ut Agnellus solet.

Et hæc primæ picturæ species, secundam animo specta & demirare.

Erit illa *Lilium candicans inter spinas*, & quidem horridas illas, & multu cruore rubentes. Ad Lilii modicè assurgentis culmen appendebit hæc inscriptio: *Pascitur inter Lilia.* Emblema vidisti: quid innuat attende.

Cant. c. 2. v. 16.

Lilium est Virgo: magna enim Lilii & Virginis cognatio; imò tanta, ut Hebræi Syrique Sapientes, uno eodémque nomine & *Lilium* & *Virginem* significarint.

Bethulis enim id est Virgo, & *Bethulut* Syriacè idem est quod Lilium. II. Symbolum.

Spinæ illæ horridæ & cruentæ, sunt hominum cæterorum animæ, à noxa originali horridæ & cruentæ, quas inter sola Virgo, ut *Lilium inter spinas*, illæsum illud intactumque, & suo candore spectabile, & mirum quantum mortalibus immortalibusque amabile.

Qui pascitur inter Lilia, Agnus est, Verbum est, Dei Filius est, Deus-homo, qui, quia *pascitur inter Lilia*, hoc est inter animas à gratia candidas, & quia sic pasci debuit aliquando in Virgine, eam à peccato originali cruentari non est passus.

Qui enim pateretur, qui spinas, id est peccata odit, horret, fugit; & amat *Lilia*, hoc est illibatam, & immaculatam animam, qualis vel in ipsa Conceptione fuit Virgo, quæ Sponso suo non Lilium unicum exhibuit; sed, ut annotat Richardus à S. Laurentio, *Lilia* id est *duplicem Virginitatem, scilicet mentis & corporis.* *Lib. 8. de Laud. Virg.*

Corporis quidem, quod à Parentibus illibatum accepit sine ullo concupiscentiæ ac voluptatis sensu, ut priùs ostendi.

Mentis autem, quæ in ipso Conceptionis instanti gratiam admisit, qua candida tota, nunquam fusca, nunquam denigrata.

Et hæc fuit altera imago à Deo ceu Pictore in Virginis Anima, ceu Pictura, elegantèr expressa, nec alio imbuta colore, quàm cœlesti. Aliam accipe atque intentis animi oculis usurpa. III. Symbolum.

Dabit alia tibi *Speculum*, amplum illud, tersum, mundum, pellucidum; cui appensa erit ista epigraphe: *Sine macula.*

Est *Speculum* oculus artis, sicut oculus speculum naturæ: in hoc & illo teipse videas, imò & alia; speculum enim fideliter reddit atque exhibet objectas sibi formas atque imagines, si tamen mundum sit ac tersum; secùs si immundum, si etiam vel levi tantùm anhelitu obscuratum atque infectum; multóque magis si maculâ aliquâ deturpatum.

Et Virgo *Speculum* est; & quidem speculum Divinitatis, *Conformatum*, ut ait S. Gregorius Nyssenus, *primariæ & exemplari pulchritudini*, id est Deo. *Hom 4. in Cant.*

Speculum est, & quidem *sine macula* ullius peccati, quam nec infecit, nec devenustavit, nec obscuravit etiam vel levis serpentis, id est peccati originalis, anhelitus. Qui enim infecisset eam Virginem, in qua Deus velut in speculo seipse intueri, seipse reddere debuit atque exprimere?

Speculum fuit MARIA jam inde à primo vitæ limine expositum Soli; Soli, inquam, Justitiæ, cujus radios vel in ipso ortu dum excipit; illuminatur, accenditur ardetque tota: nec sibi tantùm illuminatur, accenditur ardetque igne Divini Amoris; sed & alia quoque eadem luce, eodem æstu corripit atque incendit, ut disertè de illa Bernardus de Busto, cultor Virginis eximius. *Parte 9. Serm. 2.*

Et hæc de illa specie: aliam amas? Aliam tibi effinget eadem Dei, ceu Pictoris Divini, manus ac penicillus.

Erit hæc *Stella matutina in medio nebulæ, quæ* (ut ait B. Petrus Damianus) *in Cœli cardine, summo splendore coruscans, Orbem subditum splendidioribus radiis incolorat.* Explicabit illa ostendetque in amœna luce hanc epigraphen: *Sol in aspectu meo semper.* *Serm 40. de Virg.*

Stella illa Virgo est, *quam sequitur*, imò *de qua nascitur Sol Iustitiæ.* Prævivit illa quidem, ut Solem aurora; at Solem in conspectu suo semper habuit, & aurea illius luce perfusa, nullam unquam caliginem, nullas peccati tenebras est passa.

Qui

IV. Symbolum. Quî enim pateretur, cui Sol semper est in conspectu? Ideóque etsi sit *in medio nebulæ*, hoc est quasi media Virgines inter & filias; nescit tamen quid sit caligo nebulæ, quid obscuritas, multoque minus quid alta nox. Qui enim noctem sciret Aurora, quæ noctem pellere venit, Solemque ac diem reducere?

Er hæc sunt Immaculatæ Conceptionis symbola, quæ summus Artifex & Pictor Deus in Virginis Anima, ceu Pictura elaboravit; & hoc quidem ut primùm oculis nostris subjiceret, deinde etiam & mentibus: prius enim illis subjici oportet, deinde & his; quippe *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, ut rectè Philosophus.

Ad hæc symbola accedit ipsa ratio, quam fulsit SS. Patrum authoritas. Illam è triplici capite ducam.

Nimirum quod jam inde à prima origine & Patris Æterni hospitium fuerit, & Spiritus Sancti umbraculum, & Filio jam paratus lectulus.

Has rationes omnes brevi compendio sic complexus est Hesychius Jerosolymitanus:

Orat. 2. de Deipara. *Quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni sorde liberum conservasti, & Pater hospitatur apud te, & Spiritus Sanctus obumbrat, & assumpta carne Unigenitus ex te nascitur.*

Virginem appellat primò, veluti quoddam Dei *Templum*, & quidem *incorruptum*: non fuisset autem incorruptum si peccati originalis macula infectum: hæc enim est summa corruptio.

Secundò, vocat *Tabernaculum ab omni sorde liberum*, igitur etiam à sorde originalis culpæ: si enim ab hac nun esset liberum, certè non esset ab omni, ut liquet.

At quia sic liberum fuit: Hinc primo *apud* illud & in illo *hospitatus Æternus Pater*. Fuit ergo, fuit Virgo Patris Æterni hospitium, in quod proinde alienus hospes, idest dæmon, per peccatum nunquam intravit. *Nec enim decebat ut præparatum Æterno Regi hospitium alienus hospes intraret*, ut pulchrè Ansbertus.

Deinde augustum illud Dei *Templum* ac *Tabernaculum Spiritus Sanctus obumbravit*: non obumbrasset autem, si stygiis umbris obnoxia, & malè tecta atque obruta aliquando fuisset: nec enim convenire unquam possunt, & maligna peccati umbra, & benigna Spiritus Sancti obumbratio.

Denique Virgo Lectulus fuit jam inde à prima Conceptione Æterni Patris Filio paratus; igitur & mundus totus, imò & floridus.

Et hoc est, quod ipsa quondam in amoris sui cantico, dum sic ut Sponsa ad cœlestem Sponsum:

Cant. c. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus.*

Lectulus noster, inquit Galatinus, *hoc est conceptio nostra est florida & odorifera absque peccati corruptione*. Et quia talis est, hinc etiam Sponsæ suæ, id est Virgini cœlestis Sponsus, hoc reddit seu amoris, seu laudis canticum:

Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es. At cur gemina illa pulchritudine? Quia scilicet & pulchra ac pura in conceptione, & pulchra ac pura in omni vita, ut explicat ille ipse Petrus Galatinus.

Hanc puritatem Bernardus de Busto, Virginis amantior explicat alia atque alia similitudine. Ita enim inquit: *Sicut ignis nunquam fuit sine calore, nec aqua aliquando fuit sine humore; ita Beata Dei Genitrix nunquam fuit sine innocentia & puritate.* Quod si nunquam, consequens est ut neque in Conceptione.

Et pro hac veritate astruenda conspirant SS. Patres: è multis paucos in medium adduco.

S. Gregorius ævi sui miraculum, & cui à miraculis Thaumaturgi nomen, opinatur ad Virginem missum è Cœlis Angelum; quòd ut hic longè purissimus, sic esset etiam illa:

Missus est, inquit, *ferrus incorporeus ad Virginem inviolatam: missus est à peccato liber, ad corruptionis, seu labis expertem*: at non esset expers corruptionis & labis, si notata labe luéque originalis culpæ.

R. P. Lebbetii Quæst. in Evang. Tom. III.

S. Hildefonsus, & ipse cultor Virginis eximius, disertè asserit Virginem liberam fuisse à communi illa maledictione, quæ ab Eva in posteros omnes est derivata; adeóque & ab originali culpa: hæc enim est illa maledictio.

Quia, inquit, *tristitiis non subjacuit & ærumnis, libera ab omni maledictionis nodo fuit; quam scilicet Spiritus Sanctus adimplevit, & totam Domino dicavit.* *Lib. de Virg. Maria.*

Quod si libera fuit Virgo ab omni maledictionis nodo, confice & liberam fuisse ab originali noxa; nam & hæc nodus est, quo infelices astringuntur animæ, & inferis quodammodo illiguntur.

S. Bernardinus, qui & ipse totus ivit in castos Virginis amores, sic aliquando de illa:

Congruebat, ut illa, quæ placuit Altissimo ita ut fieret illius Sponsa & Mater Unigeniti Filii sui; sic esset immaculata mente, sicut fuit intemerata carne. *Tom. 2. Ser. 51. c. 1.*

At sic fuit *intemerata carne*, ut nunquam in ea vitium ullum sit passa: igitur & *sic immaculata mente*, ut neque in hac vitium ullum, id est peccatum unquam admiserit: hoc enim solum mentis vitium est, uti corporis, vis aliqua Virgineo illata pudori atque integritati. Et hoc, inquit *congruebat*, quia & *Sponsa* erat *Altissimi & Unigeniti Filii Mater*, à quo & puritatem omnem, & sanctitatem haurire debuit. Ut enim Petrus Cellensis:

Filius est Sanctus Sanctorum; Mater est Sancta Sanctorum: Filius est Altare de terra sancta, quia corpus habet de matre sine macula: at non esset *sine macula*, si macula originali aliquando fuisset notata, nec etiam *Filius Altare de terra sancta*, si aliquando terra illa profana, imò & scelesta. *Lib. de Panibus c. 21.*

Pluribus in præsentia supersedeo, quia apud cultores Virginis, nec argumentis opus humanis, nec testimoniis.

Unum addo, quod cœleste & Divinum est; cui tantum mihi stare certum est, quantum stabit pia Mater Ecclesia; nec amplius.

B. *Oringa Christiana* Virgo, in Cœlos animo & mente elata, Christum vidit conspicuum ea luce, præ qua vel ipsa Solis lux obscura videbatur. Vidit & Divam Matrem ad filii latus assidentem suppari lumine coruscam, & alba veste, eáque pretiosissima, ornatam.

Huic porrò Augustæ Cœli terrarumque Reginæ accinebant cœlestes Genii, & omnis beatarum animarum corona, cui immixta B. Oringa visa sibi est Virginem supplex revereri; quod dum facit, sic ei Christus.

Miraris, *Christiana*, dum contemplaris, quis hodie Matri meæ honos; quis cultus habeatur, qui plausus dentur, quæ accinantur laudum cantica: at mirari desines, ubi ex me audieris, hodie celebrari solemnitatem *Immaculatæ Conceptionis* illius; quæ deinde me concepit ac genuit illibata virginitate. *Bollandus in ejus vitâ 10. Jan.*

Illius autem *Immaculatæ Conceptionis* index est ea vestis candida, qua nitet.

Hæc ad B. Oringam Christus in illo mentis excessu: cui pro coronide adjiciu votum, quod non tam meum est, quàm ipsius Divæ Virginis ac Matris, quæ cum omni ex parte *Immaculata* sit, clientes suos (propè dixi & filios) amat esse immaculatos.

Amat & defensores *Immaculatæ suæ Conceptionis*, quales omni ævo fuere & Reges, & Cæsares. Ne omnes recenseam, ex iis fuit FERDINANDVS II. gloriosæ memoriæ Imperator Augustus, qui se, etiam voto ad illius defensionem, obstrinxit: & CAROLVS VI. Rex Christianissimus, vulgo appellatus *Dilectus*, quod scilicet & subditis, & omnibus esset in oculis, atque amoribus. Hic Confessarium nunquam admisit, qui contra *Immaculatam Conceptionem* aut loqui, aut etiam sentire videretur: adeo illius amans erat, ac retinens. *Gaguin. Histor. Franc.*

IN FESTO SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

D. Chrysol. Serm. 84.



ERVATOR Optimus, *qui ante per virtutem suam nostro resurrexit in corpore, ut nunc etiam per Fidem nostris resurgit in cordibus*, aliis atque aliis sese visendum exhibet, & quidem Discipulis primùm absente THOMA, tum etiam præsente. Cujus apparitionis circumstantias omnes more suo, id est facundè & aureè examinat D. Chrysologus, ex ipsis Evangelistæ verbis, in quibus hoc

Ioan. c. 20. Primò occurrit: *Cùm esset sero. Sero* nimirum *erat plus mœrore, quàm tempore. Sero est, mœroris & tristitiæ nubilo mentibus obscuratis.*

Secundò, *Cùm fores essent clausæ.* Nimirum *magnitudo terroris & facinoris tanto turbine Discipulorum domum simul & corda concluserat, & totum luminis abdicarat ingressum, ut magis magisq; mœrore sensibus occupatis cæca noctis augeretur offusio.*

Tertiò, *Venit IESVS*, & *foribus ingreditur clausis, taliq; indicio se totius creaturæ demonstrat authorem, cui non obsistit, sed potius deservit ad omnia creatura.*

Quartò, *Stetit in medio eorum*, Discipulorum scilicet, *quorum corda Fidei & dubitationis, desperationis, & Spei continui conflictus prælia sustinebant.* Et hinc

Quintò, *Dicit eis, Pax vobis.* Quid enim potius? *Talium cogitationum bella inspector pacem primitus se videntibus reddit, ut qui taliter ablatus materiam reliquerat confligendi, redditus oculis eorum causam totam certaminis amputaret.* Et inde

Sextò, *Gavisi sunt Discipuli viso Domino*; & jure sanè meritissimo, *quantum enim post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestatis obscura; tantum est acceptius gaudium post mœrorem.* Ubi illi pluscuIum datum est, tum

Septimò adjicit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; nempè *ad tolerantiam famis; ad onera vinculorum; ad squallorem carceris; ad perferenda genera omnia pœnarum; ad sublevandum cunctis execrabile mortis jugum: quæ omnia charitas utique imperat, non potestas.* Ubi porrò sic imperavit, tum altiore quasi spiritu,

Octavo, *Insufflavit*, & *insufflatione sua* ipsum quasi Spiritum sanctum *infudit cordibus eorum, & largitus est remissorem.* Et hinc addit

Nonò, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Quæ verba dum entheo spiritu, id est Fidei, examinat D. Chrysologus: *Vbi sunt*, exclamat, *ubi sunt, qui per homines hominibus remitti peccata non posse præscribunt? Qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant? Qui languoribus curam, vulneribus crudeli spiritu subtrahunt negantq; medicinam?*

Ubi enimverò, ubi sunt illi? Certè non in Christi disciplina, non in Apostolorum schola, non in gremio Christianæ & Apostolicæ religionis: in hac enim vi concessæ sibi à Christo potestatis, *Remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus Sacerdotibus hanc à Deo concessam amplectitur potestatem.*

Utinam & eandem in iis agnoscerent atque amplecterentur nostri temporis hæretici vel ab Apostolis, vel à Christo probè docti.

Verùm hæc attigisse sit satis, redeo ad Evangelicæ historiæ paraphrasim: in hac pergit S. Præsul; &

Decimò,

Decimò, Attendit illa Christi indulgentis ad THOMAM verba: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.*

Ita nimirum & *ipsa corporis passione, & ipsis vulnerum notis ipsum se approbat.* Quibus enim potius? Is certè evictus THOMAS exclamat: *Dominus meus & Deus meus.* Et qui priùs infidelis fuerat post lateris tactum, & fidelem se, & optimum Theologum ostendit: *Duplicem enim naturam & unam hypostasim agnoscit. Dicendo quippè Dominus, humanam naturam; dicendo Deus, Divinam confessus est, adeoq; unum, eundemq; Deum & Dominum*, ut notat Theophilactus.

Et hæc paucis de Evangelicæ historiæ serie.

EX D. THOMA.

PRo Argumento sacræ dictionis sumit illud Prophetæ Abacue: *Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit.* Cap 3.

Abyssus, inquit, est D. THOMAS, propter tria:

Primò, *Propter nominis rationem; quia Thomas interpretatur abyssus.* Serm. de S. Thom.

Secundò, *Propter etymologiæ significationem; quia abyssus dicitur* ab α privativo, id est sine, & *byssus*, id est *candidus*, quia *sine candore lucis*, id est *Fidei*, aliquando fuit THOMAS.

Tertiò, *Propter definitionem: abyssus enim est profunda aquarum congregatio.* Et *aquæ profundæ sunt verba profunda* D. THOMÆ.

Hæc abyssus *vocem* dedit, eamque *quintuplicem*:

1. *Fuit dilectionis.* Hanc testatus eùm sic ad condiscipulos suos: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Ioan. c. 11.

2. *Dubitationis.* Eam prodidit, cùm dixit: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Ioan. c. 20.

3. *Confessionis.* Hanc aperuit, cùm ait: *Dominus meus & Deus meus.* Suprà.

4. *Obedientiæ.* Hanc ostendit pauculis his verbis: *Domine quò vis mitte me.*

5. *Prædicationis.* Hanc explicuit in Iudæis, & ipsis qua latè patent Indiis.

Altitudo est *Christus*, qui levavit manus suas:

1. Cùm in Crucem extulit, atque explicuit pro mundi expiatione.

2. Cùm eas D. THOMÆ ostendit.

3. Cùm in Cœlum ascendens Discipulis suis benedixit.

4. Cùm potentiam suam ostendit,

5. Cùm incredulos punivit.

EX D. BONAVENTURA.

PRimum explicat illa verba Christi ad THOMAM: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* In his spectatur: 1. Apostolica fides hac expressa voce: *Credidisti.* 2. Ratio, seu motivum Fidei, *quia vidisti. Aliud* tamen *vidit, aliud credidit. Nam hominem vidit, sed Deum credidit.* Ioan. c. 2. Serm. 1. Gregor. Hom. 26. in Evang.

2. Expendit quæ ad nos emanarit utilitas ex D. THOMÆ incredulitate; in hac enim: *Egit miro modo Divina Clementia, ut Discipulus dubitans dum in Magistro vulnera palpabat carnis, à nobis vulnera excinderet infidelitatis.* Et ita (ut ait ille ipse S. Gregorius) *Minus mihi Magdalena contulit, quæ citò credidit, quàm D. Thomas, qui dubitavit.*

3. Ostendit quod cum Apostolo quatuor videre debeamus: 1. *Mundum deficientem, ut contemnamus.* 2. *Carnem nos inficientem*, ut eam odio habeamus, uti habuit & Paulus, qui ex ea liberari optabat, quasi *de corpore mortis.* 3. *Diabolum fallentem* ut fugiamus. 4. *Christum* ad coronas & *bravium vocantem*, ut sequamur. Et hæc ex prima Seraphici Doctoris concione. Rom 7.

In secunda explicat illa Christi ad THOMAM verba: *Noli esse incredulus, sed fidelis*; & ait nos quoque fideles esse debere: 1. Fideles Christo, ut sunt servi Domino. 2. Fideles proximo, ut illius amici. 3. Fideles Deo, ut illius villici, & bonorum, quæ nobis liberali manu dedit, æqui dispensatores. Et hæc doctrinæ illius summa. Ioan. 20. Serm. 6.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Dydimus, dixit eis: Nisi videro,* &c.

Ioan. c. 20. v. 24. & 25.

QVID THOMÆ, QVID DIDYMI NOMEN? Idémne, an diversum? Et an verè de CHRISTI *Resurrectione dubitarit?*

Thomas Quid?



HIc mihi duplex injicitur quæstio. Una, quæ etymologia nominis THOMÆ, & Didymi? Altera, Sítne unum idemque nomen, an diversum?

Inter Authores convenit *Thomæ* nomen ab Hebræo derivari; sed à qua radice non convenit.

1. Abyssus. Sunt enim, qui *Thomæ* nomen hauriant ab Hebræo *Tehom*, id est *abyssus*, seu vorago; sicque THOMAS idem erit atque abyssus & vorago.

Sunt alii, qui deducant ab Hebræo *Teomim*, quod idem

II Gemellus.

idem est ac *gemellus*, id est eodem partu cum alio natus; eodem quippè partu editi, gemelli appellantur, quasi conjunctis corporibus editi. Hinc loco illius quod Latina versio habet, *Qui dicitur Didymus*; Syriaca habet, *Qui dicitur Gemellus.*

Sed inde manat altera quæstio, An igitur THOMAS binominis, ut scilicet duo nomina habuerit: Unum *Thomæ*; alterum *Didymi.* Ita voluit Nonnus.

Quid Didymus?

Negant tamen alii, contendunique Thomæ Didymique nomen unum idemque esse: Hebraicè enim Thomas idem est quod Græcè δίδυμος, Latinè Gemellus; sicut Hebraicè Messias, Græcè χριστός, Latinè Unctus.

Sed hinc rursum exurgit difficultas altera, Cur Thomas Didymus sive Gemellus sit appellatus?

An ex eo quod eodem partu cum altero fratre editus, uti quondam Esau & Jacob? Ita vult Euthymius.

An quod hoc nomen à majoribus acceperit, quo modo apud Romanos quidam *Spurii*, alii *Crassi*, alii *Claudii* vocati sunt: etsi nec Spurii essent, nec Crassi, nec Claudii. Ita censuit Toletus, Maldonatus, & alii. Ego Lectori judicium relinquo, & in re, quæ mihi incerta est, nihil definio. Hæc attigisse pro litterali sensu satis erit; pauca subjicio pro mystico: pro hoc certè

Quæri potest cur D. Joannes Christi scriba in Apostolorum nominibus, quæ subinde stylo attingit, solius nominis Thomæ interpretationem adjecerit? Ne crede id casu factum & fortuitò, ne etiam levi calami lapsu: quia apud *summam Rationem* (quæ scribentis manum regebat) *nihil expers rationis.* Ecquænam igitur hæc erit? De hac apud Interpretes sua lis & contentio.

Theophilactus existimat hîc ab Evangelista adjici *qui dicitur Didymus*, id est Geminus, seu Gemellus, ut vel ex hoc ejus genius notaretur, Geminus, scilicet, id est duplex, dubius, varius, inconstans, ut qui in Resurrectionis Christi fide nutarit atque dubitarit. Quod postremum etsi verum sit, non opinor tamen eò spectasse Evangelistam, neque notare voluisse qualem qualem illius inconstantiam atque infidelitatem. Nam & capite undecimo, eam priùs interpretationem extulerat, quo tamen necdum in aperto erat ejus inconstantia atque incredulitas; sed potius in Christum, ceu Magistrum optimum, amor ac Fides, & pro hac & illo retinendis certum cum illo moriendi propositum, quod professus erat libera illa, & plena animi voce, qua sic ad Condiscipulos: *Eamus & nos; & moriamur cum eo.*

Ex Didymi nomine, quæ laus?

Ex quo magis arridet illud, quod Leontius ait, D. Joannem hîc adjecisse illam nominis Thomæ explicationem, qua dicitur *Didymus*, ut indicaretur quæ illi inerat virtus ardua, audax omnia pro Christo perpeti, etiam mortem, quæ tamen formidini esse solet vel maximè. Itaque dicetur *Didymus*, quasi Gemellus Christi frater, non natura, non utero; sed amore, affectu, & prona quadam in eum voluntate: qualis plerumque in gemellis fratribus, qui ut partu aliquando juncti, sic & amore postea conjunctissimi esse solent; atque ut motibus, sic & affectionibus planè similes; & sic quidem ut uno gaudente, ridente, flente, subinde alter gaudere, ridere, flere consuescat; imò uno ægrotante ac moriente, alter quoque ægrotare atque commori. Et ita Christo commori voluit D. THOMAS, ut frater cum fratre: quod in eo uti amoris eximii ac singularis fuit argumentum; sic fuit & luculentum partæ jam gloriæ testimonium publicis Evangelistæ tabulis velut exaratum, cùm ad Thomæ nomen subjecta hæc interpretatio, qui dicitur *Didymus*, hoc est quasi gemellus Christi frater.

Cornelius in 11. Joan. v. 16.

Sponsa, hoc est Anima Divini Verbi amantior, hæc olim ad illud vota emiserat in faventes auras, & Cœlos ipsos: *Quis mihi det te fratrem meum?* Quod illi in votis, hoc D. THOMÆ re etiam ipsa concessum, ut Divini Verbi jam Incarnati frater diceretur & esset. *Cant. c. 8. v. 1.*

D. Joanni Evangelistæ summa inde gloria, summa exultatio, quod Virginis Matris adoptione filius fuerit, adeoque & eâdem Christi frater: audit enim è Cruce, velut è pulpito doloris, hæc ad se dici: *Fili, ecce mater tua*; & ad Matrem: *Mulier, ecce filius tuus.* Quod si Virgo Joanni mater, & Joannes Virgini filius fuit; & quod inde consequens est, Christi frater.

Quod Joanni adoptionis prærogativa; hoc D. THOMÆ vel ipso est nomine: *Didymus* enim dicitur, id est gemellus Christi frater.

Et hæc illi inde laus, inde gratia, inde gloria: Videamus, quæ etiam ab ipso Thomæ nomine, primaque illius etymologia; secundum hanc *Thomas* idem est quod *abyssus.*

Ex Thomæ nomine quæ miseriæ abyssus?

Abyssus enimverò fuit Thomas: Primum abyssus infirmitatis & miseriæ: dein abyssus miserationis divinæ; ut in illo verum esset illud Vatis Regii: *Abyssus abyssum invocat*; abyssus enim miseriæ abyssum invocavit misericordiæ.

At quæ inquies fuit illa *miseriæ abyssus*? Cogitatione descende in illius animum, & vide quis ei sensus; eum tibi legendum exhibebit vel ipsis ad Condiscipulos verbis.

Dicunt illi, *Vidimus Dominum.* Quibus statim ille: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* *Vers. 25.*

En abyssum miseriæ, en incredulitatem, en infidelitatem, ut ita dicam abyssalem, quam sic expendit D. Augustinus:

Sciebat clavis in Cruce confixum, sciebat lanceâ latus percussum. Hæc signa quærebat, ideo non credebat. Manus quærebat & latus, & dum curiosius exsisit in vulnere, mortem incurrerat in fide. *Serm. 159. de Temp.*

En abyssus profunda, en vorago immanis, mors scilicet in fide, quàm ut excutiat sic eum compellat:

O beate Apostole, ante oculos tuos Christus Lazarum potuit suscitare, & ipse non poterat de sepulchro surgere? Quæris loca clavorum, & oblitus es miracula tanta signorum? Nonnè ante oculos tuos cæcos illuminavit, paraliticos sanavit, leprosos mundavit? Sic perdidisti in triduo memoriam magistri, ut potentia non crederes Christi? Mors Christi in carne, vita tua debet esse in fide.

Et certè etiam erit: *Ecce* enim *iterum venit Dominus ne periret Discipulus.* Et dicit THOMÆ:

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus; sed fidelis. *Vers. 27.*

O pietas Salvatoris, qua non dedignatur locum ostendere cicatricis, exclamat D. Augustinus,

Quæ deinde miserationis Divinæ?

Hanc pietatem octo diebus antè ostenderat Discipulis aliis ipso Resurrectionis die, cùm ad ingressum suum, aspectúmque, turbatos & conterritos vidisset. Sic enim ad illos, *Videte manus meas & pedes*, quasi diceret interprete D. Chrysologo:

Videte carnis vulnera, qui Dei opera non videtis, considerate inimicorum titulos, quia Dei adhuc non considerastis insignia; palpate, ut vel manus fidem faciat, quia videns oculus sic cæcatur: oculus non videt, videat tactus: digiti vestri intrent vestigia clavorum, manus vestræ alta vulneris exquirant; aperite manuum foramina, sulcate latus, renovate vulnera, quia negare non possum Discipulis ad Fidem, quod inimicis in pœnam sævientibus non negavi: palpate, palpate, & usque ad ossa inquisitores ardui pervenite, ut vel ossa carnis astruant veritatem; & me esse ipsum vel vulnera servata testentur. *Serm. 81.*

Hæc Discipulis Magister optimus vel eò tantùm quòd turbatos, & conterritos eos advertisset. Erat autem ea turbatio, isque terror indicium aliquod infirmitatis humanæ: *Quia* (ut hîc advertit Divus Chysolo-

Chrysologus) *depressa carnis pondere cogitationes humanæ, dum altum Dei mysterium conantur ascendere, conatibus in ipsis franguntur, ruunt & deponuntur ad terram, nisi ille juverit, qui donat homini cogitare Divina.*

Et ita Discipulos juvit, dum eis ostendit manus & pedes: ita juvit & THOMAM, & quidem operosiùs, dum etiam voluit & digitum inferre vulneribus, & manum lateri. Nec mirum, quia majori malo majore opus erat medicina; at THOMÆ incredulitas majus erat malum quàm Discipulorum turbatio ac terror.

Illud certè dum ex ipsis illius verbis expendit
Serm. 24. D. Chrysologus, stupenti similis exclamat: *Cur Thomas vestigia Fidei sic requirit? Cur tam piè patientem, tam durè discutit resurgentem? Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera sic resulcat? Cur latus, quod militis impii lancea patefecit, refodere manus nititur obsequentis? Cur dolores persecutorum furoribus irrogatos, famulantis curiositas renovat immitis? Cur tormentis Dominum, cur pœnis Deum, cur cœlestem Medicum probaturus de vulnere Discipulus sic requirit?*

Ubi hæc quæsivit & quidem ex ipsis D. THOMÆ verbis, quibus & digitos in manuum pedumque vulnera, & manus in patentem lateris plagam immittere volebat, aliàs minimè fidem Resurrectioni daturus; tum ut ostendat eam infidelitatem etiam ex aliis capitibus graviorem fuisse, varia producit argumenta, quibus in THOMA ea fides firmari potuisset, imò & debuisset.

Cecidit, inquit, *potestas diaboli, patefactus est carcer inferni, disrupta sunt vincula mortuorum, moriente Domino sunt evulsa monumenta, & resurgente Domino, tota mortuis est mutata conditio: ab ipso Domini sepulchro lapis revolutus est, linteamina resoluta sunt, & resurgentis ad gloriam mors fugit, vita redit, caro amplius casum nescitura surrexit: Et cur tibi solus, Thoma, sola vulnera præsentari ad indicium Fidei nimis callidus explorator expostulas? Quid si ista cum aliis abolita fuissent, quod periculum fidei tuæ curiositas ista peperisset?*

Nulla pietatis monumenta, nulla Dominicæ Resurrectionis inveniri æstimat potuisse documenta, nisi manibus tuis sulcares Judaica crudelitate exarata sic viscera?

Ubi hæc ex D. THOMA quæsivit Orator aureus, ubi sic altiore quasi stylo pupugit, tum benigna quadam demissæ orationis indulgentia, culpam, si quæ fuit, aut omninò tollere, aut saltem extenuare conatur; ait enim

Quæ denique ratio utilitatis? *Quæsivit pietas ista, exegit ista devotio, ut resurrexisse Dominum nec ipsa in posterum dubitaret impietas Thomas enim non solùm cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum: & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tantæ Fidei astrueret Sacramentum executor strenuus perquirebat.*

Hæc ubi pro D. THOMA extulit S. Præsul; tum conficit & illud: *Certè prophetia magis, quàm cunctatio fuit, Nam cur talia peteret, nisi à Domino ad indicium Resurrectionis suæ servata sola vulnera prophetali spiritu cognovisset? Denique sponte præstitit cæteris, quod iste tardiùs implorat.*

Et hinc, inquit, venit Christus, & dixit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus; sed fidelis. Ut scilicet effundant toto Orbe iterum te aperiente hæc vulnera fidem, quæ aquam in lavacrum, sanguinem in omnium pretium jam fuderunt.*

Ita nimirum Servator Optimus eam D. THOMÆ vel dubitationem, vel cunctationem, vel si mavis quæstionem retulit ad communem posterorum omnium utilitatem, adque fidem Resurrectionis suæ magis ac magis stabiliendam.

Hinc D. Augustinus examinans illud D. THOMÆ Hom. 156. de Temp.
ad Condiscipulos: *Nisi videro, &c. non credam. Quàm bona*, inquit, *ignorantia, quæ erudivit ignaros, quæ instruxit incredulos; Quàm bona infidelitas quæ sæculorum fidei militavit. Nisi videro*, inquit, *in manibus ejus fixuram clavorum. Vox ista inquirentis est, non negantis.*

Dum hoc dicit, doceri voluit, confirmari desideravit. Et ideo ad eum Dominus ita ait: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.

Dum benignum præbet veritas moderata responsum, in Apostolo suo non dubitationis vitium; sed sollicitudinis instruxit affectum.

Et hæc prima ratio, cui addit alteram quod *in his Apostoli verbis mundi utilitas agebatur, & unius interrogatio, Universitatis erat instructio.*

Et hinc, inquit, vel ipso connivente Numine factum est, ut *quia in illo tempore tanti mysterii novitas versabatur, meritò curiosæ perscrutationis non est utilitas exclusa.*

Et hæc pro D. THOMA Præsul Hipponensis, quæ alio loco, & quidem luculentiùs, confirmat verbis omninò clarioribus, quæ ego hic subnectam, vel, ut innocentiæ tanti Apostoli, quà licet, patrocinari videar, vel, ut amabiles simul ac mirabiles Divinæ providentiæ vias ac rationes commendare. Sic igitur habet:

Thomas cum esset sanctus, fidelis & justus, hæc omnia Serm. 161. de Temp.
sollicitè requisivit; non quod ipse aliquid dubitaret, sed ut omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam sufficerat illi ad fidem propriam, vidisse quem noverat, sed nobis operatum est, ut tangeret quem videbat, ut si fortè diceremus delusos fuisse oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In Resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari.

Hæc ille, aliique, de quibus judicium erudito Lectori relinquo; huic enim scrupulum aliquem injicient & illa D. THOMÆ verba: *Nisi videro, &c. Non credam.* Et hoc Christi ad illum: *Noli esse incredulus, sed fidelis*; quod indubiè si accipiatur nudè prout sonat ipsa vox, incredulum priùs arguit, & postea fidelem esse jubet.



QUÆ-

Il Gemellus.

idem est ac *gemellus*, id est eodem partu cum alio natus; eodem quippè partu editi, gemelli appellantur, quasi conjunctis corporibus editi. Hinc loco illius quod Latina versio habet, *Qui dicitur Didymus*; Syriaca habet, *Qui dicitur Gemellus*.

Sed inde manat altera quæstio, An igitur THOMAS binominis, ut scilicet duo nomina habuerit: Unum *Thomæ*; alterum *Didymi*. Ita voluit Nonnus.

Quid Didymus?

Negant tamen alii, contenduntque Thomæ Didymique nomen unum idemque esse: Hebraicè enim Thomas idem est quod Græcè δίδυμος, Latinè Gemellus; sicut Hebraicè Messias, Græcè χριστός, Latinè Unctus.

Sed hinc rursum exurgit difficultas altera, Cur Thomas Didymus sive Gemellus sit appellatus?

An ex eo quod eodem partu cum altero fratre editus, uti quoodam Esau & Jacob? Ita vult Euthymius.

An quod hoc nomen à majoribus acceperit, quo modo apud Romanos quidam *Spurii*, alii *Crassi*, alii *Claudii* vocati sunt: etsi nec Spurii essent, nec Crassi, nec Claudii. Ita censuit Toletus, Maldonatus, & alii. Ego Lectori judicium relinquo, & in re, quæ mihi incerta est, nihil definio. Hæc attigisse pro litterali sensu satis erit; pauca subjicio pro mystico: pro hoc certè

Quæri potest cur D. Joannes Christi scriba in Apostolorum nominibus, quæ subinde stylo attingit, solius nominis Thomæ interpretationem adjecerit? Ne crede id casu factum & fortuitò, ne etiam levi calami lapsu: quia apud *summam Rationem* (quæ scribentis manum regebat) *nihil expers rationis*. Ecquænam igitur hæc erit? De hac apud Interpretes sua lis & contentio.

Theophilactus existimat hic ab Evangelista adjici *qui dicitur Didymus*, id est Geminus, seu Gemellus, ut vel ex hoc ejus genius notaretur, Geminus, scilicet, id est duplex, dubius, varius, inconstans, ut qui in Resurrectionis Christi fide nutarit atque dubitarit. Quod postremum etsi verum sit, non opinor tamen eò spectasse Evangelistam, neque notare voluisse qualem qualem illius inconstantiam atque infidelitatem. Nam & capite undecimo, eam priùs interpretationem extulerat, quo tamen necdum in aperto erat ejus inconstantia atque incredulitas; sed potius in Christum, ceu Magistrum optimum, amor ac Fides, & pro hac & illo retinendis certum cum illo moriendi propositum, quod professus erat libera illa, & plena animi voce, qua sic ad Condiscipulos: *Eamus & nos; & moriamur cum eo.*

Ex Didymi nomine, quæ laus?

Ex quo magis arridet illud, quod Leontius ait, D. Joannem hic adjecisse illam nominis Thomæ explicationem, qua dicitur *Didymus*, ut indicaretur quæ illi inerat virtus ardua, audax omnia pro Christo perpeti, etiam mortem, quæ tamen formidini esse solet vel maximè. Itaque dicetur *Didymus*, quasi Gemellus Christi fratee, non natura, non utero; sed amore, affectu, & prona quadam in eum voluntate: qualis plerumque in gemellis fratribus, qui ut partu aliquando juncti, sic & amore postea conjunctissimi esse solent; atque ut moribus, sic & affectionibus planè similes; & sic quidem ut uno gaudente, ridente, flente, subinde alter gaudere, ridere, flere consuescat; imò uno ægrotante ac momoriente, alter quoque ægrotare atque commori. Et ita Christo commori voluit D. THOMAS, ut frater cum fratre: quod in eo uti amoris eximii ac singularis fuit argumentum; sic fuit & luculentum partæ jam gloriæ testimonium publicis Evangelistæ tabulis velut exaratum, cùm ad Thomæ nomen subjecta hæc interpretatio, qui dicitur *Didymus*, hoc est quasi gemellus Christi frater.

Cornelius in 11. Joan. v. 16.

Sponsa, hoc est Anima Divini Verbi amantior, hæc olim ad illud vota emiserat in faventes auras, & Cœlos ipsos: *Quis mihi det te fratrem meum?* Quod illi in votis, hoc D. THOMÆ re etiam ipsa concessum, ut Divini Verbi jam Incarnati frater diceretur & esset. *Cant. c. 8. v. 1.*

D. Joanni Evangelistæ summa inde gloria, summa exultatio, quod Virginis Matris adoptione filius fuerit, adeoque & eâdem Christi frater: audit enim è Cruce, velut è pulpito doloris, hæc ad se dici: *Fili, ecce mater tua*; & ad Matrem: *Mulier, ecce filius tuus.* Quod si Virgo Joanni mater, & Joannes Virgini filius fuit; & quod inde consequens est, Christi frater.

Quod Joanni adoptionis prærogativa; hoc D. THOMÆ vel ipso est nomine: *Didymus* enim dicitur, id est gemellus Christi frater.

Ex Thomæ nomine quæ miseriæ abyssus?

Et hæc illi inde laus, inde gratia, inde gloria: Videamus, quæ etiam ab ipso Thomæ nomine, primaque illius etymologia; secundum hanc *Thomas* idem est quod *abyssus*.

Abyssus enimverò fuit Thomas: Primum abyssus infirmitatis & miseriæ: dein abyssus miserationis divinæ; ut in illo verum esset illud Vatis Regii: *Abyssus abyssum invocat*; abyssus enim miseriæ abyssum invocavit misericordiæ.

At quæ inquies fuit illa *miseriæ abyssus*? Cogitatione descende in illius animum, & vide quis ei sensus; eum tibi legendum exhibebit vel ipsis ad Condiscipulos verbis.

Dicunt illi, *Vidimus Dominum.* Quibus statim ille: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* *Vers. 25.*

En abyssum miseriæ, en incredulitatem, en infidelitatem, ut ita dicam abyssalem, quam sic expendit D. Augustinus:

Sciebat clavis in Cruce confixum, sciebat lanceâ latus percussum. Hæc signa quærebat, ideo non credebat. Manus quærebat & latus, & dum curiosius ex sclit in vulnere, mortem incurrerat in fide. *Serm. 159. de Temp.*

En abyssus profunda, en vorago immanis, mors scilicet in fide, quàm ut excutiat sic eum compellat:

O beate Apostole, ante oculos tuos Christus Lazarum potuit suscitare, & ipse non poterat de sepulchro surgere? Quæris loca clavorum, & oblitus es miracula tanta signorum? Nonnè ante oculos tuos cæcos illuminavit, paraliticos sanavit, leprosos mundavit? Sic perdidisti in triduo memoriam magistri, ut potentia non crederes Christi? Mors Christi in carne, vita tua debet esse in fide.

Et certè etiam erit: *Ecce enim iterum venit Dominus ne periret Discipulus.* Et dicit THOMÆ:

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus; sed fidelis. *Vers. 27.*

O pietas Salvatoris, quæ non dedignatur locum ostendere cicatricis, exclamat D. Augustinus.

Quæ deinde miserationis Divinæ?

Hanc pietatem octo diebus antè ostenderat Discipulis aliis ipso Resurrectionis die, cùm ad ingressum suum, aspectúmque, turbatos & conterritos vidisset. Sic enim ad illos, *Videte manus meas & pedes*, quasi diceret interprete D. Chrysologo:

Videte carnis vulnera, qui Dei opera non videtis, considerate inimicorum titulos, quia Dei adhuc non considerastis insignia; palpate, ut vel manus fidem faciat, quia videns oculus sic cæcatur: oculus non videt, videat tactus: digiti vestri intrent vestigia clavorum, manus vestra alta vulnera exquirant; aperite manuum foramina, sulcate latus, renovate vulnera, quia negare non possum Discipulis ad Fidem, quod inimicis in pœnam sævientibus non negavi: palpate, palpate, & usque ad ossa inquisitores ardui pervenite, ut vel ossa carnis astruant veritatem; & me esse ipsum vel vulnera servata testentur. *Serm. 81.*

Hæc Discipulis Magister optimus vel eò tantùm quòd turbatos, & conterritos eos advertisset. Erat autem ea turbatio, isque terror indicium aliquod infirmitatis humanæ: *Quia* (ut hic advertit Divus

Chysolo-

Chrysologus) *depressa carnis pondere cogitationes humana, dum altum Dei mysterium conantur ascendere, conatibus in ipsis franguntur, ruunt & deponuntur ad terram, nisi ille juverit, qui donat homini cogitare Divina.*

Et ita Discipulos juvit, dum eis ostendit manus & pedes: ita juvit & THOMAM, & quidem operosiùs, dum etiam voluit & digitum inferre vulneribus, & manum lateri. Nec mirum, quia majori malo majore opus erat medicina; at THOMÆ incredulitas majus erat malum quàm Discipulorum turbatio ac terror.

Serm. 84. Illud certè dum ex ipsis illius verbis expendit D. Chrysologus, stupenti similis exclamat: *Cur Thomas vestigia Fidei sic requirit? Cur tam piè patientem, tam durè discutit resurgentem? Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera sic resulcat? Cur latus, quod militis impii lancea patefecit, refodere manus nititur obsequentis? Cur dolores persecutorum furoribus irrogatos, famulantis curiositas renovat immitis? Cur tormentis Dominum, cur pœnis Deum, cur cœlestem Medicum probaturus de vulnere Discipulus sic requirit?*

Ubi hæc quæsivit & quidem ex ipsis D. THOMÆ verbis, quibus & digitos in manuum pedumque vulnera, & manus in patentem lateris plagam immittere volebat, aliàs minimè fidem Resurrectioni daturus; tum ut ostendat eam infidelitatem etiam ex aliis capitibus graviorem fuisse, varia producit argumenta, quibus in THOMA ea fides firmari potuisset, imò & debuisset.

Cecidit, inquit, *potestas diaboli, patefactus est carcer inferni, disrupta sunt vincula mortuorum, moriente Domino sunt evulsa monumenta, & resurgente Domino, tota mortis est mutata conditio: ab ipso Domini sepulchro lapis revolutus est, linteamina resoluta sunt, & resurgenti ad gloriam mors fugit, vita rediit, caro amplius casum nescitura surrexit: Et cur tibi solus, Thoma, sola vulnera præsentari ad indicium Fidei nimis callidus explorator expostulas? Quid si ista cum aliis abolita fuissent, quod periculum fidei tuæ curiositas ista peperisset?*

Nulla pietatis monumenta, nulla Dominica Resurrectionis inveniri æstimas potuisse documenta, nisi manibus tuis sulcares Judaica crudelitate exarata sic viscera?

Ubi hæc ex D. THOMA quæsivit Orator aureus, ubi sic altiore quasi stylo pupugit, tum benigna quadam demissæ orationis indulgentia, culpam, si quæ fuit, aut omninò tollere, aut saltem extenuare conatur; ait enim

Quæ denique ratio utilitatis? *Quæsivit pietas ista, exegit ista devotio, ut resurrexisse Dominum nec ipsa in posterum dubitaret impietas. Thomas enim non solùm cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum: & prædicaturus hac in gentibus, quemadmodum tanta Fidei astrueret Sacramentum executor strenuus perquirebat.*

Hæc ubi pro D. THOMA extulit S. Præsul; tum conficit & illud: *Certe prophetia magis, quàm cunctatio fuit, Nam cur talia peteret, nisi à Domino ad indicium Resurrectionis suæ servata sola vulnera prophetali spiritu cognovisset? Denique sponte præstitis cæteris, quod iste tardiùs implorat.*

Et hinc, inquit, venit Christus, & dixit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus; sed fidelis. Ut scilicet effundant toto Orbe iterum se aperiente hæc vulnera fidem, quæ aquam in lavacrum, sanguinem in omnium pretium jam fuderunt.*

Ita nimirum Servator Optimus eam D. THOMÆ vel dubitationem, vel cunctationem, vel si mavis quæstionem retulit ad communem posterorum omnium utilitatem, adque fidem Resurrectionis suæ magis ac magis stabiliendam.

Hinc D. Augustinus examinans illud D. THOMÆ ad Condiscipulos: *Nisi videro*, &c. *non credam. Quàm bona*, inquit, *ignorantia, quæ erudivit ignaros, quæ instruxit incredulos; Quàm bona infidelitas quæ sæculorum fidei militavit. Nisi videro*, inquit, *in manibus ejus fixuram clavorum. Vox ista inquirentis est, non negantis.* Hom. 156. de Temp.

Dum hoc dicit, doceri voluit, confirmari desideravit. Et ideo ad eum Dominus ita ait: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.

Dum benignum præbet veritas moderata responsum, in Apostolo suo non dubitationis vitium; sed sollicitudinis instruxit affectum.

Et hæc prima ratio, cui addit alteram quod *in his Apostoli verbis mundi utilitas agebatur, & unius interrogatio, Universitatis erat instructio.*

Et hoc, inquit, vel ipso connivente Numine factum est, ut *quia in illo tempore tanti mysterii novitas versabatur, meritò curiosæ perscrutationis non est utilitas exclusa.*

Et hæc pro D. THOMA Præsul Hipponensis, quæ alio loco, & quidem luculentiùs, confirmat verbis omninò clarioribus, quæ ego hîc subnectam, vel, ut innocentiæ tanti Apostuli, quà licet, patrocinari videar, vel, ut amabiles simul ac mirabiles Divinæ providentiæ vias ac rationes commendare. Sic igitur habet:

Thomas cum esset sanctus, fidelis & justus, hæc omnia sollicitè requisivit; non quod ipse aliquid dubitaret, sed ut omnem suspicionem incredulitatis excluderet. Nam suffecerat illi ad fidem propriam, vidisse quem noverat, sed nobis operatus est, ut tangeret quem videbat, ut si fortè diceremus delusos fuisse oculos, non possemus dicere manus illius fuisse frustratas. In Resurrectionis enim manifestatione de aspectu ambigi potest, de tactu non potest dubitari. Serm. 161. de Temp.

Hæc ille, aliaque, de quibus judicium erudito Lectori relinquo; huic enim scrupulum aliquem injicient & illa D. THOMÆ verba: *Nisi videro*, &c. *Non credam.* Et hoc Christi ad illum: *Noli esse incredulus, sed fidelis*; quod indubiè si accipiatur nudè prout sonat ipsa vox, incredulum priùs arguit, & postea fidelem esse jubet.



QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba : *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* verſ. 27.

AN RE ETIAM IPSA DIGITVM IN manus CHRISTI, *& manum in latus immiſerit ?*

Utrum in manibus & latere foramina ?

PRIUSQUAM huic quæſtioni fiat ſatis, videndum erit more noſtro paucis, utrum in glorioſo Chriſti Corpore verè manſerint in pedibus ac manibus foramina, ut ita loquar (aperturæ clavorum) uti & lateris à vulnere per lanceam inflicto & hianti; an tantùm illorum cicatrices ac ſtigmata.

Convenit inter Catholicos omnes remanſiſſe cicatrices, ſtigmata, notáſve quinque vulnerum, videlicet in manibus, pedibus ac latere.

I. Opinio. Sed de his duæ ſunt opiniones, ſeu explicationes. Una credit in pedibus, manibus, ac latere Chriſti partes omnes integras fuiſſe ac continuas, tantumque in iis manſiſſe ſigna quædam ac veſtigia vulnerum. Sic videtur ſenſiſſe D. Auguſtinus, aliique non pauci. (*Epiſt. 49.*)

II. Opinio. Altera contendit verè manſiſſe in manibus ac pedibus, imò & latere, foramina illa, à clavis priùs inflicta, & hoc à lancea. Et hæc opinio D. Cyrilli, D. Chryſologi, loco citato, quæſtione præcedenti, & communis Interpretum atque Doctorum, quibus apertè favet hoc Chriſti ad THOMAM ſeu oraculum, ſeu præceptum : *Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* (*L. 1. de Fide ad Theodoſ.*)

Certè neque digitus inferri poteſt in manus, neque ipſa manus in latus, niſi & hoc & illæ adhuc à vulnere hiantes ſint, adeoque niſi in illis etiam foramina.

De his extat clariſſimum illud D. Chryſologi teſtimonium : *Dominus eadem redit in carne, vulnera reportat, ipſa clavorum foramina reſumit, & ipſa facit teſtimonia ſui corporis, ſua Reſurrectionis indicia, quæ fuerant contumelia Paſſionis.* (*Serm. 76.*)

Et huic ſententiæ, utpotè Scripturæ ac Fidei magis conſentaneæ, ſubſcribo; & hæc addo cum P. Suarez. (*3 Part. tom. 2 Quæſt. 54. art. 4.*)

Primò in iis partibus glorioſi corporis cùm ſint foramina, aliquid proinde deeſſe carnis.

Secundò miraculo factum eſſe, ut illa foramina non impediant, quò minus nervi, arteriæ & venæ continuæ ſint, optiméque diſpoſitæ tum ad continendum ſanguinem, tum etiam ad omnes actiones & motus vitæ.

Tertiò, nullam inde deformitatem ineſſe, ſed potiùs decorem ſtupendum aque amabilem.

Rationes autem ob quas ea reſervata ſint ſtigmata fuſiùs explicui Dominica prima poſt Paſcha : ſunt illæ congruentiæ : ex vero autem rationum inſtar omnium eſt ipſa Chriſti Reſurgentis voluntas, *qui* (ut rectè annotat Venerabilis Beda) *regna mortis deſtruxit, ſigna mortis obliterare noluit.*

Reſolutio quæſtionis. His ita ex ſatiore Theologia conſtitutis deſcendo ad quæſtionem initio propoſitam, an ſcilicet D. Thomas ad illa Chriſti verba, quæ pro themate aſſumpſi, & digitos in foramina manuum ejus immiſerit, & manum in latus ?

Sunt qui negent, primùm ex eò quòd Scriptura id non affirmet. Deinde quia corpus glorioſum quale fuit Chriſti reſurgentis ſubtile eſt, & incorruptibile: quod autem palpatur neceſſe eſt corrumpi, ſcilicet naturaliter, ut advertit D. Gregorius. (*Hom. 26.*)

Affirmant tamen alii, & quidem longè plurimi, nec de THOMA tantùm, ſed & de nonnullis aliis Diſcipulis, iis maximè, qui præ cæteris increduli magis videbantur.

I. Ratio, Ex Scriptura. Et verò huic ſententiæ favet illud Chriſti etiam omnes Diſcipulos ſic invitantis : *Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum, palpate & videte*; id eſt palpando agnoſcite : quaſi diceret, ſi aſpectui non creditis, tactui credite, quia tactus viſu certior & ſolidior. (*Luc. c. 24. v. 39.*)

Favet & hoc D. Joannis, qui ut in aliis & ſuo & Condiſcipulorum teſtimonio fidem Reſurrectionis Chriſti aſtrueret, hæc aliquando ſcripſit :

Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis, ubi & oculos & tactum in teſtes evocat Dominicæ Reſurrectionis. (*Epiſt. 1. c. 1. v. 1.*)

II. Ex SS. Patribus. Favet & D. Chryſologus; qui in hæc verba, *videte manus meas & pedes meos*, ſic Chriſtum ad Diſcipulos loquentem inducit : *Digiti veſtri intrent veſtigia clavorum, manus veſtræ alta vulneris exquirant. Aperite manuum foramina, ſulcate latus, renovate vulnera. Palpate, palpate, & uſque ad oſſa inquiſitores ardui pervenite.* (*Serm. 81.*)

Hæc S. Præſul ea qua ſolet aurea fandi copia, quamquam ut ingenuè dicam quod ſentio, de Diſcipulis minus certum ſit an tetigerint, quàm de D. Thoma; licet etiam de hoc dubitet Gloſſa. Euthymius putet non tetigiſſe, quod & alii Patres ſubdubiè etiam faciunt.

D. Auguſtinus ad illa Chriſti verba : *Infer digitum tuum huc, & vide. Quid aliud ait, quàm tange & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo ſive intuendo, ſive etiam tangendo, quia vidiſti me Thoma, credidiſti, quamvis dici poſſit non auſum fuiſſe Diſcipulum tangere, cùm ſe offerret ille tangendum : non enim ſcriptum eſt, & tetigit Thomas.* (*Ex Tractat. in Ioan.*)

Hæc eo loco ſubdubiè, ut patet; eodem tamen tractatu aſſerit omninò tetigiſſe. *Videbat*, inquit, *tangebatq; hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat. Sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione credebat.*

Quod ipſum expreſſiùs extulit Sermone de Tempore, qui eſt centeſimus ſexageſimus primus, ubi agens de manifeſtatione Reſurrectionis facta D. THOMÆ, ſic ait : *De aſpectu ambigi poteſt, de tactu non poteſt dubitari.*

D. Auguſtino conſentit D. Ambroſius, qui ſic de D. THOMA : *Tactu ſuo debuit me docere.* (*In cap. ult. Luc.*)

Conſentit & D. Cyrillus libro de Fide ad Theodoſium, ubi ſic ait : *Poſtquam Thomas manus in latus, & digitos in manuum foramina intuliſſet, ſtatim exclamavit : Dominus meus & Deus meus.*

SS. Patribus conſentiunt Interpretes propè omnes; quos hic non refero, ut calamo parcam. Videri poteſt Toletus, Cornelius, & alii.

Sed hactenus authoritate pugnatum eſt ſatis,

pugnemus

pugnemus etiam ratione: hæc prima. Christum eò loci cùm dixit, *Infer digitum tuum huc*, Thomæ omninò præcepisse ut inferret; cui præcepto sanè obediens fuit.

Secunda, ea causa, quæ Christum movit, ut à Resurrectione etiam in corpore glorioso vulnerum cicatrices hiantes atque apertas reservaret; eadem & permovit ut Apostolis, & nominatim THOMÆ videndas, imò & palpandas præberet; ut scilicet *Discipulus ille dubitans dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis*, ut scitè notavit D. Gregorius. *Hom. 26.*

Tertia, ut THOMÆ fidem, & ex ea doctrinam humanâ altiorem in posteros omnes emitteret. Ea porrò paucis expressa voculis: *Dominus meus, & Deus meus*; quibus (ut annotat Theophilactus) *post tactum lateris optimum se Theologum ostendit. duplicem naturam & unam Hypostasim Christi edisserens. Dicens enim Dominum, naturam humanam; dicens Deum, divinam confessus est in uno & eodem.*

Ad has rationes etiam accedit alia ex historicorum fide, qui testantur Romæ in Basilica S. Crucis in Jerusalem, religiosè asservari atque ostendi digitum illum S. THOMÆ, quem aliquando in vulnera immiserat, invidenda sanè aliis sorte: hoc quippè uno & fortunatus, & propè beatus ille digitus, beata & manus, quæ dum Christi latus apertum pervadit, propiùs ad ipsum etiam cor evadit, in quod evadere ac commorari summa beatitas; uti deinde visa S. Elzeario Comiti, vel sola cogitatione, amore, voto.

Quod si nobis non conceditur illud, ut vel latus illud amabile tangamus manu, vel per illud in cor evadamus; at saltem Deo propitio dabitur, ut tangamus spiritali manu.

Quî autem fiat illud, si quæris? Audies ex B. Gertrude: Tangere nihil aliud esse, quàm ipsius amorem ponderare. Ita tetigit illa, & ex illo spirituali ac sacratiore attactu hæc duo est consecuta.

Primum, die quadam cùm ardentiùs oraret, peteretque ut per cor Christi transfixum, cor etiam suum divini amoris sagittâ transfigeret; visus est de corde Christi è Cruce pendentis radius ad cor beatæ Gertrudis evibrari, illudque etiam transfigere, & igne quodam diviniore succendere. *Insin. S. Gertrud. l. 2. c. 5.*

Alterum (quod & luculentius fuit amoris in illam testimonium) cùm ei sese spectandum dedisset Christus; & latus suum aperuit, & tangendum obtulit, & quod olim D. THOMÆ, etiam ab ea manum in illud immitti voluit; addiditque amantis istud: *En tibi ab hoc latere sigillum mei in te amoris ac beneficentiæ.*

Ut & nobis ab illo latere, ab illo Christi corde, ceu fornace Divini amoris, effluat ejusmodi cœlestis lucis radius, ut cor nostrum eadem amoris sagitta transfigatur; agedum, mi Lector, si corporis non licet, at saltem mentis animique manu, hoc est cogitatione, ac tactu spirituali tangamus latus illud Christi: hoc est æqua lance ponderemus quis & quantus illius fuerit in mortale genus amor, quàm incensa caritas, & qui hujus & illius ignes atque incendia.

Sed quis, inquies, illos ponderabit? *Pondera mihi ignis pondus*, inquiebat apud Esdram Angelus. *Esdræ c. 4. v 4.*

Quod si ignis hujus, quem oculis, quem ipso tactu usurpamus pondus ponderare non possumus, quî ponderabimus immensum Dei & Christi pondus, qui ignis consumens est? Enimverò numquam ex æquo ponderabimus, nisi nobis illud concedat, qui amori suo, ceu igni, pondus dedit; ut dedit aliquando Gertrudi, dabitque etiamnum nobis si paria cum illâ fuerint nostra vota, & par in Christi vulnera commentatio amorque.

Sed ne longiùs. Ad D. THOMAM redeo, paucisque expono, qui Christi corpus, gloriosum cùm esset, tangi nihilominus potuerit. Ut hoc in aperto ponatur.

Primùm, statuo in corpore, quod palpatur, duo requiri; videlicet, ut resistat ratione suæ densitatis; deinde ut simul sentiatur molle aut durum, asperum aut leve, rarum aut spissum, aliasque similes qualitates tactiles habeat. *D. Thom. 3. P qu. 54. art. 3.* *Solutio dubii.*

Secundò, corpora gloriosa à dote subtilitatis id obtinere ut tangi possint, si nimirum resistere velint alteri corpori, nec illud penetrare; non possint autem, si ita resistere nolint. Et eadem est ratio de visu; possunt enim permittere se videri, possunt & idipsum negare. Ex quo liquet Corpus gloriosum (quale fuit Christi, quale erit & Beatorum) esse subtile, adeóque impalpabile atque invisibile per effectum spiritualis potentiæ; palpabile autem ac visibile per veritatem naturæ.

Sic, ut ait D. Gregorius, *miro modo atque inæstimabili Redemptor noster, & incorruptibile post Resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile invitaret ad præmium, & præbendo palpabile firmaret ad fidem.*

Et incorruptibilem se ergo, & palpabilem demonstravit; ut profectò esse post Resurrectionem ostenderet Corpus suum, & ejusdem naturæ & alterius gloriæ. Et hæc pro instituto satis. Audivimus quid Christo Thomas: excipiamus quæ Thomæ Christus.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* vers. 27.

QUAM CHRISTO, CEU DOMINO, fidelis servus fuerit D. THOMAS.



D institutum nostrum opportunè & eleganter pronuntiavit D. Hieronymus: *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis.* Quod si in Christianis; nec etiam in Apostolis.

Judas benè cœpit à Fidei luce, & fortè etiam miraculorum; at malè finivit à desperatione & laqueo.

Contrà, Paulus malè cœpit ab ira, ab æstu persecutionum, à vinculis, à cæde Christianorum, quam animo meditabatur; at quàm optimè finivit ab insigni animarum zelo, & earum spoliis, quæ Cœlo dives intulit.

Sic & D. THOMAS alicui malè cœpisse videbitur, cùm Dominicæ Resurrectionis aut nimis curiosus indagator fuit, aut de ea dubitavit, aut etiam si voles (& sonant Christi verba) incredulus fuit. At finivit peroptimè; fidem enim quam hauserat ab attactu sacrorum vulnerum, & retinuit in seipso *D Thomas fidelis.*

quàm firmissimè, & aliis etiam impressit eo nisu, ea constantia ac firmitate, quam nec ipsi revellent inferi; in quo sanè ex Domini sui vel oraculo, vel etiam præcepto, fidelis fuit.

Fidelis, inquam, ac firmus sibi in fide ac virtute.

Fidelis aliis, quos & hac & illa imbuit, effuso magna Orbis parte Dei verbo, ceu semine quodam cœlesti.

Fidelis in angustiis, in periculis, in vinculis, in carceribus.

Fidelis denique in ipsa morte pro Religione, pro Christo, pro Deo fortiter obita; quod more meo paucis ostendo.

I. Fidelis in se.

Orat. 20. D. Gregorius Nazianzenus S. Basilii parentes à Religione ac Fide in seipsis stabiles & firmos altiore voce usus appellavit *Spirantes columnas.*

Epist. 61. D. Hieronymus Epiphanium Cypri Antistitem à fide in Deum longè firmissimum, esse dixit *Columnam veritatis ac Fidei.*

Lib. 6. Ep. 1. Sidonius Apollinaris Lupum Tricassinum inconcussæ Fidei Præsulem *Columnam virtutum* nominavit.

Lib. 14. Histor. Nicephorus B. Cyrillum Alexandrinum, qui concussam Ecclesiæ pacem, fide, consilio, authoritateque sustentarat, *Columnam & fastigium Fidei* esse pronuntiavit.

Serm. 13 de verb. D. m. D. Augustinus alia voce usus, & Apostolos & Viros Apostolicos *Firmos Ecclesiæ* censuit esse nuncupandos. *Epist. ad Tarsens.* Divus verò Ignatius unico verbulo *Firmos* esse ac dici voluit.

Quod si ita est (uti ex verò est) & D. THOMAS *Columna* fuit, & *spirans* quidem.

Columna fuit *Veritatis* ac *Fidei* imò & *Virtutum* omnium *columna & fastigium Fidei*, verbo uno ut omnia complectar, *Firmus Ecclesiæ* fuit, omninò *firmus*.

Nosse vis qui quantumque firmus, attende paucula illius voces, quas fides animo jam concepta expressit: *Dominus meus & Deus meus.*

D. August. Serm. 130. de Temp. *Redit nimirum celsitudo de profundis, lux de tenebris, vita de morte.* Hanc oculis, hanc etiam tactu usurpat D. THOMAS, & exclamat illicò: *Dominus meus & Deus meus. Fixuram perspicit corporis, & Deum prædicat majestatis.*

Fixuram eandem Dominici corporis priùs perspexerant & alii Discipuli, & tamen, ut annotat Evangelista, *existimabant se spiritum videre, nec in iis sedabantur cogitationum bella, sed magis magisq; crescebant, & tumultus mentium ipsis etiam visionibus augebatur; & unde Resurrectionis asserebatur fides, inde totius cunctationis scrupulus nascebatur*, ut disertè advertit D. Chrysologus. *Chrysolog. Serm. 81.*

Verùm in D. THOMA viso jam Domino, nulla amplius cogitationum bella, nulli mentis tumultus, nulla cunctatio, nullus omninò scrupulus; sed alta ac secura fides, quieta liberaque confessio: ingeminat enim illud fidei, amoris ac reverentiæ plenum: *Dominus meus & Deus meus.* Ita nimirum, ut observat D. Chrysologus, *Serm. 84.* etiam *per penalis corporis passiones Deum & Dominum esse Christum* confitetur. Et verè Deum, *qui vivit ex morte, resurgit ex vulnere.*

II. Fidelis in aliis.

Ecce ut in seipse fidelis, ut firmus D. THOMAS, attende qui etiam in aliis. In ea Orbis Universi partitione, quæ inter Apostolos fuit, ei obtigit India, ut vastissima regio, ita vel maximè inculta & barbara. In eam magnis itineribus quà terra, quà mari perrexit futurus in illa quod D. Hieronymo teste in Gallia S. Hilarius: *In Psal. 51.* *Inter procellas mundi magnus sustentator Ecclesiæ.*

At cujus inquies mundi? Certè utriusque, & Orientis & Occidentis; & hunc enim & illum amœna quadam fidei luce illustravit: quod luculenter ostendunt relicta in illis Religionis Christianæ vestigia, ex quibus constat non modò in Indiam citeriorem, sed & ulteriorem, imò & Americam ipsam atque novum Orbem penetrasse.

Ita certè de eo scripsit Emmanuel Nobrega noster ex Brasilia Anno Domini 1552. Habent incolæ S. THOMÆ notitiam, eumque illac iter aliquando fecisse à majoribus suis acceperunt, & vestigia quædam illius etiamnum cerni posse propè quemdam fluvium affirmant: quod ut certiùs cognoscerem, inquid Nobrega, ipse adii, & attentiùs inspexi pedum & digitorum vestigia.

His addit Nierembergius constare sibi exploratis testimoniis apud Tajacobæ Indos in Occidente vigere ejus Apostoli memoriam variis argumentis confirmatam, atque imprimis semita quadam, qua tenent Apostolum inde ad Peruana profectum esse regna.

Traditio quoque est in regionem Paraquarii venisse, ac deinde in Paravam, quod produnt iis in locis, & in profunda illa Occidentis Barbarie relicta Religionis Christianæ vestigia, quæ non ab alio, quàm à D. THOMA impressa fuisse videntur.

Cujusmodi sunt Crux in Cusco marmorea, & altera in regno Jucata; uti & confusa quædam SS. TRINITATIS cognitio in Chiapa.

Ecce quò penetravit fidelis Christi servus: Ecce ut in Orientem, in Occidentem novosque Orbes evasit, ut de illo vel maximè verum esset quod de Apostolis generatim dictum:

In omnem terram exivit sonus eorum. Et *Cœli enarrant gloriam Dei.* *Psal. 18. v. 5.* Cœli, inquam, id est Apostoli, *à terra* scilicet *suspensi, dominum portantes, præceptis tonantes, sapientia coruscantes.* *D. Bern. in Cant. ser. 27.*

Et ita Dominum portavit Apostolus, extulitque in Indias etiam illud de Christo solemne testimonium: *Dominus meus, & Deus meus.*

Ut in illum quoque caderet istud Isaïæ: *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam & dilaceratam* (ad Indos scilicet utrosque) *ad gentem, cui diripuerunt flumina* (imò & maria) *terram ejus; ad gentem expectantem* à tot retrò sæculis Messiam suum ac Liberatorem; *Cap. 18. v. 2.* *ad populum terribilem*, ad Brasilos, ad Antropophagos. *Ite* inquam *veloces*, ite boni Angeli, boni nuntii: & sic ivit D. THOMAS, imò & evolavit insigni animarum zelo, ceu pennarum remigio subvectus; non hominem dixisses, sed alitem, qui ab uno Orbe in alium evolaret; dignum Cœlitibus, dignum Angelis, dignum Deo spectaculum. Ut enim verè Theodorus Studita: *Homo ales, insolens Angelus, & hominibus spectaculum in mundo & supra mundum.* *Catech. 35.*

III. Fidelis in periculis.

Vidimus qui in annuntiando Dei verbo fidelis fuerit D. THOMAS; attendamus quomodo etiam in periculis, ipsaque mortis impendentis imagine, qua tum in Deum fide, qua fiducia. Ea certè qua per flumina, per ignes transiret innoxius.

Hauserat nimirum altéque in animum admiserat illud Dei sui per Isaiam oraculum: *Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te* *Isai. c. 43. v. 2.*

Inde cùm à tergo instaret, pedemque ferè pede premeret immanis persecutor, dum se ad majora servat certamina, & huic subducere se tentat, ad fluvium venit, qui illico ad Apostoli fidem ac benedictionem divisis aquis siccum alveum transeunti reliquit, dum hinc & inde quasi pro muro essent aquæ, quæ ne viam darent persecutori; cùm transisset Apostolus iterum coalescebant atque jungebantur. *Emmanuel Nobrega.*

Qui ab aquis transitus D. THOMÆ datus est, datus & à sylvis etiam densioribus; hæ enim illi persecutorem fugienti non semel visæ sunt cessisse, & viam fecisse liberiorem, quæ priùs implexis inter se ramis & impedita erat & penitus invia. Crederes etiam sylvis sensum inesse, uti & aquis, ad Apostoli fidem atque nutum; ita huic & illæ & istæ parebant.

Sic Apostolo sub Dei tutela ac præsidio constituto nullus inerat metus, nulla trepidatio.

Quis enim ei de sæculo metus est, cui in sæculo Deus tutor est? ut eleganter D. Cyprianus. *De Orat. Dominica.*

Spectavi-

IV. *Fidelis in morte.* Spectavimus quo in periculis animo, qua fide fuerit D. THOMAS; spectemus etiam qua in morte: hanc apud Superos pretiosam, apud Deum fidelem faciunt duo; *Vita* scilicet & *Causa*. *Vita* quidem si ex Dei legibus, nutu, ac voluntate peracta, si virtutibus ornata, si dives meritis, si gratia locuples: *Causa* verò si pro Fide, pro Religione, pro Deo fortiter obita. Ita D. Bernardus, cujus hoc effatum illustre:

Epist. 98. *Res duas mortem facere pretiosam, vitam & causam; sed amplius causam, quam vitam; illam verò esse pretiosissimam, quam & causa commendat & vita.*

Quod si ita est, D THOMÆ mortem pretiosissimam fuisse necessum est; quia eam mirum quantum commendavit & *Causa* & *Vita*. *Vita* quidem exacta per immensos animarum causâ labores, per suscepta quà terra, quà toto propè oceano itinera, longasque peregrinationes ad ultimos usque Orientis atque Occidentis fines, & hoc quidem in media barbarie, in qua nihil humani solatioli; at tædii, laboris, doloris ac periculi plurimum: in qua nihil nisi feroces minæ, truculentæ voces & acerbiora facta: in qua & ferrum & sagittæ & ignes & rogi & obvia passim imago mortis.

Hæc B. Apostoli non semel objecta oculis, aliquando tamen excussa, at tandem annuente Cœlo admissa.

Nobrega supra. Excussa quidem divinitùs, cùm sagittæ à Barbaris, densæ illæ, & nubis instar in eum immissæ, vi altiore in ipsos authores ac sagittarios reflexæ ac remissæ.

Admissa verò cùm ab Indiarum Rege per summam immanitatem jussus est lanceâ confodi atque transfigi, Deo ter Opt. ter Max qui eum aliàs etiam miraculo non semel servarat, tum quasi connivente, ut magna illa mens Cœlo jam matura, per hiantia vulnera, & immanes plagas, ceu totidem portas, abiret è mortali corpore, ceu carcere, in sinum æternæ Beatitatis.

Et hæc *causa* mortis, quæ eam fecit longè pretiosissimam; *Causa*, inquam Religionis ac Fidei, quam Indis, subjectis sibi populis, inferri dum non sustinet Rex impius, Apostolum è medio tollit, & terris quidem eripit; at Cœlis donat ac Beatitati.

Hanc ingressus, diu jam à Superis, ipsoque summo Numine expectatus. Quidni enim expectatum dixerim post tot exantlatos labores, tot curas, tot vigilias, tot certamina? Ita certè expectari solet fidelis Dei servus,

Ita expectatus *S. Bernardus Episcopus Viennensis*, in cujus ultimo agone, cùm anima jam esset in extremis labris, auditæ illæ voces: *Veni, expectaris.* *Bollandus in ejus vita 23. Ian.*

Ita expectatus *S. Magnus*, in cujus è terris exitu feliciore, à *S. Tozzone* Episcopo Augustano, & *Theodoro* Monacho, aliisque, exceptæ hæ è Cœlis voces: *Veni, Magne, suscipe coronam quam tibi Dominus præparatam habet.* *Bollandus in vita S. Tozzonis, 16 Ian.*

Ita denique (ne ad alios deflectat oratio) expectatus D. THOMAS, Christo in paucis fidelis servus; in cujus extremo pro Fide proque Religione certamine, inter lanceas & vulnera ab Angelis in Cœlo jactatæ sunt illæ voces: *Veni, expectaris.* Veni fidelis serve, & in Domini conspectum sinumque devola: *Veni*, inquam, verè per omnia magne in terris Apostole, & accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit.

Ita porrò venit: atque utinam veniamus & ipsi aliquando. Veniemus autem, si virtutum illius æmuli, si laboris consortes, si socii passionum fuerimus; si ut ille insigni animarum zelo, nec sudori nec vitæ parcamus ipsi; si ut ille ingentia animarum spolia priùs Cœlo intulerimus, mox deinde secuturi.

IN FESTO
SANCTI STEPHANI
PROTOMARTYRIS.



DIVUS Chrysologus ut ostendat quomodo etiam in ipsis Sanctorum nominibus ludat Divina providentia, & futuræ eorundem magnitudini præludat.

Primum illud astruit à simili: *Sicuti Dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur; ita nomina ipsa sæpè Sanctorum merita indicant, testantur insignia.* Quod ut probet, exempla petit ex omni retrò antiquitate. *Serm. 154.*

Ita Abraham quod fide credidit, nominis adjectione monstravit; quando ex Abram Abraham divinitùs nuncupatur, ut dilatandus genere, nomine ante dilataretur.

Sic conjux ejus cum de sterili fit fœcunda, ex Sarai vocitata est Sarah, ut & ipsa antè crescat nomine, quàm crescat pignore.

Sic & ipsa *risum, mox quod genuit nuncupavit, & hoc aptavit in nomine, quod sensu passa est cùm rideret; vocavit enim nomen ejus Isaac, quod interpretatur risus.*

Sic & Iacob, qui in utero cœpit antè luctari quàm vivere, antè viribus superare, quàm membris, etiam inter viscera materna supplantatoris vocabulum est consecutus.

Ubi ista ex antiquioribus illis sæculis exempla deduxit, & felicium nominum quasi prælusia: tum delabitur ad recens enatam Ecclesiam, in qua Apostolo-

Apoſtolorum primus *Petrus à Petra nomen adeptus eſt, quia ſcilicet primus meruit Eccleſiam fidei firmitate fundare.*

Et Martyrum primus *Stephanus vocatus eſt à corona*; tum *qua primus meruit pro Chriſti nomine ſubire conflictum*; tum etiam *qua primus meruit ſanguine ſuo militum Chriſti Martyrium dedicare*; tum *quia Martyrum primus purpuratum duxit exercitum*, utpote *qui pro Domini ſui adhuc calente ſanguine, ſanguinem ſuum avidus bellator effudit*; tum denique *quia cruore proprio tinctam ſibi ipſe purpuram conquiſivit.*

Et hinc *meritò à Rege ſuo conſecutus eſt poſt coronam, qui jam cùm naſceretur nomen ſortitus eſt corona.*

Vides, Amice Lector, quomodo prima cum extremis bellè conſentiant: in primo vitæ limine *Stephanus* dicitur, id eſt *Corona*; in extremo etiam conſequitur coronam, & quidem cœleſtem illam ac beatam: Priuſquam hanc oculis, hanc animo ſpectemus; in arenam cum ipſo cogitatione deſcendamus: ubi tamen priùs

EX D. THOMA.

Cap. 6. ARgumentum ſacræ dictionis ſumit ex illo Actorum loco: *Stephanus autem plenus gratia*: hæretque in ipſo nomine.

Stephanus Corona. *Stephanus* enim idem eſt quod *Corona*. Eſt autem, inquit, Sanctis quadruplex corona.

I. Argentea. Prima, eſt *Argentea*, index nivei candoris & puritatis animi. De hac olim Zacharias Vates: *Sumes Argentum, & facies coronas, & pones in capite Ieſu filii Ioſedec Sacerdotis magni.* Cap. 6. v. 11. Et hac ornatus B. STEPHANVS, cui mens nivea & caſta, cui mores candidi.

II. Stellea. Secunda, eſt *Stellea*. Et hæc eſt nota ſcientiæ ac Sapientiæ, qua qui clareſcunt, in Eccleſia, ceu Cœlo novo, nitent ac micant ut Stellæ in firmamento. Hac Ioannes Chriſti Scriba, conſpicuam vidit excelſam animam, ſub typo mulieris, *in cujus capite* Apoc. c. 12. v. 1. *corona Stellarum duodecim.* Et hac quoque inclaruit D. STEPHANVS, cujus ſpiritui & ſapientiæ nec perfidus Iudæus reſiſtere potuit.

III. Aurea. Tertia, eſt *Aurea*: & in hac eminet perfecta in terris caritas, & beata in Cœlis jucunditas, De hac Eccleſiaſticus: *Corona Aurea ſuper mitram ejus.* Cap. 45. v. 14. Hac verendus olim Moyſes & Aaron, & hodie D. STEPHANVS, qui vidit *Cœlos apertos; & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei*; & inde incenſus amor, & ardor, & imago coronaque gloriæ.

IV. Gemmea. Quarta, eſt *Gemmea*. Et in hac relucet beata Æternitas, quam Vates Regius extulit poſuitque in capite Iuſti, ut *Coronam de lapide pretioſo*: Pſal. 20. in hac quot lucent radiantque gemmæ, tot ſunt virtutes, quæ ex vero animi gemmæ ſunt. Et hac quoque illuſtris fuit D. STEPHANVS, utpote virtutibus omnibus exornatus.

Ubi ex D. STEPHANI nomine has coronas ſub oculos poſuit; Malis etiam ſuæ Coronæ. tum adjicit, etiam malis ſuas eſſe coronas, & quidem quatuor:

Prima, eſt *Florea*: & hæc texitur è putida carnis I. Florea. voluptate, ad quam dum aſpirant ſtulti, ſic apud Sapientem: *Venite, coronemus roſis.* Sap. c. 2.

Secunda, eſt *Frondea*: & illa colligitur ex aliis at- II. Frondea. que aliis mundi vanitatibus ab ſuperbia, cui Iſaias intentat mœſtum illud ac fatale: *Væ coronæ ſuperbiæ.*

Tertia, eſt *Aurichalca*: & hæc implexa & contexta III. Aurichalca. eſt divitiis ſæcularibus, quæ veræ divitiæ non ſunt, ſed apparentes; uti nec aurichalcum verum aurum.

Quarta, eſt *Spinea*: & hæc reſervatur pœnis æter- IV. Spinea. nalibus, in quibus eſt corona, hoc eſt malorum ac pœnarum æternitas numquam terminanda.

Elige, mi Lector; quas tibi dum vivis ac ſpiras contexere velis coronas; an eas, quas ſibi D. STEPHANVS, & Sancti omnes atque Electi; an eas quas mundani ac reprobi. Elegiſſe benè aut male, æternum erit.

Et hæc D. Thomas feſto die S. STEPHANI, de quo nihil invenio in D. Bonaventura; ideoque ad Evangelicæ hiſtoriæ feſtique ſeriem deſcendo.

QUÆSTIO UNICA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ieruſalem, Ieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt.* Matth. c. 3. v. 37.

CUR AIT, QUÆ OCCIDIS ET LAPIDAS (quod præſentis eſt temporis) non verò, quæ occidiſti & lapidaſti (quod erat præteriti?)



HÆc olim Servator Optimus ad Ieruſalem, cujus nomen repetit ac geminat ex affectu vel dolentis, vel miſerentis, vel etiam amantis, qualis eſſe ſolet in Parente quàm optimo, ut notat D. Hieronymus.

At cur ait, quæ *occidis & lapidas?* Enimverò tum temporis nec occidere, nec lapidare quemquam.

Ideòque D. Chryſoſtomus explicat, quæ vis occidere & lapidare: hoc enim facinus jam mente concepiſſe, jam tenere videbatur; non re quidem ipſa, ſed animo, ſed voto.

Alii, in *aurea catena*, Quæ *occidis & lapidas*, hoc eſt, quæ pro more habes, & inſolita jam conſuetudine occi-

ne occidis ac lapidas, & eò quidem ut illa consuetudo jam tibi in naturam versa videatur.

Alii denique volunt Christum cùm hæc efferret, quasi præsentem, & sub oculis habuisse STEPHANUM, qui proximè ab ejus morte lapidibus erat obruendus, & hinc objecisse funestum: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis & lapidas eos.* Atque emphasis in hac vocula, *Eos*, & quis ille, quem animo, quem voce designabat Christus?

Stephanus, id est, *Corona.*

Serm. 3 de Sanctis. STephanus, *qui* (ut eleganter D. Augustinus) *adhuc Laicus Diaconi meruit electionem, & Levita Martyrii obtinet Principatum in plebe adhuc positus erat, sed jam virtutibus eminebat: Humilis erat, sed celsus fide: Discipulus erat ordine, sed factus est Magister exemplo*; exemplo scilicet Virtutum omnium; quas vel ipso nomine præferebat: est enim primò

Corona symbolum Castitatis.

ANtiquiores Sophi per coronam, pudicitiæ victoriam ac triumphum notare voluerunt. Hinc sponsi in solemni nuptiarum pompa coronati incedebant, in servatæ pudicitiæ argumentum ac honorem, ut scitè animadvertit D. Chrysostomus:

Hom. 9 in 1. ad Timoth. *Ideo*, inquit, *coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ signa sint, quod videlicet antea libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur.*

Sponsus erat STEPHANUS, cui pro Sponsa erat Ecclesia; sed Sponsus longè alius ab antiquis illis: hi enim post nuptias, in thalamo geniali, florentes illas pudicitiæ ac virginitatis coronas ponebant, ac quodammodo devenustabant: at STEPHANUS nec coronas unquam ponet, nec rosas liliáque sua marcescere sinet; florebunt illa ad usque extrema vitæ mortisque confinia.

Apostoli quibus incumbebat princeps animarum cura, & quorum erat eas Dei verbo, ceu cœlesti pabulo pascere, aliis putarunt & corporum & fortunarum curam esse relinquendam. Et inde cùm in Ecclesia nascente communia propè essent omnia, utpotè quæ jam abjecta essent ad ipsos Apostolorum pedes, de omnium consensu Viros septem elegerunt, qui illi caritatis officio, id est eleemosynis, bonisque ex æquo distribuendis præessent: Viros unque à continentia, insignique castimonia illustres, quos inter facilè Princeps STEPHANUS, in cujus ore fronteque, ceu nativa sede, emicabat virgineus pudor, & cognata Angelis castitas; quam omnes in eo suspicere, amare, revereri; etiam quod mireris & ipsi Judæi, licèt ira ac furore præcipites, licèt in saxa mortemque innocentis victimæ ruentes.

Act. c. 6. v. 15. *Viderunt* enim *faciem ejus, tanquam faciem Angeli.* Ita nimirum (ut disertè S. Hilarius Arelatensis) *abundantia cordis transierat in decus corporis, & in faciei pulchritudinem candor splendorque animi exundabant, ac abscondita pectoris ornamenta in speculo frontis irradiabant,*

Hom. de S. Stephano. *atque cùm haberet in se Spiritum sanctum, os præ se ferebat Angelicum.*

Hæc S. Præsul, ex quo ad institutum meum pauca velim oculo notes:

Primùm, quod *candor & splendor Animi*, qui utique erat à candore niveæ mentis ac castitatis, exundaret in ipsam faciei pulchritudinem.

Alterum, quod *abscondita pectoris ornamenta in fronte, ceu speculo, irradiarent.* Ubi enim potiùs? Est quippè frons pudoris sedes, speculum castitatis, in quo etiam abscondita videas pudici pectoris ornamenta; ascendunt enim hæc in frontem, & ex ea se produnt.

Lib. 1. de Virgin. Postremum est, quod *os præferret Angelicum*: Quod enim aliud? *Castitas* (inquit D. Ambrosius) *Angelos facit: qui eam servavit, Angelus est; qui perdidit, diabolus.*

Quod si Castitas Angelos facit, & qui eam servavit Angelus est; certè etiam STEPHANUS Angelus erat, ut qui castitatem imprimis servasset; & omnes qui servarint etiam Angeli.

Sic è Prophetis unus dictus est *Malachias*, id est *Angelus Domini.*

Sic Joannes Baptista etiam oraculo Primæ Veritatis appellatus est *Angelus.* *Matth. c. 11. v. 10*

Sic S. Urbanus Pontifex à B. Cœcilia, in vultu Angelico, Tiburtio & Valeriano est demonstratus; quod morum integritate, & vitæ castimonia Angelum referret.

Quod si & hi & illi ab hac etiam Angeli, si facie & vultu Angelico: quid mirum si Judæi ab eadem B. STEPHANI faciem viderint tanquam faciem Angeli; mirabili profectò atque amabili spectaculo: quod deinde votis omnibus ambivit sanctus Sozimas, qui cùm & Mariæ Ægyptiacæ, & Anachoretarum Angelicam vitam audisset, sic olim ad Dominum: *Ostende mihi Domine in corpore Angelum.*

Certè si Dominus illi tum STEPHANUM ostendisset, etiam Angelum in corpore ostendisset. Angelum dico, cui, ut ait S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Castitas* erat *Angelica corona.* *Catech. 12.*

Corona symbolum sacri & religiosi Ordinis.

APud Antiquos, qui habiti sunt in paucis Religiosi, dicti sunt *Nazaræi*, hoc est *coronati. Nezer* enim (unde dicti Nazaræi) *coronam* significat; à quo etiam Religiosos S. Gregorius Nazianzenus appellavit *Nostrates Nazaræos*, hoc est *Coronatos*, & *Orat. 20.* ab illa corona Deo ac Religioni peculiari quodam modo consecratos: qui etiam dicti sunt στεφανηφόροι, & eorum corona, *ἱερατικὸς στέφανος*, *sacra corona* est appellata.

Et talis fuit D. STEPHANI, qui eam, quam deinde accepturus erat ex sacro ordine, vel ipso prætulit in nomine, ut exinde nosces Deo ac Religioni aliquando consecrandum.

Et ita factum est Anno à Nativitate Christi trigesimo quinto, eodem scilicet quo & è terris in Cœlos ascenderat: tum enim ab Apostolis in Diaconorum Ordinem adlectus est, & sacris initiatus religioso ritu; à quo se totum Deo, Religioni salutique animarum dedicavit.

Postquam enim caritatis officiis vacasset, eleemosynas pauperculis, orphanis, viduis ex æquo distribuendo; tum quod reliquum erat temporis impendebat curandis animabus, & proseminando Dei verbo, & hoc beneficiò officioque Coronæ Diaconalis, qua ornatus Dei cultum ac Religionem studebat impensiùs promovere, quà voce, quà exemplo, quà etiam miraculis, quibus à suscepto Ordine mirum quantum inclaruit, ut inde agnosceres, quantum à corona gratiæ, quantum accessisset potestatis; antequam enim hac ornaretur, nec eum zelum sic induere, nec Dei verbum prædicare, nec miracula facere, ut advertit D. Chrysostomus. Hac verò donatus, ut Religionis nota; & in Synagogis de Fide disputare, incredulos percellere, & Fideles confirmare ea vi, ea verborum efficacia, ea elatæ mentis sapientia, cui ne unus omnium par esse posset.

Erant eò loci Synagogæ aliæ atque aliæ, ceu totidem Scholæ sacrarum artium: in quibus quinque facilè principes; videlicet, Libertinorum, Cyrenensium & Alexandrinorum, & aliæ duæ à Cilicia & Asia, in quibus adolescentes è Judæa tota imbuebantur melioribus disciplinis; in Moysis lege, præceptis, cæremoniis, traditionibus. In his enim & illis summa erat doctrinæ atque eruditionis Judaicæ.

Ex his porrò Synagogis, velut è sacrariore quodam lycæo, erumpebant frequentes, qui cum STEPHANO disputare & congredi auderent: sed semper ejus oratione ac sapientia victi discedebant.

Vincebat nimirum triumphabatque STEPHANUS, & in bonis mentibus miram faciebat inclinationem animorum ad Christi ac Domini sui Fidem ac Religionem. Tanta vis in STEPHANO, hoc est in sacratiore Religionis corona; Religionis dico, imò & omnis sanctitatis: est enim etiam

Corona symbolum Sanctitatis.

MEssiam olim vates Regius velut Nazaræum depinxit, hoc est totius perfectionis orbe coronatum: sic enim de illo in sacratioribus odis.

Psal. 131. v. 18. *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea.* In Hebraica lingua est: Super ipsum efflorebit *Nazareatus meus*; pro quo S. Hieronymus vertit: *Corona mea*; quasi idem omninò sit & *sanctificatio & corona.* Et verò in Messia idem erat.

Verùm in aliis etsi corona non sit ipsa sanctificatio: attamen index est, & nota quædam eximiæ sanctitatis; quam scilicet portendebat jam inde à cunis, STEPHANI, id est Coronæ augustum sanctumque nomen; quod non inane & boni vacuum fuit, ut in aliis plerisque.

Act. c. 6. v. 5. Appello Scripturæ fidem atque authoritatem: ab hac dicitur STEPHANUS *plenus fide & Spiritu Sancto*, etiam ex tunc cum in Diaconum electus est: ac deinde *plenus gratia & fortitudine.* (Vers. 8.) Is denique cujus *sapientia & spiritui* nemo resistere posset. (Vers. 10.)

Ecce STEPHANUM, ecce Coronam, ecce Sanctificationem, quæ omnes omninò complexa est virtutes.

I. Fides. Ac primò quidem *Fidem*: Quam enim potiùs? Excelsa illa STEPHANI mens, ceu fertilis ager, proferre debuit uberrimam virtutum omnium, ceu fructuum sementem, adeóque illi primum injici Fides. *Fides enim semen est, quod exurgere debet in spicam sancta operationis*, ut inquit B. Petrus Damianus. (Serm. 19. de S. Anthonio.)

Non debuit esse sterilis; sed fæcunda, sed multo virtutum fœtu læta mens STEPHANI: ut ea porrò esset, primùm ingenita illi *Fides virtutum mater*; ut scitè Antonius in Melissa. (Serm. 1.)

Debuit animo STEPHANI esse veluti sacrum quoddam altare Domini, in quo opera bona, ceu gratæ Deo victimæ litarentur: *Et Altare Domini est Fides, super quam omnia bona sanctificantur Domino*, ut annotat Ugo Carensis. (In c. 19. Isai.) *Et Sanctus Altare Domini in se habet, quod est Fides*, ut inquit D. Hieronymus. (In Psal. 25.)

Quod si Sanctus omnis Hieronymo judice Fidem in se habet, ceu *Altare Domini*; certè eam in se habuit D. STEPHANUS, & quidem in altissimo excellentiæ gradu: fuit enim illa *plenus*; & in ea Fide tamquam Altari virtutes alias omnes, ceu cœlestes victimas, Deo immortali obtulit.

Fuit enim & *plenus gratia*, adeóque etiam aliis virtutibus omnibus, quæ Gratiæ filiæ sunt, aut comites, aut pedissequæ.

Et hinc etiam altissima Spe erectus, ardentissimaque in Deum Charitate incensus: hæ enim virtutes aut Gratiæ filiæ sunt, aut, si velis, comites. Est enim gratia virtutibus aliis quod in homine anima est potentiis; illarum scilicet fons, origo, & veluti principium primum, quod in ipsius animæ substantia residet, cùm virtutes aliæ sint in potentiis: Fides quidem in intellectu; Spes autem & Charitas in voluntate.

Ad has porrò virtutes, quas Theologicas dicimus, accedunt aliæ: vel Cardinales; ut sunt Justitia, Prudentia, Temperantia, Fortitudo: vel Morales; ut est imprimis Religio, Obedientia, Humilitas, Castitas, & similes, quæ Gratiam sequuntur ut Reginam pedissequæ.

Et his omnibus ornatus STEPHANUS, ceu cœlesti quadam Virtutum corona, consentanea scilicet & consona ipsius nomini.

Et quidem primo Spe ardua: *Cùm enim esset plenus Spiritu Sancto*; vel ut Syrus vertit *Plenus fide & spiritu sanctitatis, intendens in Cœlum.* Ecce Spem altissimam, qua seipse erigit, & supra omne, quod humanum, quod terrenum est, attollit. Ita quippè evenire solet. (Act. c. 7. v. 55.) II. Spes.

Qui *Spiritu Divinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiat & æternis*, ut inquit hic B. Petrus Damiani. (Serm. de S. Stephano.)

Et ita tum inhiabat D. STEPHANUS, qui afflatus quodammodo Spiritu Divinitatis, & terrestria calcabat omnia, & ad cœlestia ac divina totus anhelabat: quod ut faceret impensiùs, objecta illi gloria Dei, quæ objectum est Spei.

An autem ea gloria objecta clarè ut est in seipsa, an subobscurè tantùm, vel etiam in imagine aliqua speciéque, aut menti impressa, aut coram oculis supposita, adhuc est in controversia; dum hic unum asserunt, alii aliud.

S. Gregorius Nyssenus opinatur gloriam illam, fuisse ipsammet Dei Essentiam, sicque ait D. STEPHANUM, *Vidisse ipsum Lumen in Lumine Dei, plena mentis comprehensione, atque Deum & Trinitatem.* (Orat. de S. Stephano.)

D. Augustinus, *Vidisse revelata facie Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* (Serm. 94.)

Alii nec Deum, nec Dei gloriam vidisse ut est in seipsa; sed imaginem dumtaxat, speciemque, illius phantasiæ altè impressam; uti priùs Isaias Deitatem & Trinitatem viderat per schema quoddam corporeum.

Dionysius Carthusianus censet hanc D. STEPHANI visionem fuisse merè intellectualem atque ecstaticam, qualis esse solet in raptu mentis & ecstasi.

Cajetanus existimat STEPHANUM vidisse *Gloriam Dei*, id est claritatem aliquam corpoream, cœlestem illam atque augustam, quam etiam corporeis oculis usurpavit, & quæ index esset intimæ & singularis cujusdam Divinæ præsentiæ ac majestatis: qualis etiam olim concessa Moysi, & de qua illud Exodi: *Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens.* (Cap. 24. v. 17.)

Ecce quæ opiniorum inter se pugna; in qua primæ lubens adhærebo, quæ est D. Gregorii, & D. Augustini, cujus etiam hoc effatum: *Ecce videt Deum, qui jam migrabat ad Deum.* Et hinc etiam *inter mortuos clamabat, qui inter lupos coruscabat.* (Serm. 99 de diversis.)

Ecce, inquit, *video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* (Vers. 55.)

Ita nimirum *Charitas, quæ de Cœlo ad terras deposuit Christum, ipsa Stephanum de terra elevavit ad Cœlum. Charitas, quæ præcessit in Rege, ipsa subsequenter refulsit in milite.* (S. Fulgentius Serm. de hoc festo.)

III. Charitas. *Charitas*, inquam, quæ nec *tanto sævientium agmine potuit superari.* Et hinc illæ ad Deum voces: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* (Vers. 59.)

Sic nempè *Stephanus ut nominis sui coronam meruisset accipere, Charitatem pro armis habebat, & per ipsam ubiq; vincebat.*

Per Charitatem Dei sævientibus Iudæis non cessit; per Charitatem proximi pro lapidantibus intercessit.

Per Charitatem arguebat errantes ut corrigerentur; per Charitatem pro lapidantibus orabat ne punirentur.

Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem: & quem habuit in terra persecutorem, in Cœlo meruit habere consortem.

Sic D. STEPHANI *sancta & indefessa Charitas, desideravit orando acquirere, quos nequivit monendo convertere.*

Et verò re etiam ipsa acquisivit: ut enim eleganter ac nervosè D. Augustinus: *Ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus*; ex quo deinde & illud secutum est boni, ut *quod fecit Saulus,* (Hom. 1 de S. Stephano.)

patitur

patitur Paulus; quod fecit persecutor, patitur Prædicator; & quod fecit lupus, patitur Agnus; quia de illo verissimum & illud Christi ad Ananiam oraculum: *Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* *Act. c. 9. v. 16.*

Et hæc Pauli conversio ut debita STEPHANO; sic & ejus corona, quamquam & magis corona Charitatis illius, quæ est corona virtutum, coronaque sanctitatis.

Ad hanc & illam aspiras, benevole Lector, age, esto inimicis tuis quod suis STEPHANVS; imò quod Christus: hujus exemplo non tantùm ille indulsit; sed pro iis quoque oravit, etiam hæc dicens ore eloquentiaque D. Augustini:

Supra. *Ego patior, ego lapidor, in me sæviunt, & in me fremunt; sed ne statuas illis hoc peccatum, quia ut hoc dicam tibi, à te primo audivi. Ego servus tuus patior; sed multum interest inter me & te. Tu Dominus, ego servus. Tu Verbum, ego auditor verbi. Tu Magister, ego discipulus. Tu Creator, ego creatura. Tu Deus, ego homo. Multum interest inter peccatum istorum qui lapidant me, & illorum qui crucifixerunt te. Quando ergo dixisti, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; pro magno peccato petisti, & me pro minimo petere docuisti.* Ideóque, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Ego patior in carne, isti non pereant in mente.*

Hæc S. STEPHANVS apud Augustinum; quocum & sentire & loqui debes, si is modò sis, qui esse vis à Christo Christianus; si in ejus schola probè doctus, uti docti fuerunt etiam in aula & purpura magni Principes. Ac ne credas injurias remittere, esse tantùm eorum qui in Asceteriis & severiore disciplina nutriuntur. E multis duo producam exempla: Unum è virili masculoque sexu; alterum è fœmineo ac molliore.

De Montaigne, l. 1. c. 23. Ducem Guisium Rhotomagensi obsidione occupatum nescio quis Sicarius ab hæreticis ad id sceleris pretio emptus, occidere voluit.

Deprehensus à Duce, rogatúsque an aliquando à se læsus: negavit ille, addiditque non aliâ de causâ cædem eam meditatum esse suorum impulsu jussúque, quàm quòd Evangelio novo obsisteret.

Cui illicò Dux: Tua religio innocentes opprimit ac tollit: mea verò etiam nocentes servat. Utque scias quantum vetus Evangelium præstet novo, vitam tibi & meditati facinoris veniam concedo.

In ejus vita. Hæc ille animo principe & Christiana Charitate: Nec minora in votis habuit Margareta Austrica Hispaniarum Regina, quæ ad illa Dominicæ orationis verba, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, in singultus ire, in gemitus, in lacrymas; vel eò tantùm quòd nulla sibi fieret injuria, quam ex Domini sui vel præcepto, vel etiam exemplo dimitteret.

Et is fuit Augustissimæ juxtà ac pientissimæ Reginæ sensus: & is quoque noster esse debet, si ad cœlestes cum STEPHANO coronas aspiramus.

Corona symbolum Martyrii.

INvaluit apud Antiquos ille mos, ut hostiæ victimæque Deo offerendæ coronarentur. Hinc illod Tertulliani de Corona Militis: *Ipsa hostia & ara coronantur.* Et hoc Prudentii

Huc taurus ingens fronte torvâ & hispidâ,
Sertis revinctus deducitur.

Hujus avitæ consuetudinis alia atque alia fuit ratio: Una ut triumphantis in morem ad aras ducerentur, vel hoc uno veluti beatæ, quòd victimæ Deo caderent, vitamque ei, à quo acceperant, redonarent.

Altera, quia ut Corona gaudii & lætitiæ symbolum est; sic & illâ indicaretur quàm volupe esset ad aras emori Divisque occidere.

Postrema denique, quod ut Corona imperii ac gloriæ symbolum est; sic & illis, qui sic caderent gloriæ esset; imò & quædam inauguratio cœlestis principatus, quem à morte statim essent adituri.

Et hæc ratio quàm verissima est in Martyribus, qui pro virtute, pro Religione, pro Deo occidunt nobiles victimæ: quas inter omnium primus ac Princeps est STEPHANVS, quem Ecclesia ut Protomartyrem habet ac colit; ad quem sic deinde D. Augustinus:

Eia sancte Stephane, dic aliquid Iudæis, ut incipias lapidari, & possis coronari. Iaculare verba, & excipe saxa. Dic aliquid de incircumcisis cordibus, & morieris lapidibus. Dic eis ubi vides vivum quem irriserunt crucifixum. Dic eis ubi eum vides, & hic non vivis; sed cum illo melius vivis. Dic eis, quia nihil est quod fecerunt, vivit quem occiderunt. Dic eis, quia vides ad dexteram Patris stantem quem irriserunt in Cruce pendentem. *Serm. 1. de Sanctis.*

Et verò dixit: *Ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* *Act. c. 7. v. 55.*

Stantem videt, quia ut ait B. Petrus Damianus, *Christus cum Patre stante stabat, & cum bellante bellabat.* *Orat. de S. Stephano.*

Stantem videt, & quasi armatum Omnipotentia, qua etiam inter saxa, vulnera mortemque, invictum STEPHANVM reddat.

Stantem videt, quasi Patronum atque Advocatum, qui patientiis STEPHANI apud Patrem Æternum causam agat.

Stantem videt, ut veluti Sacerdos STEPHANVM (qui instar victimæ cadit) excipiat, & Cœlis offerat.

Stantem videt, quasi ad spectaculum amabile sibi ac jucundum. *Vir enim fortis jucundum Deo spectaculum*, ut dixit ex antiquis nonnemo.

Stantem, videt quasi agonothetam, ut enim ad Martyres Tertullianus: *Epistates vester Christus IESVS, qui vos spiritu unxit, & ad hoc scamma produxit. Agonothetes Deus vivus; Xistarches Spiritus sanctus, corona æternitatis, bravium Angelicæ substantiæ politia in Cœlis, gloria in sæcula sæculorum.* *Ad Martyr. c. 3.*

Ecce, ut certanti STEPHANO aperiuntur patentque Cœli; ecce ut stat JESUS tanquam Agonotheta ac remunerator. Volumus etiam nobis aperiri Cœlos, & stare JESUM; certemus & ipsi fortiter, pugnemus feliciter, vincamus feliciùs, triumphabimus felicissimè.

In hac vita, velut in agone sumus, in hoc aperiuntur Cœli, postea æternùm claudendi.

Hæc cogita, hæc tecum volve ac revolve, mi Lector, & alius eris à teipso. Sic aliùs fuit *Moneta* celebris Bononiæ Doctor, qui cùm Ecclesiasten audisset è pulpito hæc D. STEPHANI verba sic explicantem (*Ecce nunc Cœli aperti sunt volentibus introire; sed mox in æternum claudentur iis, qui hoc vitæ & benè agendi tempus neglexerint*) à sæculo, & vita liberiore, ad D. Dominici Institutum & arctiorem Religiosæ familiæ disciplinam transiit.

Sed redeo, unde paululum abii; audio enim horrendùm infrementes Judæos, & video præcipites ad saxa convolantes. *Aures clauserunt, & ad lapides cucurrerunt*, inquit D. Augustinus. *Supra.*

Nec mora; adinstar densæ nubis depluunt saxa, & in sacrum STEPHANI caput impluunt. Quid inter hæc ille?

Domine IESV suscipe spiritum meum. Tibi vixi, tibi morior; quia adjuvisti me, vicit quem suscipis: accipe spiritum meum de manu eorum, qui oderunt tuum. Fecisti me victorem, recipe me in triumphum: illi persequuntur, tu suscipe; illi ejiciunt, tu intromitte: dic spiritui meo, intra in gaudium Domini tui. *Serm. 93.* *Serm. 32.*

Hæc STEPHANVS ore Augustini, hæc deinde etiam suo: *Ne statuas illis hoc peccatum.* *Act. c. 6. v. 59.*

Priùs pro se paucis oravit, sed adhuc stans; at pro lapidantibus & oravit & exclamavit, & genua inflexit.

Positis

Positis enim genibus clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Ita, ut advertit D. Augustinus, *Qui stando suum spiritum commendavit Domino, pro illorum delicto, fixo genu oravit.*

Rationem si quæras, hanc reddit ore etiam Augustini:

Pro me stans oravi, quia pro me, qui Deo recte servivi, orando & impetrando, non laboravi: quia qui pro justo orat, non laborat. Veniamus ut oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus Sanctorum, pro lapidatoribus suis, attendit tam multam & magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficile donari posset; genu flexit, & ait: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Grata fuit Immortali Deo hæc oratio, & verò etiam efficacissima. Ab illa quippe Ecclesiæ primùm additus est Saulus, de quo illud D. Augustini:

Si sanctus Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet; sed ideò erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus.

Et ita à D. STEPHANI oratione Ecclesiæ primùm additus est Paulus; deinde etiam Cœlo: cùm enim lapsis annis quampluribus, fidei causa capite minutus esset, ejus animam è corpore per gloriosa vulnera exeuntem excepit S. STEPHANVS, Deóque obtulit etiam disertis hisce verbis:

Domine, hoc ingenti & singulari munere tu me donasti, ego verò multiplici fructu auctum tibi illud reddo.

Hoc quippe in excessu mentis cognovit S. Maria Ogniacensis, ut testis est Cardinalis à Vitriaco.

Accessêre deinde ab eadem D. STEPHANI oratione è lapidatoribus complures, ut verosimiliter opinatur Oecumenius.

Denique lapsis postea compluribus sæculis Judæi alii numero centum quinquaginta etiam miraculo. Cùm enim in Majoricam Insulam, urbémque illius Majonam, inferrentur sacræ S. STEPHANI Reliquiæ, Judæique ira præcipiti ac furore in eos, qui sacris lipsanis succolabant, saxa misissent; ut viderunt innoxia cadere, neminémque ab iis lædi, ac deinde immisso cœlitùs igne arsisse Synagogam; ad hujus ignes atque incendia, sacratiore igne lucéque accensi, & manus victori STEPHANO, & animas Ecclesiæ, ceu bonæ Matri, dederunt. Ita Baronius.

Sed ad STEPHANVM accedamus, unde paululum recessimus; jam enim altùm silet, & *obdormivit in Domino. O somnum pacis!* exclamat D. Augustinus. *Quid illo somno tranquillius? Quid illo somno quietius?*

Felix somnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate, inquiebat B. Petrus Damianus.

Et hic vitæ brevioris terminus, hic de morte triumphus, hic omnium coronis, & corona parata Protomartyri STEPHANO, consona scilicet benè ominato ac fortunato nomini; quòd jam inde à cunis coronam adpromisit.

Coronam dico, eamque triplicem: *Virginitatis* unam; *Doctoris* alteram; postremam denique *Martyris*, quam excepit ornavitque corona gloriæ ac beatitatis; longè potior coronis omnibus, quas hic vel Reges, vel Cæsares in augusta capita extulêre.

Non ita pridem Rex Persarum potentissimo Hispaniarum Regi litteras dedit hac inscriptione notatas; *Regi, qui Solem habet pro galero.*

Innuens tantam Imperii illius magnitudinem esse quantam & Solis.

Ex quo & illud Ericii Puteani ad eundem Catholicum Regem: *Maiestate mundum comples; ubicumque Sol oritur, ubicumque occidit, tuus est.*

Quæ ego sine injuria tanti Regis de D. STEPHANO etiam potiori jure dixero: adscriptus enim in Cœli Principes ac Reges, veriùs *Solem habet pro galero.*

Primò Solem illum oculis aspectabilem, qui ubicumque oritur, ubicumque occidit, STEPHANI est, & STEPHANI virtutem omni majestate illustriorem aspicit ac commendat.

Deinde & Solem alterum longè illo augustiorem, Christum videlicet, qui STEPHANO fuit eritque in æternum pro Sole; quippe cœlestis *Civitas*, in qua B. STEPHANVS, *non eget Sole neque Luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.*

Lucerna, inquam, id est lux altior: vel ut Græcè λύχνος, hoc est species carbunculi, quæ dicitur *lichnites*, ab igne scilicet, quo lucet & ardet: Et hæc lucerna, hæc lux, hic carbunculus, hoc est sacrosancta Christi humanitas erit STEPHANO pro corona: Quod si nec illa ad gloriam ac beatitatem sit satis;

Erit denique pro corona DEVS ipse Trinus, Unus, ter Opt. ter Max.

Ut eadem & nobis sit aliquando, si minùs STEPHANI simus nomine, simus certè reipsa. Sit in nobis corona Castitatis ac virginei pudoris; sit corona, avitæ scilicet Religionis, constans & intemerata observantia; sit corona omnis sanctitatis; sit denique (si lubet) etiam Martyrii; sit videlicet animus audax pro Christo omnia perpeti, audax & mori.

Erit porrò & hæc & illæ coronæ, si ut ille quondam, sic & nos aliquando *Obdormiamus in Domino.*

At quo, inquies, in lectulo? Usque florido, qualem scilicet à cœlesti Sponso nacta est Sponsa, quæ in extremo mortalis vitæ somno, id est morte, læta cecinit: *Lectulus noster floridus.*

Is etiam fuit *B. Guicardi* monachi, in cujus agone ultimo *B. Robertus* Abbas, vidit duos juvenes, non humana, sed angelica specie; qui lilia, rosas, violas, aliósque diversi generis flores toto choro spargerent: quos dum aspicit, quæritque cur id præter morem? Simul audit, quia eo temporis momento in Domino obdormiebat *Guitardus* à virtute floridus totus.

Si porrò petietis, à qua virtute? Excipies ipso D. Bernardi ore, calamóque; qui hunc piè morienti aperit, sternitque lectulum:

Sit beata anima culcitra conscientia sua puritas; sit capitale tranquillitas; sit opertorium ejus securitas, ut sic hoc interim strato dormiat delectabiliter, & feliciter requiescat.

Ita requiescunt Iusti omnes, quorum *mors bona propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem.*

Ut contrà *mors peccatorum pessima. Mala siquidem in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisq; contritione.*

Ita etiam requievit S. Elisabetha Hungarorum Regis filia, quæ in ultima vitæ, ceu brevioris ævi scena, Christum vidit, & hæc ab illo audit: *Bono animo esto filia; Ego tecum sum.* Cui illa: *Ita Domine, tu mecum, & ego tecum.* Cui denique ad extremum Christus, ceu sponsus hæc dixit: *Veni Sponsa, cælesti thalamo potire.*

Ita denique (ut in D. STEPHANO finiatur oratio) ita quievit, qui cùm extrema, non pro se, sed pro inimicis, fecisset hæc verba: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum; obdormivit in Domino.* Utinam & in hoc ipsi aliquando indormiamus.

Supra ser. 1.

Serm. 2. de Sanctis.

Serm. 1 de Sanctis.

In ejus vita l. 2. c. 11.

Anno Christi 418.

Serm. 1. de Sanctis.

Orat. de S. Stephano.

Ioan Chifflet Vind. hisp. c. 4.

In Præfatione.

Apoc. c. 21. v. 23.

Henriquez lib. 1 Fasc. Cist. D. 2. c. 7.

Serm. 2 in festo Sanctorum omnium.

In ejus vita.

DE

DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA.



BEATUS Petrus Damianus Hostiensis Episcopus ubi primùm fusiùs abiit in D. IOANNIS laudes atque encomia, ea deinde breviore quodam compendio complexus, ait: *Meritò dicitur Os Dei, Lingua Spiritus sancti, Cedrus Paradisi, Lux Ecclesiæ, Decus Orbis, Præco Cœli, Lumen mundi, Sydus hominum, Specimen Angelorum, Lapis vivus, Speculum lucis, Logotheca Divinitatis, Forma Fidei, Columna Cœli, Architectus veri Tabernaculi quod fixit Deus & non homo.* Serm. 2.

Ecce ut è terra, ut etiam è Cœlo colligat quidquid usquam ferè magnum, illustre speciosumque est, ut in unum IOANNEM facto veluti fasciculo cogat atque congerat; & eò quidem, ut si in singula excurrere velit oratio, finem vix tandem aliquando sit inventura; adeò multa, adeò rara ac singularia sunt illa Apostolici Viri encomia: Verùm ut ea sint; at certè ab hoc uno velut à fonte manarunt, quod *Discipulus* esset, *quem diligebat IESUS*; ab hoc enim fluxit illud omne, quod in IOANNE magnum ac pretiosum est; ideóque aliis in præsentia omissis, uni illi inhærebo: ubi tamen priùs pauca

EX D. THOMA.

Cap. 39. ANgelicus Doctor D. JOANNI adaptat illud Prophetæ Jobi, *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila*; trináque in eo expendit: & quidem

Primò, *Ad præceptum tuum*, ubi ait quatuor illi à Domino fuisse data præcepta: 1. *Ut nuptias desereret. Volentem* enim *nubere vocavit* Christus, *ut Virginem Virgo servaret.* 2. *Ut post eum iret.* Et verò ivit quàm citissimè etiam ad primas Domini voces. 3. Ut meliore stylo utriusque Ecclesiæ, tam Militantis quàm Triumphantis, statum scriberet; *Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis.* 4. Ut è terris in cœlos transiret: Et certè ita transiit, *tam extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione carnis alienus*, ut ait D. Thomas. Apoc. c. 1.

Secundò, *Elevabitur. Elevatus* porrò *in morte* quatuor modis: 1. *Ad eam voluntariè eundo.* 2. *Dolorem mortis non sentiendo.* 3. *Ab ea, ut creditur, cito resurgendo.* 4. *De ipsa ad Cælum ascendendo.*

Tertiò, *Aquila.* Dicitur autem JOANNES Aquila: 1. *Propter videndi perspicacitatem*: ea patet in Aquila, quæ in Cœlo Solem videt in suo Orbe, & in terra remotissima quæque. Sic & JOANNES Solem id est Filium, in Patre vidit, & ad usque extrema mundi penetravit. 2. *Propter volandi sublimitatem.* Ea fuit in JOANNE, tum altissima, quæ se extulit, contemplatione, tum scriptione longè sublimissima. 3. *Propter actionum proprietatem*, & quandam veluti similitudinem.

JOANNES enim 1. *Pullos*, id est animas, quas Christo genuerat, *collocavit in Deo.* 2. *Petram in nido posuit*, id est *Christum in nido* sinuque suo *absconditit*, ut & nos pia quadam æmulatione idem faciamus.

Et hæc paucis ex D. Thoma; cui nihil addendum reliquit D. Bonaventura.

QUÆSTIO PRIMA
MORALIS.

Ad illa verba: *Converſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat IESVS.* Matth. c. 21. v. 20.

CVR EO SE NOMINE NOTAT & notari voluit IOANNES?

NON deerant alia nomina, eáque tum apud homines, tum apud Superos magno in pretio. Ut enim doctè annotavit S. Thomas de Villanova Archiepiſcopus Valentinus: *Deus ter Opt.* Serm. de S. Ioanne. *ter Max. omnium dignitatum titulos, quos per alios ſparſim diviſit, in uno Ioanne pleniùs cumulavit. Hic Apoſtolus, Propheta, Evangeliſta, Martyr, Doctor, Confeſſor & Virgo* dici potuit; imò, quod & à natura & ſanguine hauſerat, *cognatus & amicus* Chriſti.

Iis tamen omiſſis, hac una gaudet, ſibiq́ue gratulatur appellatione, quod Diſcipulus eſſet, *quem diligebat IESVS.* Quæ cauſa?

Ratio dubitandi. An non illuſtre & auguſtum eſt, dici & verò etiam eſſe *Apoſtolum*, hoc eſt naſcentis Eccleſiæ Principem, & ſpiritalis hujus ædificii columnam; imò Cœli novi ſpiritualem, & quodammodo cœleſtem Intelligentiam?

An non magnum & commendabile *Prophetam* appellari; hoc eſt eum, qui abſcondita, etiam immortalibus geniis, arcana revelet ac detegat, qui in ſecretiora Cœli adita pervadat, qui ſecreta cordium penetret, qui futura poſt longos ſoles ac ſæcula prodat, & quaſi ſub aſpectum ponat?

An non ſpecioſum ac dives *Evangeliſtam* eſſe, & Chriſti ſcribam, & illi quaſi à ſecretis?

An non arduum illud, maſculum ac virile, *Martyrem* haberi, hoc eſt teſtem ſuæ in Deum ac Religionem Fidei, & hoc quidem dato, ſi oportuit, etiam vitæ pretio?

An non eximium, & Chriſtianæ Reipublicæ perutile iſtud, *Doctorem* nominari & eſſe, è quo alii omnes melioris ſapientiæ fluenta diducant atque uberiùs hauriant?

An non illud longa conſtantia patientiaque pleniſſimum *Confeſſorem* indigitari?

An non etiam amabile & iſtud, *Virginem* eſſe, & candidæ mentis ac pectoris hominem? Amabile enimverò etiam Superis, etiam Agno, quem ſcilicet proximè ſequuntur candidata Virginum agmina.

An non dènique fortunatum illud, etiam Chriſti, Dei hominis, Incarnati Verbi *Cognatum* eſſe, & junctum vel ipſa ſanguinis ac naturæ communione? Certè fortunatiſſimum iſtud eſt: neque tamen hoc, neque aliis omnibus ſignari ſe patitur IOANNES;
Reſolutio. ſed hoc uno duntaxat: *Diſcipulus ille, quem diligebat IESVS.* Quæ ratio?

I. Ratio. Prima hæc eſſe potuit, quod à Deo diligi, Deóque eſſe in amoribus, ſit ſummum homini bonum: uti contrà ſummum malum à Deo odio haberi. Hoc enim omnium, quæ creaturæ accidere poſſunt, & miſerrimum eſt & calamitoſiſſimum.

Hinc damnatis non tantum creatur mali, quòd vel inferni carcere teneantur, vel igne inextinguibili torqueantur, quàm quod eſſe ſe ſentiant in Dei ſui odio, & quidem æterno atque irreconciliabili.

Uti etiam beatis non tantum accedit boni à Cœli regia & ſede Beatitatis, quàm à Dei ſui amore, cujus objectum aliquod eſſe ſe perſentiunt: Summum quippè bonum eſt à ſummo bono amari; quod quia præſenſit D. JOANNES, hinc id ſibi nomen fecit: *Diſcipulus, quem diligebat IESVS.*

Accedit & alia ratio, quod Dei in hominem II. Ratio.
amor, & ex eo inclinatio quædam Divinæ bonitatis, ſit veluti principium, radix, & fons bonorum omnium, quæ ſcilicet ſurgunt atque emanant ab amore; qui alius eſt in Deo, alius in homine: in hoc enim plerumque otioſus eſt, & bono omni vacuus: at in illo & negotioſus quodammodo eſt, & omnis boni ferax: fert enim illud omnia ſecum: in Deo quippè amare eſt benefacere. Et inde JOANNES cùm ſe dixit Diſcipulum, *quem diligebat IESVS*, omnis in ſe boni fontem aperuit, radicémque detexit. Ex eo enim quòd ſic amaretur, & Apoſtolus audiit, & Evangeliſta, & Propheta, & Martyr, & Doctor, & Confeſſor, & Virgo, & Dei amicus quàm intimè; & ſi quid illis majus atque illuſtrius eſſe poteſt, id omne dicitur, cùm à Deo diligi dicitur.

Scitè quondam & verè pronuntiavit illud Plato:
Amorem Dei amicum mundi beneficium eſſe, & cauſam In Socratis convivio.
bonorum omnium: amore quippè & mundum condidit univerſum, & mundo ſimul contulit quidquid in eo eſt boni; & hoc quia amavit.

Multum enim intereſt inter amare ipſius Dei, & amare creaturæ: amor quippè creaturæ bonum quidèm vult amato; ſed non ideo præſtat; imò ſæpè ſæpiùs præſtare non poteſt, quia impotens eſt: at Dei amor, quod vult bonum amando, hoc & donat, quia Omnipotens eſt; imò ipſamet Omnipotentia: quod cùm altè in animum admiſiſſet JOANNES, mirum non eſt, ſi aliis beneficentiæ Divinæ titulis poſthabitis, unum illud ſervarit ſibi: *Diſcipulus, quem diligebat IESVS*, probè conſcius eo uno cætera contineri omnia, ab eo uno manare omnia.

Sed & aliud eſt, quod ea appellatione expreſſum voluit: cùm enim eam, quæ etiam aliis Diſcipulis communis eſt, ſibi quaſi propriam aſſumpſit, apertè innuit ſe à Chriſto plus cæteris amari, & modo quodam ſingulari & excellentiore.

Quippè ſic habet communis ille Gentium ſenſus: cùm nomen aliquod pluribus commune, uni tamen attribuitur; tacitè inſinuatur in re per illud ſignificata cæteris omnibus antecellere,

Ita cùm Ariſtoteli *Philoſophi* nomen, Salomoni *Sapientis*, Ciceroni *Oratoris*, antonomaſticè tribuitur; hoc ipſo innuitur, etſi multi ſint Philoſophi, inter eos tamen longè profundiſſimum eſſe Ariſtotelem, uti & inter Sapientes longè ſapientiſſimum Salomonem, & inter Oratores eloquentiſſimum Ciceronem: & hoc quia ille Philoſophus antonomaſticè dicitur, & iſte Sapiens, & hic Orator.

Ita cùm Scripturæ, imò & ipſo D. JOANNIS oraculo audis Diſcipulum appellari quem diligebat JESUS; ſimul audi antonomaſticè, hoc eſt excellenter, & præ cæteris dilectum, cùm ei, quod aliis etiam eſt commune ut proprium attribuitur.

Et hoc

Et hoc ipsum est, quod annotavit D. Augustinus apud D. Thomam in catena: *Tacito* scilicet *nomine discernitur Ioannes à cateris; non quod solum eum; sed quod plus cateris diligeret Dominus eum.*

Quod ut in clara luce ponamus, singularis illius in JOANNEM amoris indicia argumentáve paucis de more subjiciemus. Ea potissimum sunt tria: *Secretorum revelatio, Pretiosorum commissio, & Beneficiorum collatio.*

Thom. Vill. supra.

I. ARGUMENTUM, Amoris Christi in JOANNEM:

Secretorum Revelatio.

INter Dei & hominum amicitias plurimum interest: hi enim amicis sibi ac dilectis pauca volunt esse in aperto, multa verò in occulto; maximè autem secretas cogitationes, arcana consilia, quæ sunt veluti quædam animæ facies: hanc enim tegi volunt, non retegi; occultari, non aperiri.

Scipio du Pleix. hist. Franc. To. 2.

Cùm Henricus Anglus Galliæ regnum occupasset, acriter aliquando reprehendit Dominum de Lisse-Adam Galliæ Marescalcum, quòd oculos in Regis vultum conjecisset: cumque hic illud apud Gallos in ore positum esse assereret; subitatus Rex superintulit: at non sic apud Anglos. Quin & hominem à se amolitus est, & quæsita occasione in custodiam conjecit. Adeo videri se à subditis non est passus, ne faciem quidem etiam corporis (quæ tamen oculis maximè obvia) qui passus fuisset eam videri quæ est animi?

Hist. Indic. l. 7. c. 22.

Certè neque illam à subditis conspici patitur Motezumam Peruanorum Rex, qui etiam morte eos plectere solet, qui regium suum vultum intueri sustinuerint, ut refert Acosta noster.

At non sic Deus, qui non tantùm cum Angelis, cœlestibus illis Intelligentiis, sed etiam cum pusillis homunciunibus ita familiariter agit, ut amicus cum amico, imò ut quasi cum seipso, certè cum altero se: quod summæ amicitiæ est, amorisque summi.

Epist. 14.

Scripsit aliquando ad Augustinum Hieronymus: *Sic cum amico, quasi cum altero se, esse loquendum.* Et ita cum amicis sibique imprimis dilectis locutus est Deus. Et quidem

Deuter. c. 5. v. 4.

Cum Moyse, *facie ad faciem; sicut amicus ad amicum*, cui scilicet & animi sinum, ceu faciem aperiebat, & arcana omnia. Uti etiam priùs Abrahamo, quem non sustinuit sua latere consilia.

Gen. c. 18. v. 17.

Hinc illæ vel ad Angelum, vel ad seipsum voces taciταque locutio: *Num celare potero Abraham qua gesturus sum?*

Meditabatur excidium Sodomæ & Gomorrhæ, aliarumque vicinarum Urbium, quæ terras infami libidine polluerant, & cœlos ipsos in flammas & fulmina provocarant; sed latebat adhuc illud in divina mente, consiliis ac decretis: at diutiùs latere non patitur quæ illi erat in Abrahamum amoris indulgentia; hinc illud, *Num celare potero Abraham?* Enimverò non potero, quia mihi amicus, mihi dilectus in paucis. Adeo etiam in divinis verum illud: πάντα φίλων κοινὰ, *Omnia amicorum communia*, etiam secreta cordis & animi.

Et ita quoque D. Joanni communia. Revelavit enim illi Christus *secreta personæ, secreta regni, secreta domus*, inquit Thomas Villanova.

Secreta *personæ*, id est Divinitatis Verbi. Secreta *regni*, hoc est Ecclesiæ Triumphantis. Secreta denique *domus*, id est Ecclesiæ Militantis; & futuros eventus ad extremam usque mundi periodum.

Epist. 103 ad Paulinum.

Et hos explicuit in Apocalypsi, quæ (ut ait D. Hieronymus) *Tot habet Sacramenta, quot verba.* Secreta denique omnia; adeò ut à JOANNE vel ipsi Angeli multa didicerint, ut ait D. Chrysostomus:

At quando, inquies, & ubi ea revelavit? In Cœna, quando & *recubuit super pectus Domini.*

Petr. D. Serm.

Erant in pectore IESV omnes thesauri sapientia & scientiæ absconditi, Ex illo cœlesti gazophilacio summam traxit, unde nostræ paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditavit.

Ex illo nobis ærario divitiarum copias attulit, & in communem totius mundi salutem benè prodigus erogavit.

Ex illo velut *perenni vita fonte manantia flumina Divina doctrina hausit, & eadem postmodum nobis erogavit.*

Thom. Vill.

Ex illo, inquam pectore, veluti quodam amoris lectulo, *evigilans mira de illius Divinitate secreta cognovit*; unde & *mirabiliter eructavit* profundum illud; *In principio erat Verbum.*

L. de Isaac c. 5.

Ita nimirum, ut pulchrè D. Ambrosius: *Lectulus Sanctorum Christus est*: at non omnium; sed in paucis dilectorum: uni revera JOANNES fuit, *Discipulus* scilicet, *quem diligebat IESVS.*

Plutarcho teste, cùm in ova sua incubat Aquila, pullum illum, qui educitur ex ovo, quod maximè cordi vicinum est, unicè illi in oculis est & amoribus, imò & illi præ aliis similis. Crederes, à corde ceu vitæ fonte, aliquid vel ovo, vel ipsi pullo apprimi: & verò apprimitur.

Quod naturæ datum; hoc & gratiæ: Pectori Domini, imò cordi totus incubuit JOANNES, & hinc illius amores exhausit, & expressam veluti similitudinem: diceres alterum à Christo, imò Christum alterum; adeo illi similis, & inde etiam in amoribus: similitudo enim aut parens est, aut fomes amoris.

Multos à Christo dilectos legimus: aut nemo unus omnium ut JOANNES Evangelista.

Magnus ille Eremicola, Vox Verbi, Christi præco Baptista, illi carus fuit; at non eò venit ut in illius sinu recumberet: Satis illi fuit, imò plus satis abjici ad corrigiam calceamenti.

Ioan. c. 11. v. 5.

Magdalena, peccatrix aliquando, at postea pœnitens, Christo cara fuit, cara fuit & Martha, carus & Lazarus. *Diligebat* enim *IESVS Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.* At nec hic, nec illæ unquam Dominico pectori accubuerunt. Maria stans retrò ad Domini pedes se abjecit, vel ad eos assedit; Martha autem sedulò ministravit; Lazarus ad eandem mensam accubuit: & hoc & Lazaro, & Mariæ, & Marthæ plus satis: Thomas Apostolus etiam Magistro curæ fuit & amori; hinc eæ amantis ad illum voces: *Infer digitum tuum huc*, in loca scilicet clavorum, *& mitte manum tuam in latus meum.* Intulit enim verò digitos, & manum immisit, & hoc eximii amoris indicium fuit; at non pectori, non cordi incubuit ut IOANNES: hoc scilicet illi uni servatum voluit indulgens IESUS; imò, quod mireris & ames, aliquid ampliùs.

Serm. 12. de Epiphan.

Si enim D. Ambrosio credimus, non solùm IOANNES in Christi pectore recubuit; sed & Christus ipse in IOANNIS pectore recumbere non est dedignatus.

In triplici, inquit Christus sinu quievit; in sinu Patris in Cœlo, in sinu Matris in stabulo, in sinu IOANNIS in cœnaculo.

supra.

Quod si in hoc quievit, quid mirum si cœlestium secretorum participem fecit; quid mirum si (ut advertit B. Petrus Damianus) *ad tantum gratia provectus sit privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illud acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non denique quispiam ab ipso primordio cognoscatur in carne positus aspirasse.*

Quid mirum si & illa à Domino & quæsierit & acceperit ipse, quæ nec exquirere ausi sunt alii.

Latebat in Christi pectore, & arcano cordis infamis proditor; de eo nec Petrus, nec Iacobus (qui tamen & ipsi Christo à secretis) nec alii quærere audent:

Petr. Dam. Serm. 1.

Tacent cuncti Apostoli, tacet & Petrus, tacet Cœli clavicularius, tacet lingua, qua claves facta Cœlorum, Cœlum simul & terram ligat & solvit. Tandem Joannis patrocinium ab omnibus quæritur, & sic ad rei dubiæ notitiam pervenitur. Ille nimirum condiscipulorum suorum persona suscepta, consultor accedit, qua de amplioris dilectionis prærogativa confidit.

Hæc ubi altiore stylo extulit B. Petrus Damianus, tum conversa ad peccatores oratione, ut iis animos faciat, sic inquit:

Quantum apud justum Iudicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipsis Cœlestis curiæ Senatoribus intervenit? Et qui Advocatus factus est summus, quàm humiliter implorandus est à minimis?

Et hæc de primo divini amoris in JOANNEM argumento.

II. ARGUMENTUM,

Amoris Christi in IOANNEM.

Pretiosorum commissio.

HOmines inter argumentum summi in alterum amoris, hoc est, si ei, quod tibi maximè est in pretio, & primis curis atque amoribus, commiseris. Quod & in divinis locum habet. Ex quo si evicero Christum JOANNI tradidisse, quod erat sive in terris, sive in Cœlis pretiosissimum, etiam confecero JOANNEM amasse quàm maximè.

In cruce, ceu doloris, ceu amoris lectulo, jacebat Christus, reparator Universi, Deus-homo; cùm ultimis testamenti tabulis de bonis suis omnibus disposuit.

Thom. Villanova supra.

Et quidem *Patri spiritum, Ecclesiæ corpus, Peccatoribus sanguinem, Regnum latroni, Militibus vestem, Petro Ecclesiam, Apostolis Paracletum, Electis charismata varia; Ioanni Matrem reliquit*, & in Matre quidquid habebat pretiosissimum.

Et verò omnium pretiosissimum fuisse MARIAM, facilè patebit ex iis, quæ seu in terris, seu in Cœlis sunt in pretio.

In Psalterio.

In terris quidem in pretio sunt gemmæ, earúmque nitor & gratia. Et *MARIA flos est & gemma mulierum*, inquiebat D. Bonaventura: quantum enim interest gemmas inter & rudia saxa: tantum MARIAM inter & cæteras mulieres necessum est interesse.

S. Greg. Taum. Ser. de Ann. Richard à S. Laurentio Lib. 10. de Laud. Virg.

Auri fulgor, argenti candor, divitesque gazæ, ac thesauri sunt mortalibus in pretio. Et in MARIA *totus est gratiæ thesaurus*: imò & MARIA *Gazophilacium utriusque est Ecclesiæ*, scilicet tam Militantis quàm Triumphantis.

Orat. 6. de Virgine.

Regum Cæsarumque diademata ac coronæ sunt hominibus in pretio. Et MARIA ipsa, *est Ecclesiæ diadema*, ut rectè S. Proclus.

Serm. 11.

Voluptas ac deliciæ, dum hoc ævo mortali spiramus etiam in amoribus sunt & pretio. Et MARIÆ Virginis *uterus locus est voluptatis*, ut pulchrè B. Petrus Damianus. Imò & *Paradisus deliciarum*, ut claré & piè D. Gregorius Taumaturgus, qui sic olim Æternum Patrem Gabrieli loquentem inducit: *Abi ad Paradisum meum ratione præditum.*

Serm. 9. de Annunt.

Vita denique ipsa mortalibus omnibus, majore quàm cætera sunt in pretio: & jurè sanè meritissimo: Quod enim bonum in terris illi conferendum? Imò quod sine illa bonum? Omninò nullum. Et MARIA humani generis est vita, & *spiraculum hominis*; ut disertè doctissimus Idiota.

Cap. 1.

Quodsi ab illis, quæ in terra aliquid habentur in pretio, ascendere velim ad ea, quæ & in Cœlis suum quoque pondus obtinent ac pretium. Et MARIA res in illis erit longè pretiosissima.

In his Stellæ minoraque sidera micant & eminent ceu illorum orbium gemmæ, ceu etiam ocelluli: at supra hos Luna Solque ipse, gemina Universi lumina, & grandes aspectabilis Orbis oculi; qui etiam istic sunt in pretio.

D. Bonav. in Specul.

Et in his quoque in pretio erit MARIA: nam & hæc etiam *Stella* est, & quidem mundi istius, seu *Maris stella*, quam & aspiciant hoc vitæ oceano fœdè jactati mortales, & cujus etiam beneficio portum intrent beatitatis.

Nec Stella tantùm est MARIA, sed & *Luna*, & quidem eâ pulchrior; atque etiam *Sol*, & ipso etiam Sole lucidior.

Thom. Villanova.

Est Sol fons lucis & diei parens: & MARIA fons est lucis, sed divinioris; & diei parens, sed melioris, id est gratiæ ac salutis. *Tolle Solem, quid est in mundo nisi tenebræ? Tolle MARIAM ab Ecclesia, quid restat nisi caligo?* inquiebat Archiepiscopus Valentinus.

Amplius aliquid dico: non Sol tantùm est MARIA, sed & illi Sol pro veste, & Stellæ pro corona. Quippè in *capite ejus corona stellarum duodecim.*

Serm. 7. de B. Virg.

Dignum planè stellis coronari caput, inquit D. Bernardus, *quod & ipsis longè clarius micans, ornet eas potius, quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam Sol vestit.*

Sol, inquam, non ille aspectabilis; sed altior, sed divinior; ipsa nimirum Dei sapientia, Verbum Patris, Lumen de Lumine, quod MARIAM circumvestit; imò quod in ea sibi *Sedem* & *Thronum* elegit: sic enim ad illam ore vocéque Guarrici, magni Præsulis:

Serm. 3. de Assumpt.

Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, in te quandam mihi Regni sedem constituam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam; atque ex te, velut omnis boni fonte, fluenta emittam, ac torrentes cœlestium gratiarum; à quibus etiam audies, ô Virgo, ô Dei Mater, *Oceanus Divinitatis, de cujus scilicet utero quasi quodam oceano, Divinitatis rivi, & flumina emanant omnium gratiarum*, ut eleganter & piè D. Bernardus.

Serm. 61.

S. Proclus de Virg.

Et certè quidni emanent? E primi hominis Adami Paradiso emittebantur olim quatuor flumina, quæ irrigarent universam faciem terræ: modò è MARIA, quæ est *secundi Adami Paradisus*, effluunt non dico quatuor, sed propè innumera gratiarum flumina; quæ non faciem arentis terræ hujus, sed immortales animos melioribus aquis irrigent, imbuant, ac fœcundent.

Et hæc omnia plurimum mihi facere videntur, ut dicatur & sit MARIA longè pretiosissima, cùm scilicet *Mulierum gemma* sit, *Gratiæ thesaurus, Gazophilacium utriusque Ecclesiæ*, imò & illius *Corona* ac *Diadema, Locus voluptatis, Paradisus deliciarum*, Vita & *Spiraculum* generis nostri, *Stella, Luna, Sol* ipse; imò, quod his majus est, *Thronus & Oceanus Divinitatis* & *secundi Adami Paradisus.*

At unde, inquies, hæc omnia? Ab unico illo, quod sit *Dei Mater*: quod cum dixi, dixi omnia, quæ vel in terris, vel in Cœlis summo sunt in pretio; imò dixi pretium ipsum quodammodo infinitum: habet enim Dei Maternitas quid Divinum, quid infinitum, ut advertit D. Thomas.

Et tamen ut ea sit *Dei Mater*, uni JOANNI committitur, uni datur in Matrem, & ipse illi uni cedit in Filium.

Audit enim à Christo MARIA: *Mulier, ecce Filius tuus.* Audit & JOANNES: *Fili, ecce Mater tua.* Et ex ea hora *accepit eam in sua*, utpotè sibi à Christo è vivis abeunti jam commissam.

Ecce pretiosissimæ Virginis, pretiosissimæ Matris commissio, & hinc argumentum peculiaris dilectionis in JOANNEM, ceu Discipulum, ceu etiam modò Fratrem longè carissimum. Accipe & aliud.

III. ARGUMENTUM, Amoris Christi in IOANNEM.

Beneficiorum collatio.

POëtæ veteres, in commenta ingeniosa faciles ac fœcundi, Amorem nudum effinxerunt; & inde pictores illius simulacrum oculis subjecere, sed etiam nudum: cujus figmenti aliæ atque aliæ ab authoribus proferri solent rationes. hæc ad meum institutum.

Quod Amor omnibus se exuat, ut amicum is induat ac vestiat probè; ita in illum beneficus est, etiam cum aliqua, ut videtur, injuria sui. Habet nimirum hoc omnis amor, beneficus est, & in beneficia congerenda liberalis & prodigus; nec alio magis argumento se prodit.

Quod si in humano amore id usu venit, multò amplius in DIVINO; cum hoc tamen discrimine, quod humanus, quia finitus est, si bona largitur sua, facit cum aliquo sui dispendio: iis enim se privat. Divinus non item, quia infinitus est: facit enim ut sic accedat amato bonum omne, ut tamen nihil decedat sibi. Verùm in hoc, quod alteri accedit, seostendit atque explicat quàm maximè.

Et ita sese ostendit explicuitque in JOANNE, in quo videlicet collegit omnes dignitatum titulos, gratias omnes, quas in aliis sparsit.

E toto mortalium genere duodecim sibi Discipulos & *Apostolos* elegit, & ex his JOANNES fuit; unaque cum Apostolico munere insignem animarum zelum induit.

Prophetas esse alios voluit, quibus amplissimam futurorum cognitionem indidit, & altissima quædam animi lumina: & his quoque illustris fuit JOANNES, calamum aliis acuit stylumque, quo præclara divinaque Verbi Incarnati in terris opera, in posteras ducerent ætates: & hos inter fuit JOANNES, & ipse *Evangelista*, imò & inter illos Aquila.

Martyres alios in arenam emisit, qui contra immanem tyrannorum vim depugnarent fortissimi pugiles: & hos inter eminet JOANNES, tormentis, igne, morteque ipsa superior, invicta corporis animique constantia.

Doctores nonnullos, & in cœlesti Schola laureatos creavit, qui sacratioris Sapientiæ rivulos undequaque effunderent. Et in his quoque sedem invenit JOANNES, *& aliquando Divinitatis alta, aliquando humanitatis infirma descripsit.* (Pet Damia. serm. 1.)

Illa quidem dum *in capite sui libri Deificum illud ac singulare posuit exordium: In principio erat Verbum.* Hæc autem, *quando in imum submissa descendit*, extulitque istud: *Et VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis.*

Ecce *utriusque naturæ fidelis minister, qui & Divinitatis & humanitatis sacramenta conscribit*, & quasi ex Evangelicæ lectionis pulpito, *modò humana pronuntiat, modò Divina. Et hoc veluti signaculo veritatis & hæreticorum tergiversationibus metam figit, & Catholicorum Fidem perpetua ex tunc & deinceps certitudine roborat*: quod est Doctoris officium.

Alios denique in Ecclesia, ceu Cœlo novo *Virgines* esse voluit, & in hoc Angelorum socios, & quasi contubernales (*Semper enim Angelica munditia contubernalis, & cognata Virginitas.*) Et JOANNES Virgo fuit, & in hoc Angelis cognatus atque contubernalis.

Ecce ut titulos omnes, quos in Sanctis aliis sparsit, in uno JOANNE collegit Christus, & unà cum titulis gratias omnes donaque cœlestia, quæ gradus illos titulosque aut faciunt, aut ornant.

Vis & alia dona, gratiasque, quas gratis datas appellare solent Theologi; vis granam miraculorum: & hanc à Christo accepit quàm cumulatissimè, ut testantur miracula ac prodigia omnibus retrò sæculis inaudita.

Ephesum ingredienti offertur *Drusilla*, in egenos benefica, eoque vulgò dicta pupillorum & viduarum mater. Sed, ô malum mors immatura! ab hac effertur ad sepulchrum; sed à JOANNE sistitur & vitæ redditur.

JOANNIS suasu & aurum & gemmas in pauperes effuderat è civibus Ephesinis unus aliquis, moxque facti pœnitens Apostolum adierat, sibique restitui petierat. Jussit ille in vicinum nemus abire, & inde cæduas virgas afferre, atque è proximo littore lapillos; & mox oratione verbòque & virgas in aurum vertit, & lapillos in gemmas. (D. Antoni. nus p. 1. tit. 6. c. 6.)

Hoc miraculo *Craton* unà cum duobus Discipulis Christianæ religioni est additus: sed deinde (quæ humanæ mentis est inconstantia) ab illa discessit, evictus maligni dæmonis suasione dolóque. Sed quæ Apostoli cura fuit, quæ DEI indulgentia, paulò post eidem est redditus; sed novo prodigio.

Dum enim hæc aguntur, oblatus D. JOANNI adolescens jam vita functus, quem etiam à morte excitavit, jussitque *Cratoni* ac discipulis adhuc à Fide apostatis, edicere quid in altero sæculo vidisset.

Tum ille altiore spiritu voceque. Næ miseri, inquit, estis, qui bonis Angelis fletum, malis autem risum excitastis: vobis autem damnum ingens atque immane. Parata quippe vobis erant in Cœlo palatia, ex auro, argento, gemmisque composita, quæ eratis aliquando adituri. Sed, ô nefas! ô malum! iis excidistis, & in paratos inferni carceres atque incendia incidetis.

His permotus *Craton* & discipuli duo, sibi, Religioni, Deoque sunt redditi; illicò rei tanti sceleris ad Apostoli pedes conciderunt, qui eos paternè exceperit, jussitque diebus omninò triginta pœnitere: quibus exactis, Dei misericordiam atque sceleris indulgentiam spopondit, imò & illius arrham signumque hoc dedit, cùm scilicet virgæ, quæ in aurum; & lapilli, qui in gemmas mutari, ad suam naturam rediissent. Redeunt autem peracta jam salutari pœnitentia: Ecce quot in uno prodigia, quot miracula.

Quibus affine & illud, quod indigentiæ dedit & charitati. Judæus erat, isque veneficus, quem tamen & à Judaismo & à veneficiis, ad meliorem, id est Christianam vitam traduxerat. Premebatur hic egestate summa, & ære alieno, quo ita tenebatur ut se eo expedire non posset; hinc desperatione victus etiam de vita abjicienda cogitabat. Quid hic Apostolus? Quod olim cum Petro ad portam speciosam: cùm enim & ipse à paupertate nec aurum nec argentum sibi reliquum fecisset, jussit misellum ex horto proximo tantum herbæ decerpere, quantum ambæ manus possent. Paruit ille, decerpsit, & Apostolo obtulit, qui brevi oratione, signoque Crucis, herbam illam, quanta quanta fuit, in aurum purissimum mutavit egenoque dedit, ut inde & creditoribus suis & inopiæ faceret satis. (Surius in ejus vita.) (Act. c. 3.)

Ecce vim miraculorum admirandam, & hoc beneficio Salvatoris, cui erat in amoribus, quibus etiam id usu venit, quod ponderibus: nec mirum, quia ex vero amor ipse pondus est. *Amor meus, pondus meum*, inquiebat D. Augustinus. Et meritò:

Pondus omne corpusque grave, quò propiùs accedit ad centrum, hoc movetur celeriùs, ut in fine motus gravium fit maximè concitatus; uti & motus amoris, qui pondus est.

Et is quoque fuit motus illius amoris, à cujus pondere in JOANNEM totus inclinavit JESUS, in fine scilicet concitatissimus: cujus argumento est illud, quod nulli Apostolorum datum, datum tamen sit IOANNI, ut sic moriens exiret è terris, ut in cœlum & animo & corpore totus iret.

Cùm enim ætatis suæ attigisset annum nonum supra nonagesimum, Epheso cum discipulis egressus in vicinum montem conscendit, tum terram erui jussit, sibique in ea sepulchrum aperiri, tum in illud pallium demisit, tum etiam seipsum. Cumque ad extremum addidisset blanda illa ad Christum verba: *Et tu mecum esto Domine IESV.* Et hæc ad Discipulos: *Pax vobis fratres.* Derepentè cœlesti circumfusus luce, & astantium oculis ereptus, & spiritum & corpus diligenti se Christo commisit, ac deinde utrumque etiam Cœlo: nec enim postea ex eo terris visum quicquam præter vestem, & crepidas, quas scilicet exuerat, ut immortalitatem totus indueret.

Et hoc postremum amoris Christi in JOANNEM argumentum fuit, quo sese ad eum demisit in terris, ut animo simul & corpore in Cœlos attolleret: quod cùm nulli Apostolorum concessum sit, oportet fateamur JOANNEM Discipulum fuisse quem dilexisset JESUS; imò & quem plus cæteris dilexisset. Cujus indicia cum paucis explicuerimus, superest ut ad causas quoque & rationes descendamus: Summæ enim rationi & primæ causæ, nihil expers causæ, nihil expers rationis esse potest.

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Conversus Petrus vidit Discipulum quem diligebat IESVS.* vers. 20.

QVÆ RATIONES, QVÆ CAVSÆ ILLIVS DILECTIONIS?



OLENT ab Authoribus aliæ atque aliæ proferri rationes: quas inter hæc

Prima, quia Virgo.

Virgo fuit JOANNES: Virgines autem Christo sunt in primis curis atque amoribus.

Virginem fuisse probavit omnis retrò antiquitas; probavit Ecclesia dum de illo cecinit: *Virgo est electus à Domino, & ideò prærogativa Castitatis ampliori dilectione eum fecerat dignum.*

Probarunt etiam una voce SS. Patres, quos inter (ne in aliis recensendis æquo longior sim) B. Petrus Damianus, qui etiam in IOANNE eam Virginitatem fuisse ait, quæ uni Virgini MARIÆ cederet, præstaret verò cæteris. Sic enim inquit:

Serm. 6. *A MARIÆ solus virginitate præceditur Ioannis virginitas:* quia scilicet MARIÆ virginitas & *fœcunda est & Deifica. Virginem enim parere novum est ac singulare; Deum autem parere, quidquam Divinum.*

Hæc ubi extulit magnus Præsul: tum illud conficit. *Sicut ergo Matris Domini virginitas Ioannis virginitatem excedit. sic ipse pro glorioso ejus contubernio cæteras à mundi primordio virgines antecellit.*

Decurre, si voles, omnia retro sæcula ab Abele (qui primus virgo fuit) ad Joannem usque: Virgines in utroque sexu invenies: at omnes IOANNE inferiores.

Rationes si quæris; duas affert; Prima est *Gloriosum* Virginis Matris *contubernium*, ex quo scilicet hausit virgineos illos spiritus: tantum interest, quocum habites, quocum vivas.

Altera, est *Meritum sedula perpetuaq; custodia*, quam cùm MARIÆ impenderet, meruit illi in virginitatis gratia propinquare; adeoque etiam Agno, id est Christo *propinquior* fieri, & hinc etiam *dilectior*: fatendum enim quod quò quis Deo *propinquior* sit, hoc etiam *dilectior*.

Fieri autem Deo propinquiorem per virginitatem, inde liquet, quòd cùm Deus sit purus spiritus, quò quis ad spiritum plus accedit, eò etiam plus ad Deum. At per virginitatem homo plus accedit ad spiritum, igitur & plus ad Deum.

Accedere verò hominem ad spiritum per virginitatem vel hinc patet; quod ut ait D. Bernardus:

Cap. 45. de interiori domo. *Virgines Angelis Dei efficiantur æquales*; quia scilicet à carne, & omni illius contagione remotissimi, uti & remotissimi illi, qui per resurrectionis gloriam Cœlum jam tenent ac beatitatem: quod enim hi obtinent à fœlicitate, illi à virtute & virginitate.

Unde sic eos elata oratione compellat D. Cyprianus: *Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis: per sæculum enim sine sæculi contagione transitis, cùm castè perseveratis, & Virgines Angelis Dei estis æquales.* Tract. 2. de habitu Virg.

Amplius dico, etiam superiores; quia ut disertè D. Chrysologus, *Angelicam gloriam acquirere majus est, quàm habere. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod Angelus habet à natura. Hinc Angelum esse, felicitatis: Virginem verò virtutis.* Serm. 143.

Quod ipsum candido ut solet stylo explicuit etiam D. Bernardus, qui ad Virginem Sophiam sic aliquando de virginitate. Ubi enim hanc extulit quæstionem.

Virginitas cui gloria præfertur? Respondet, *Angelicæ.* Et rationem hanc subjicit; *Angelus habet virginitatem, non carnem: sanè felicior, quàm fortior: in hac parte optimus, & optabilis valde ornatus iste qui & Angelis possit esse invidiosus.*

Quod si virginitas *Angelicæ gloriæ præfertur; si fortior* in carne virgo quàm Angelus; si & hujus *ornatus* Angelis propè *invidiosus.*

Quid adeo mirum si à Christo, Virginum sponso, Virginum parenti, Virginum exemplari, vel maxime dilectus.

II. *Quia Discipulus quàm optimus.*

PRimæ rationi accessit altera, quòd omnes boni Discipuli partes explesset. Qui liberalibus artibus lycæum aperiunt Magistri, eos potissimùm in oculis habent, qui & ingenio præstant, & illo utuntur quàm optimè, ut & doctrinæ placita capiant quàm citissimè, & illa retineant tenacissimè: secus si fecerint, nulla apud Magistrum valebunt gratia, ut qui nec stupidos amet, nec inertes, nec vagos, nec obliviosos, nec pertusos, nec fœculentos.

Apud Hebræos, Rabbini è discipulis aliquos comparare solebant cum *Clepsidris*, eos scilicet, qui quod facilè didicerint, faciliùs amittunt.

Clepsidræ, inquiebat, *sunt, qui quod una aure excipiunt, altera sinunt effluere.* Et hi non sunt bonis annumerandi.

Alios componebant cùm *Spongia*, quæ nimirum omnia sine ullo discrimine exsugit; si oleum admoveas, oleum exsugit; si acetum, acetum; si vinum, etiam vinum: si aquam, periode est, & aquam imbibit.

Spongiæ sunt, inquiebant, *qui sugendo attrahunt omnia, bona & mala.* neque & hi boni discipuli sunt: dum enim ebibitur quidquid porrigitur, subinde malum ebibi necessum est.

Pejores alii, quos aiunt similes esse *sacco*, aut *dolio*, quod scilicet generosum vinum ex se effluere patitur, & sibi nihil omninò reservat præter fæces.

Alii fæcum saccus sunt, qui solas retinent fæces: bonum verò vinum patiuntur effluere.

Ex horum numero sunt, qui etsi puram bonamque doctrinam, ceu vinum optimum, admiserint, imò & in alias quoque transmiserint; sibi tamen nihil retinuerunt nisi fæces suorum sensuum depravatorum.

Incarnata Patris Æterni Sapientia in terras elapsa Scholam aperuerat, ludumque altioris, id est Divinæ Sapientiæ, ad quam auribus animisque melioribus hauriendam evocari à Magistro quàm optimo complures; sed ô malum! ô vitium quorundam discipulorum!

Ex iis aliqui similes fuêre *Clepsidris*, qui scilicet ea quæ à Christo, cœlesti utique Magistro, aure una admiserant, emittebant alia, nihilque penitus inde sibi retinebant.

Alii primis nihilo meliores, adinstar spongiæ fuerunt, ut qui bona haurirent, & mala nullo discrimine; mala dico, non quidem in se, nec ut hausta à Magistro (ab hoc enim nihil mali prodiit, aut prodire potuit) sed sua opinione & persuasione depravata.

Tales fuerunt ex discipulis ejus illi, qui cùm audissent à Christo novum illud ac cœleste dogma:
Ioan. c. 6. v. 56. 57. *Caro mea, verè est cibus; & Sanguis meus, verè est potus. Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo.* Non solùm dixerunt istud:
vers. 61. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audiret?* Sed &
vers. 67. *abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.*

Quæ tum temporis loquebatur, quæ docebat Christus, & mollia erant, & amantia: Quid enim mollius, quid amantius, quàm Christi Carnem sacramentaliter, hoc est, sub specie panis manducare; & Sanguinem sub specie vini bibere? Et illud auribus hauriebant è Discipulis isti, & quidem bonum: at suo vitio, suo sensu etiam malum istud & durum; quod carnaliter, & quasi dentibus terere & masticare deberent Christi Carnem, & ore cruento Sanguinem ebibere: Quid facias? *Spongiæ* erant, quæ nullo discrimine bona combiberent & mala, vera & falsa. Et hi quidem discipuli mali erant.

At pessimi illi, qui sacco similes, aut doctrinam sanam, cœlestem, divinamque hauserunt à Christo, ceu cœli terræque Magistro: & eam etiam in alios effuderunt, sibi verò nihil reservarunt præter fæces.

Talis fuit Judas Iscariotes, qui in cœlestem Christi Scholam admissus, recondita à sæculis divinioris Sapientiæ arcana, & animo primùm admisit, ac deinde etiam voce ac prædicatione aliis aperuit effuditque, ceu vinum novum ac nobile; sibi autem nihil reliquum habuit præter fæces, hoc est immanè scelus defectionis à Magistro, & infandam hujus proditionem.

Audierat à Christo formidandum illud: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Melius erat si natus non fuisset homo ille.*

Audierat, inquam, uti & alii quoque Discipuli, qui ex hoc & sanctum hauserunt timorem, & in suscepto Apostolici muneris instituto constantiam: at Judas è contrario, è cœlesti illo ac salutari pronuntiato, nihil sibi retinuit nisi ferale illud ac funestum *Væ*, quod bibet, nec ebibet tota æternitate.

Non sic *Discipulus ille, quem diligebat IESVS.* Nec *Clepsidræ* similis fuit, ut quæ hauserat à Magistro, effluere sineret; nec *Spongiæ*, ut tam mala exsugeret quàm bona; nec denique *Sacco*, ut fæces reservaret sibi.

Sed contrà quidquid à Christo, Magistro quàm optimo, accepit, animo cordéque tenacius retinuit, & genuinam eorum interpretationem hausit, non ut alii adulterinam; & ut erat virginea, id est candida mente atque innoxia, defæcatam sibi retinuit, & puram putamque doctrinam, quam deinde scripto Evangelio in posteros omnes effudit. Et hinc Christo, ceu Magistro, imprimis carus fuit.

Ad bonam illam indolem, candidos mores, vitamque longè sanctissimam, accessit mira quædam vis ingenii ac perspicacia, quam spectare & amare solent Magistri in Discipulis suis, quam & spectavit, amavitque Christus in Joanne, qui cæteros inter sic sese extulit, ut inter volucres Aquila.

Cum hac certè eum multis ante sæculis composuit Ezechiel in illo mentis excessu, quo apertis *Cap. 1. v. 10.*
Cœli valvis, *de medio ignis* vidit quatuor animalia, quorum uni *facies* erat *Hominis*, alteri *facies Leonis*, alii *facies Bovis*, quarto denique *facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor.*

Quæ sit illa *facies Aquilæ* si quæris, audies esse Discipulum, *quem diligebat IESVS.* Extat ille *desuper ipsorum quatuor*, hoc est tres alios Evangelistas transcendit; imò & seipsum, dum instar Aquilæ in Cœlis ponit nidum suum; imò & in sinum Æterni Patris evadit, indéque (ut ait D. Bernardus) *Sacrosanctam intima Sapientiæ eruit medullam*, eructátque altum illud: *In principio erat Verbum, & Verbum erat* *Ioan. c. 1.*
apud Deum, & Deus erat Verbum.

Ita nimirum, ut advertit B. Petrus Damianus: *Redemptor noster dilectum sibi speciali prærogativa Discipulum, ad declarandam suæ Divinitatis essentiam quoddam* *Serm. 1.*
quasi organum fecit.

Quem enim potius fecisset, quàm eum, qui inter alios eminebat, ut inter volucres Aquila. *Ipse est* *Tract. 36.*
Ioannes sublimium prædicator, & lucis internæ atque æter- *in Ioan.*
næ fixis oculis contemplator, inquit D. Augustinus.

Fixis, inquam, oculis & aspectu irretorto, quo probatus fuit, ut *pulli aquilarum à parentibus probari* *Aug. supra.*
solent: patris scilicet ungue suspendi, & radiis Solis apponi. Qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoscitur; si acie palpitaverit, tanquam adulterinus ab ungue dimittitur.

Sic & probatus IOANNES adinstar pulli Aquilarum; appositus enim radiis Solis, non hujus aspectabilis ac creati, sed invisibilis, sed increati, cujus (ut advertit D. Augustinus) *& fixis oculis contemplator* fuit: atque etiam *prædicator*, quod nemo alius.

Magnus ille Gentium Apostolus in suo illo ad Cœlos raptu, *Vidit arcana verba*; sed quæ (ut ingenuè fatetur) *non licet homini loqui.* IOANNES autem *2. Cor. 0. 12.*
& *vidit* & *scripsit.*

O miram scholam, exclamat Præsul Valentinus, *quæ talem repentè discipulum mundo edidit.* Discipulum dico; sed & hinc à Magistro dilectum.

III. Quia è Discipulis solus Cruci astitit.

SEcundæ rationi addi potest & tertia; quod è Discipulis IOANNES, isque unicus Cruci astiterit, in hoc Virgini Matri comes, & cæteris in eo etiam superior.

In horto, sudore sanguineo manantem, & ab agonia propè deficientem, propiùs secuti Discipuli tres: Petrus, Ioannes & Iacobus. In domo Pontificis secuti duo, Petrus & Ioannes: sed hinc malum, & inde bonum! Negat Petrus; confitetur autem Ioannes, non voce (quia nullus eum de Magistro interrogat) sed lacrymis, quæ animi mœrentis, & amantis sunt voces:

Astat in palatio, astat in prætorio, astat in patibulo, la- *Thom. Villa-*
crymatur, dolet, gemit palam, & Magistri sui mortem de- *nova.*
plorat, & nullus eum interrogat; Quid ploras? Nullus criminatur dicens: Amicus es, Discipulus es, Fautor es.

Mira

Mira utique amoris dispensatio fuit: amoris dico, tum Christi in Ioannem, tum Ioannis in Christum. Hunc certè commendavit, cùm cæteris fuga præcipiti huc illucque dilapsis, unus ipse & Cruci & morienti astitit, quodamantis fuit, & mirum quantum amantis. Est enim hæc prima, hæc summa lex amoris, ut amantium communis sit calamitas, commune que discrimen. Quod ipsum natura duce observatum est etiam inter Gentiles.

Commendavit Antiquitas nobile per amantium Pyladem & Orestem: commendavit & Molionidas homerico versu celebratos: sed & hos *calamitatis societas nobilitavit*, ut discrtè D. Gregorius Nazianzenus.

Orat. in laudem D. Basilii.

Commendavit Roma Maximum Cesonium, virum Consularem, & Ovidium in paucis amicos, illum cùm Nero in conjuratione Pisoniana in exilium relegasset, amico exuli voluntarium sese addidit comitem Ovidius, ut hoc præclaro testimonio palam omnibus faceret, se non tam Cesonii fortunæ, quàm Cesonio fuisse addictum.

Commendavit Chrysostomus, os illud aureum, insignem D. Basilii in amicum caritatem: cùm enim hic in vincula conjectus esset, ei adfuit enim cum pari, imò majori, vitæ scilicet, discrimine: cumque ei objecissent amici alii, quod vitæ sanguinisque prodigus esset, quod in apertum discrimen rueret, respondit Ore aureo:

Aliter amare non didici, nisi ut vitam meam in discrimen adducam dum periclitantem amicum liberare opus est.

Lib. 2. de Sacerdotio.

Quod si deinde Basilius *Aliter amare non didicit*; certè nec aliter amare didicerat olim IOANNES: cujus argumento erit illud.

Rapitur in vincula JESUS, IOANNIS amor, & corculum; sequitur & hic in vincula.

Vocatur in Prætorium, & Pontifici sistitur; & cum illo eòdem pervadit IOANNES.

Ducitur in Calvariam, infamem supplicii locum; & in eumdem evadit IOANNES.

Erigitur denique in Crucem JESUS; & Cruci astat unà cum Virgine IOANNES, isque ex omni Discipulorum numero etiam unicus, & Iudæorum contumeliis sese objicit, & carnificum immanitati, & periculo, & cruci; paratus in eam cum Magistro attolli. Nimirum *aliter amare non didicerat.*

Quid ergo mirum si & ipse à Christo aliter ametur, quàm cæteri, hoc est, si præ aliis omnibus dilectus, ut qui etiam Christum præ aliis, imò & plus aliis dilexerit.

Volumus & nos venire in partem aliquam illius dilectionis; objiciamus amantis, id est Christi, oculis virginem animam, virginem & carnem: objiciamus & mentem ad omnes Magistri nutus flecti facilem: doctrinam illius ita excipiamus auribus, ut recipiamus & corde, & simul opere exprimamus: objiciamus & periculis & vinculis & morti pectus, audax omnia cum Christo & pro Christo perpeti. Nec ab eo nos avocent aut avellant impendentium malorum minor, nec cruces, nec mille per vulnera mortes.

Hæc quippè lex amantium, hæc veræ *amicitiæ* ratio; *Quam scilicet non spes, non timor, non utilitatis suæ cura ab amato divellit, & cum quâ homines moriuntur, & pro qua moriuntur*, ut eleganter Seneca, sola duce natura ac ratione: Quid nos, quibus ad illam lucem accedit & amœnum Fideijubar, & Sol ille noster, Sol amantium IESUS; & secundùm illum minora sidera, MARIA *Virgo*, & IOANNES *illi Discipulus*: & hic & illa ad pedem Crucis; ad eùndem & ipsi pedem affectumque sistamus.

Epist. 6.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
IN
EVANGELIA FESTORUM
TOTIVS ANNI.

P. *paginam designat.* **C. *verò columnam.***

A

B.

C.

D.

S. Fran-

Maria

Pœnitentiæ

Tactus,

T.

V.

W.

X.

Z.

FINIS.